IOACHIMI HOPPERI PHRISII IVRECONSVLTI

DE IVRIS ARTE

LIBRI TRES.

Eiusdem,

IVRIS CIVILIS, SIVE AD PANDECTAS

LIBRI SEX
Priores.



LOVANII

Apud Petrum Colonæum Bibliopolam Iuratum.
Anno 1 5 5 5.
Cum Cæs. Maiest. Priuilegio
Ad sexennium.

TYPOGRAPHVS
LECTORI S.



Amus tibi Lector, Ioachimi Hopperi Phrisij, Iuris vtriusque Doctoris, ac magni Cæsaris Senatus Consiliarij, libellorumq; supplicum in curia magistri, libros, De Iuris arte, tres, nuper quidē ante mēses aliquot typis excussos, sed nunc ab ipso authore recognitos, & quibusdam accessionibus nonnullis locis locupletatos. Quibus porrò adiunximus eiusdē, Iuris Ciuilis, siue ad Pandectas, libros sex priores, nūquam ante hac editos, in quibus tum vsus ipsius artis, re ipsa exprimitur, tum verò Digestorum siue Pandectarum maiori ex parte, non tam Epitome ac Enchiridion, quàm ipsum quasi fundamentum exhibetur. Nam cûm omnes Pandectarum tractatus: partim ipsis legibus constent, hoc est, rogationibus, plebiscitis, senatusconsultis, principum placitis, prætorum edictis, prudentum regulis, aut longa consuetudine: partim interpretationibus, & varijs quæstionibus Consultorum: partim deniq; actionum ac formularum conceptionibus explicationibusq;: nulli, nisi fallor, dubium est, quin præcipua omnium & princeps pars sit, ipsa Lex, cui reliquæ duæ, tanquam accessionis vice applicantur. Quæ quidem licet rem eminus

considerantibus, subtiliore quadam in ratione versari, ac in quotidiano vsu magis positæ videantur, quàm ipsæ leges: tamen si cum ijs componantur, tantum ab earum maiestate differunt, quantum ab ipso poëta, interpres eius: & ab ipsarum legum latore, iudex: & ab eo qui in alto nauigat, is qui fluminum amfractus ac diuerticula consectatur, differre solet. Qua etiam causa factum est, vt hoc in genere non solum posteriores Iuris interpretes, tam veteres quàm recentiores sint versati, vt Azo, Placẽtinus, Hostiẽsis, Zasius, Baro, Connanus, & alij summæ viri eruditionis ac doctrinæ: verum etiam ipsi authores & fundatores nostrarum legum Iureconsulti, in quibus sunt Pomponius, Paulus, Hermogenianus, cum quibusdam alijs, vt nunc Papyrium, Flauium, Ælium & ipsum etiam Mosem prætermeam, quorum porrò vestigijs insistentes Græci, tantam authoritatem ei tribuerunt, qui illius libri, cui Basilico titulus est (quem & Hermonopulus imitatus videtur) compilator fuit, vt & perpetuos illi commentarios applicare, & in cõmunem vsum recipere non sint veriti. Nam cùm varij quæstionum ac disputationum nodi, permistè propositi, hoc efficiant, vt animum in diuersa distractum nunquam se colligere, ac pedem figere patiuntur: hoc ipsarum legum in vnum collectio præstat, vt &

certum

certum nobis scopum proponat, & quo quæque referantur ac pertineant, erepto omni errore ostendat. Ac cum alijs in hoc argumento versantibus, alia atque alia fuerit proposita ratio: quæ ab hoc authore nostro expectari possunt, inter cætera hæc sunt. Primum enim locis omnibus demonstrat, quis nam tandem ordo sit ac methodus Pandectarum, & quàm eleganti omnia nexu, ac vinculo contineantur. Deinde verò leges ipsas proponit, & vel ædictum, plebiscitum, Senatusconltum, principũ placitum, si supersit exhibendo, vel respõsum ex responso, si quãdo sic vsus postulat, nectendo: quodnam cuiusque tituli præcipuum argumentũ sit, cui reliquæ quæstiones & actiones applicantur, ostendit. Tertio verò latius progrediendo partim in cuiusque legis ac tractatus originem & antiquitatem inquirit, partim verò causas ipsas, & fontes in natura positos aperit, ex quibus leges nostræ Ciuiles promanarunt. Præterea quemadmodum libro primo tum librorum Iuris Ciuilis omniũ generalem quandam collationem facit, tum verò ingressum aliquem ac aditum ad Pandectas aperit: ita duobus posterioribus, hoc est, vndecimo ac duodecimo (nam reliqui nouem cedunt ipsis Pandectis) quæ sit Iustinianæi Codicis, & Nouellarum cum Digestis in singulis conuenientia, quæq;

 sit

sit cuiusque tractatus via & ratio, demonstrabit: Sed posteriorum sex librorum editionem, ideo sustinet, vt in his interim prioribus periclitetur, quomodo labor tandem eius ac studium, doctis ac bonis probabitur: videlicet vt si quid fortasse occurrat, quod vel corrigendum, vel mutandum, eruditorum hominum admonitu videatur, id non solum in hisce prioribus, verum etiam in posterioribus faciat, & sic tandem perfectum aliquem partum, quo ad eius fieri potest, exhibeat: exemplo nimirum Platonis, qui duos libros de republica, multo tempore ante reliquos octo edidisse, & audito aliorum iudicio, plurima immutasse fertur. Nam & illud etiam in animo habet, vt quemadmodum libros De iuris arte, tres, quasi proœmij cuiusdam vice, libris Iuris Ciuilis præposuit: ita quinque alios posteriorum, tanquam epilogi loco, ijs per otium, quod à publicis negotijs non multum certe habet, subijciat, in quibus tum de vocabulis iuris, regulis, & antiquitatibus tractet, tum verò de forma reipublicæ, cui leges Ciuiles accommodantur, & vsu ac ratione fori, quæ vel in comitatu principis, vel in ordinarijs iudicijs obseruatur, exponat. Quæ quidem omnia, vt quàm breuissimè tibi dare, & in lucem, approbante Deo, proferre

ferre

ferre posSimus, etiam atque etiam, tam ipsius reipublicæ, quàm studiosorum causa optamus.

Tu vero interim Lector ista boni consule, & Vale.

CAPITA LIBRI PRIMI

DE IVRIS ARTE.

¶ LIBRI SECVNDI.

DE cir-

¶ Libri Tertii.

CAPITA

CAPITA LIBRI PRIMI IVRIS CIVILIS, SIVE AD PANDECTAS.

¶ Libri Secvndi.

¶ Libri Tertii.

¶ Libri Qvarti.

¶ Libri Qvinti.

¶ Libri Sexti.

PRIVILEGIVM.

Cautum est Cæsareo Priuilegio, ne quis intra sexennium, citra voluntatem Petri Colonæi, aut imprimat, aut alicubi Impressos importet, venaléſue habeat, libros hosce, quorum tituli sunt: IOACHIMI HOPPERI PHRISII IVRECONSVLTI, DE IVRIS ARTE, LIBRI TRES. Eiusdem. IVRIS CIVILIS SIVE AD PANDECTAS LIBRI DVODECIM. Eiusdem AD IVSTINIANVM DE OBLIGATIONIBVS ΠΙΘΑΝΩΝ, LIBRI QVINQVE, AC POSTERIORVM LIBRI DVO. Atque id sub pœna in ipso diplomate latius expressa. Datum Bruxellę xxiij. Decemb. An. M.D.LIII.

Signat. De Zoete.

IOACHIMI HOPPERI PHRISII IVRECONSVLTI, DE IVRIS ARTE, LIBER PRIMVS.



EVS Optimus Maximus duo nobis adiungens artium disciplinarúmque genera, quibus nos, vitamque nostram tueri, & in omnes partes confirmare possimus: vnum quidem genus contulit, quod ad vitę nostræ cultum, & earum rerum quibus quotidie vtimur, facultatem & copiam pertinet: alterum verò, quod in ijs indagandis exquirendisq; versatur, quę rectè iusteq; viuendi vias continent, quæq; hominem conciliant homini, & ad religionis, & ad communis vitæ societatem. Et quidem cùm tota humana natura partim corpore constet, partim animo: admirabili quadam ratione comparatum est, vt illud genus è mortali & caduca natura desumptum, cum beluis nobis & feris animantibus sit commune: hoc verò, è perpetuis illis & sempiternis ignibus delibatum, & cum ipso animo à Deo ingeneratum, efficiat, vt cum dijs immortalibus putandi simus, & eorum agnatione & gente, siue stirpe teneamur. Sed sunt huius rursùm duę facultates, regales planè & propè diuinæ, vt quæ in rebus omnibus dominatum teneant, & sine quibus reliquæ scientiæ foliuagæ sint ac ieiunæ. Prior est, quæ Ciuilis appellatur, quæque dissipatos homines ratione quadam in vnum locum compulit, & ex feris ac immanibus, mites ac mansuetos reddidit. Posterior Legalis dicitur, & constitutis vrbibus fidem colere, iustitiam retinere, alijs sua sponte parêre docuit: præscripsitque normam quandam ac regulam,

gulam, qua & diuinæ religionis, & humani officij ratio coli possit: imitata proculdubiò principem illam Dei mentem & vltimam, quæ vniuersum mundum regit, imperandi prohibendique sapientia. Ac de Ciuili quidem facultate tractabimus, approbante Deo, in ijs commentarijs, quos de antiqua Fresionum Republica, & de Philosophia Platonis, in manibus habemus. Hoc verò tempore in animo est, de scientia Legali, & perfecta Iuris condendarumque Legum arte, quæ nullis veterum monumentis prodita exstat, conscribere. Oroque Deum Optimum Maximum, cui hasce studiorum meorum primitias libenter offero, vt ea literis mandare possim, quæ & cum vera religione, & cum totius Reipublicæ, ac studiosorum omnium vtilitate, quibus me totum deuoueo, sunt coniuncta. Facturus autem mihi videor operæpretium, si priusquàm ad Ius ciuile veniam, vniuersam illam Iurisprudentiam, quæ in animis nostris collocata, per omnes vbique Respublicas, æquabiliter est distributa, comprehendam: & deinde ad Ius ciuile Romanorum quod ex illa vniuersa prudentia decerptum, in angustum angulum naturæ couclusum est, me conuertam. Si enim, quemadmodum est apud Platonem, oculis non rectè medemur, nisi ipsi prius capiti medicinam adhibeamus: quomodo tandem obtinebimus, vt singularum nationum leges perceptas & cognitas habeamus? nisi de vniuersa priùs illa lege, quæ cunctum mundum amplexa gubernat, æstimare possimus? Certè non potest vllo modo fieri, vt de singulis rerum speciebus aptè ac conuenienter iudicemus, nisi ab ipsis generib⁹, & summis capitibus proficiscamur. Primùm igitur vt diximus, tribus libris illam Iuris viam & rationem persequemur, quæ nullis temporum & locorum spatijs circunscripta, quascunque in oras regionésue delata sit, eodem semper instructu, ornatuque comitata, incedit. Deinceps verò alijs duodecim, de illa breuiter & strictim differemus, volente Deo, Iurisprudentia, quæ propria est ciuium Romano-

mano-

manorum, quæque ex priore collecta, certis libris comprehensa, & diuina quadam ratione in ordinem inclusa est. Scio equidem quàm difficilis quamque scopulosa & ardua res sit quam aggredior: & rursum quàm tenues vel potiùs nullæ vires ad eam mihi suppetant: sed facit (me hercule) temporum nostrorum summa necessitas, & totius veteris disciplinæ perturbatio, vt non morandum ampliùs, donec fortè exsistat aliquis vir perfectus & diuinus, qui totam rem restituat: sed vt omnibus potiùs & omnium opibus, quantulæcunque illæ sint, quemadmodum in extremis naufragiorum periculis fieri solet, succurrendum & opitulandum esse videatur. Et si fortasse non omnia ea facultate assequar, quæ voluntate præcepi & animo: tamen primis iactis veræ germanæque disciplinæ fundamentis, satis mihi superq; fecisse videbor, si aliorum quoq; studia commouero, & post adumbrationem lineamentaque à nobis allata, ad articulationem & colorum iniectionem porrò faciendam incitaro. Nunc igitur ad id quod instituimus aggrediamur.

DE IVRIS DEFINITIONE.



AIT Vlpianus[a], IVS EST ARS BONI ET ÆQVI, CVIVS MERITO QVIS NOS SACERDOTES APPELLET. Ideo autem vocat ARTEM, quia neque scientia tantùm est, quæ circa res diuinas solùm & æternas versatur: neque contrà peritia quædam, quæ fragilia & in opinione tantùm hærentia consectatur: neque denique prudentia solùm, quæ licèt diuina cum humanis coniungat, nuda tamen actione finitur, nullum relinquens opus perfectum post se: sed est facultas quædam & ratio ex omnibus illis simul confecta: quippe quæ supera cum inferis, diuina cum humanis, publica cum priuatis con-

a *l. 1. ff. de Iust. & Iure.*

nectat: & hoc insuper præ illis suprascriptis tribus eximium habeat, vt opus aliquod perfectum bene constitutæ fundatæque Reipublicæ post se relinquat [b]. Atque hoc illud est, cur propriè ars vocetur, curque illi, qui in ea cæteris mortalibus præstant, sapientes [c] nominentur, quanuis tamen alioqui à Iuris scientiæ [d] peritiæque & prudentiæ vocabulis in communi vsu non abstineatur.

Quod déinde subijcitur BONI ET ÆQVI, tantum valet, quãtum pium, sanctum, iustum, rectum, honestum, pulchrum, aut si quod est aliud vocabulum, quo planiùs res possit significari. Pertinet enim ad explicationẽ eius quod proprium est huius artis, quoque tanquam propria sua nota à reliquis omnibus disciplinis & facultatibus seiungitur. Nam cùm tria sint in tota rerum vniuersitate quæ dicuntur prima: Natura, intelligentia, bonum: de Natura per res diducta, tractant Physici: de Ratione & intelligentia, Dialectici: de iusto ac bono, Iureconsulti, quibus nihil planè aliud est propositum, quàm vt inquirant, quo modo virtus & iustitia Dei per omnia pertineat, & cùm diuinas tum humanas res, prout cuiusque natura patitur, moderetur ac informet [e]. Nec est verò distinguendum, vtrum ciuilisne, an pontificalis, publici an priuati iuris scientia, nunc à nobis definiatur: vna enim est ac simplex Iuris ars, ad quoscunque tandem rerum & disputationum tractus accommodetur. Nam quòd nonnulli sunt qui huius, nonnulli qui illius Iuris peritiam profitentur: non ipsarum rerum natura, sed hominum vitijs accidit. Homines enim oppressi opinionibus non modò vulgi, verùm etiam leuiter eruditorũ, quę complecti tota nequeunt, ea faciliùs diuulsa, & quasi discerpta, contrectant. Per rerum naturam, omnia hæc quæ suprà & subtèr sunt, vnum sunt, & vna vi, vnaque consensione naturæ constringuntur: nec est vllum genus rerum, quod aut auulsum à cæteris per seipsum constare, aut quo cætera si careant, vim suam atque æternitatem conseruare possit. Illa demum vera per-

b arg. l. 1. ff de Iust. & Iure § 1. in procr. Inst.

c l. 2. § Iuris ci. ff. de orig. Iuris.

d l. 1 ff. de uar. & extraord. cog. §. Iurisprudentia Inst. de Iust. & Iure.

e l. bona fides ff. dep. d. l. 1. ff. de Iust. & Iur. §. Iurisprudentia Inst. de Iust. & Iure.

perfectaque Iurisprudentia est, quæ omnium diuinarum[f] & humanarum rerum, id est actionum & negotiorum aduersus Deum & homines, (sic enim interpretamur res) cognitionem possidet. Ille perfectus Iureconsultus, qui non in ijs modò quid iustum, quid iniustum sit, diiudicat, quæ popularia sunt, & manibus tractari ac teneri possunt, cuiusmodi sunt testamenta, contractus, tutelæ, cæremoniæ, officia, & si qua sunt alia externa: verùm etiam qui in his quę ipsius mentis[g] sunt & animi, quæque intimam illam, & cum Deo proximè coniunctam hominis naturam respiciunt, quid æquum, quid iniquum sit, cum perfectißimo Legumlatore Mose, videre poßit & intelligere. Atque hoc illud est cur sacrosancta dicatur hæc scientia, & vt Vlpianus ait CVIVS MERITO QVIS NOS SACERDOTES APPELLET. Nam cùm in reliquis ferme omibus artibus, nihil aliud, quàm ingenij sagacitas & celeres quidam motus animorum requirantur: in hac & illud præterea necessarium est, vt cum ingenij celeritate ac luce, virtus etiam & pietas eaque non vulgaris, coniungatur[h]. Et quidem ea re, nisi fallor, apud Romanos factum est, cur actionum omnium & formularum potestas, apud collegium Pontificum resideret[i]. Et præterea cùm duplex sit officium sacerdotum, vnum vt cęremonijs præsint & sacris, alterum vt vatum prædicta & effata incognita interpretentur: vtrumque sustinet Iureconsultus. Sacrificat, cùm vel Ius reddens litigantibus, vel sontes supplicijs, benemeritos præmijs afficiens: gratißimum æquitatis & iustitiæ sacrificium Deo[k] exhibet. Oracula[l] edit, cùm vel consultoribus se præbens, vel obscuriores legum nodos & intelligentias enudans, diuinos illos & abditos Iuris & iniuriæ fontes, populo recludit. Ius igitur nihil est aliud, quàm ars boni & æqui.

f §. Iurisprudētia Inst. de Iustit. & Iure arg. l. 1. ff. de interdictis l. 1. ff. de rerum di. c. duo. 12. q. 1.

g l. quisquis in princ. C. ad l. Iul. maiest. l. si quis non C. de episc. & cler. l. Diuus ff. ad l. Cor. uide notata in l. cogitatiōis. ff. de pœ.

h l. 2. §. Iuris ciuilis. ff. de orig Iuris arg. l. cōtinuus. §. cum ita ff. de uerbo. obl. l. 1. ff. de ua. & extraord. cogn. l. solent. ff. de off. procons. l. illicitas. §. ne potentiores. ff. de off. præsid.

i l. 2. post principiū. ff. de origi. Iur.

k c. quali in fin. 23. q. 2.

l Cicero lib. 1. de oratore arg. §. respōsa. Inst. de Iure naturali. uide l. cum quidā. §. Scæuola. ff. de li. & posth. l. munerū. §. mixta. ff. de mu. & hono.

DE DIVISIONE IVRIS.



VIVS boni & æqui ratio tractatioque tripartito distribuitur: Primum enim simpliciter & per se consideratur ipsum bonum & æquum[a]: Deinde verò tractatur, quomodo rebus diuinis & humanis, publicis & priuatis accommodari, & in leges includi[b] debeat: Vltimo denique quæritur, quomodo actionibus iudicijsque muniri, & ad effectum suum perduci[c] possit. Primum autem est sapientum, Secundum principum, Tertium pontificum secundum Romanos,[d] siue iudicum. Vltra hæc tria si quis plura fortè requirat, nihil profectò reperiet: Nam quemadmodum rerum omnium, ita etiam iuris & legum tractatio, causa legum, substantia, & effectu legum continetur. Profectò si ea est diuinæ mentis & æternæ ratio, vt ante omnia res consideret ac exploret, quę vis prouidẽtia Calcidio nominatur: pòst deinde iubeat aut prohibeat, quod legis proprium est ac fati: & postremo denique custodem asseruatoremque legis faciat, quod quidem vim illi, & effectum tribuit: cur non & nos idem in hac nostra humana, & communi ęqui boniq; descriptione probabimus? quam constat à nulla alia, quàm prima illa & principe sapientia laudari, & quemadmodum ea mens est omnia ratione aut cogentis aut vetãtis Dei, ita mentem quoq; & rationem esse sapientis, ad iubendum & deterrendum idoneam. Prætereà si diuinus ille Legumlator Moses, sic partitus est leges Domini, vt vnam partem mandatorum, alteram cęremoniarum, tertiam iudiciorum appellarit: si Philosophorum princeps Plato, tum singulas leges in procemium, constitutionem, & sanctionem tribuit, tum duodecim dialogos de legibus sic diuisit, vt quatuor cedant principijs, quatuor ipsis legibus, quatuor foro & iudicijs, cur non & nos probare eadem, & ijsdem insistere vestigijs audebimus? Maximè cùm vel

ipsum

a *tit. ff. de Iust. & Iur. de orig. Iuris de ll.*

b *tit. ff. de stat. hominũ. deter. diuis. & qualit.*

c *Reliqua parte Pandect. ubi de iudicijs tractatur.*

d *l. 2. de orig. Iuris.*

ipſum etiam Imperatorem Iuſtinianum [e] habeamus authorem, qui ciuilium Inſtitutionum parte prima, de Iuſtitia tractat [f] & Iure: altera, de perſonarum & [g] rerum qualitatibus, diuiſionibus, & commercijs: Tertia, [h] de actionibus & iudicijs. Cui & illud porrò addi poteſt, quòd cùm hominum alij ſint boni, alij mali, alij medij: bonis rectè adhibeantur quę diximus procemia [i] medijs iuſſa [k] legum & vetita, malis denique accuſationes & iudicia [l]. Quoniam igitur vniuerſa iuris ſiue iuſti & iniuſti ratio, hiſce tribus continetur, bono & ęquo, legibus ipſis, & iudicijs, è re, vt videmur, facturi ſumus, ſi de ſingularum partium ratione ac modo, ſingulis quoque libris explicuerimus. Ac quantum quidem ad primam attinet, ex qua leges omnes ortus ſui principatum ducunt, quæque potiſsimùm in mente ac ratione ſapientis ponitur, tria ſunt in totum, quibus omnis eius ratio explicatur.

Vnum eſt, vt, quid ſit ipſum bonum & æquum, quid iuſtitia, quæ in voluntate collocata, omnium actionum humanarum finis eſt & domina, quas ſpecies habeat, quos ordines, quas partes intelligamus: Alterum, vt principia boni & æqui, quibus in ratione ac mente ſedes eſt, teneamus: ſunt enim antecœptæ quædam [m] rerum informationes & præſcriptiones in nobis, quæ ductu & admonitu ſuo demonſtrant, quid faciendum ſit, quid non ſit: Tertium denique, vt quid ipſa lex, & quotuplex ſit, quáſue partes habeat, quam formam, & materiam, exponatur: nam cùm lex ex principijs decerpta, & ad bonum & æquum directa, ſit quaſi ſepimentum eorum omnium quæ indè conficiuntur: æquum eſt, vt poſtquàm de Iuſtitia & Iure, deque eius origine tractatum eſt, de illa quoque tanquàm vtriuſque fundamento, ſicut & in Pandectis [n] videre licet, explicetur. Et eſt hunc ordinem, tanquàm aptum & ab ipſa natura præſcriptum, ſecutus Plato. Is enim in altera ſuorum operum parte, (nam prior tantùm locos communes, ad mortem & vitam Socratis accommodatos continet) moribus & legibus in forma-

e *uide l.1.ī princi. ff. de Iuſt. & iur.*

f *tit. Inſt. de Iuſt & iure.*

g *lib.1. de perſonis, ſecundo, tertio, quarto, de rerum dominys & commercijs.*

h *lib.4. de actionibus.*

i *c. non uos. 23. q. 5. arg. l. digna uox. C. de legi.*

k *l.1. & 2. ff. de legibus*

l *l. ſi quis maior C. de tranſact. C. ad l. Iul. rep*

m *l.1. § ult. l. 2. § item Varus in fin. ff. de aqua pluuia arc. l. ſeruus. ff. de ſeru. export. l. 2. & 3 ff. de Iuſt. & Iure.*

n *tit de. Iuſt. & Iure. tit. de orig. Iuris. & 3. tit. de legibus.*

formans ciuitatem, initium facit à iustitia', cuius vim & naturam totis decem libris perpurgat: Deinde verò in Timæo & Atlantico, partim diuina principia cum naturæ obscuritate, partim humana, cum antiquitatis & rerum gestarum replicatione prosecutus, pergit tandem ad ipsam legis descriptionem, vim, & effectum, de quibus explicat in quatuor primis libris de legibus. Sed ordine singula videamus.

QVID IVSTITIA.



AIT Imperator[a]: IVSTITIA EST CONSTANS ET PERPETVA VOLVNTAS IVS SVVM CVIQVE TRIBVENDI. Quod dicitur constans & perpetua volũtas: genus illud demonstrat, sub quo iustitia cõtinetur. nam cùm duę sint principes animi partes, ratio, in qua insidet vis videndi veri ac falsi: & voluntas, quæ in prosequendo bono fugiendoque malo cernitur: euenit, vt ex illis duabus partibus tanquàm fontibus, virtutes omnes emânent ac oriantur. Et ex ea quidem parte, quę consulit & iudicat, primùm nascitur vna maxima & præclarissima virtus sapientia, quæ in arce collocata, domina est & regina totius Reipublicę. Eam sequitur fortitudo, quæ in excelsi & infracti animi magnitudine posita, & in corde locum suum obtinens, nihil est aliud, quàm scientia conseruandarum & confirmandarum opinionum, vt inquit Plato, quanquàm Aristoteles, qui magìs ad communem vsum & popularem, quàm ad limãdam subtiliter veritatem, in omnibus his in quibus à Platone discedit, accommodat orationem, paulò aliter sentiat. Postremo loco exoritur temperantia, quæ in inferioribus partibus constituta, & per totum animum leniter diffusa, est scientia temperationis & modestiæ, quæ quidem hoc efficit, vt & subditi sine querela iussa facere, & principes

a §.1. Inst. de Iusti. & Iur.

ſine inſolentia præeſſe ſciant & imperare. Ex illa verò parte, quæ expetendi & fugiendi naturam habet, quęque voluntas dicitur, vnica tantùm ducitur virtus, quæ iuſtitia nominatur, ſed cuius tamen tanta dignitas eſt & maieſtas, vt cùm nullo certo loco circunſcripta ſit, ſed per omnes animi partes æquabiliter diſtributa, ſola cum tribus reliquis conferri & comparari poſſit. Nam rationi, niſi adſit voluntas, quæ ad rerum obſcuriorum inquiſitionem impellat: animoſitati, motus quidam ac impetus, qui ad rem ſtrennuè fortiterque gerendam cohortetur: appetitioni, propenſio quædam & inclinatio, quæ ad continenter ac modicè viuendum ſit procliuis: totum porrò id quod ſupereſt, nihil eſt aliud, quàm nuda quædam, quam vocāt, potentia, quæ omnibus ſuis viribus & actibus deſtituta, nihil ſua ſpontè, nec moliri poteſt, nec agere. Quemadmodum igitur vt ad rem redeam, tres illæ primæ virtutes, in eam animi partem genus ſuum reijciunt, in qua lumen rationis ineſt & intelligentiæ: ita iuſtitia, in eam ſe refert, quæ liberæ voluntatis & arbitrij particeps eſt. Atque hoc eſt quod dicitur: Iuſtitia eſt voluntas. Et quod additur CONSTANS ET PERPETVA: illò porrò ſpectat, vt non aliter pro vera perfectaque voluntate accipiatur, quàm ſi ad habitum, & ſtabilitatem abſolutam perfectionemque ſit deducta. Nam quemadmodum ea quæ calore quodam, & impetu animi peccātur[b], non ponuntur in vitijs: ita nec ea per contrarium in virtute haberi oportet, quæ adoleſcentulorum more, repentino quodam ardore animi, quaſi vento rectè fiunt: non enim, vt vulgò dicitur, vna hirundo facit ver, nec dicendus eſt reuera temperans, qui ſe in vna aliqua libidine contineat, cùm in alijs interim pleriſque omnibus ſe effundat. Atque hoc quidem de genere. Quod porrò ſequitur: IVS SVVM CVIQVE TRIBVENDI: propriam vim ac naturam iuſtitiæ continet. Nam quemadmodum animus intelligentia, voluntate, & memoria conſtat: itemque ratione, animoſitate & cupiditate: de-

b .l. quod calore. ff. de reg. iur.

nique naturali facultate, vitali, ac animali: ita Respublica quoque quæ ad hominis imitationem est expressa, ad gubernandum[c] habet principes, pontifices, sapientes: ad tuendum[d] se, rectores, milites, agricolas: ad conseruandum matrimonia, dominiorum distinctiones, & commercia: estque in ijs proprium cuiusq; ius[e], proprium cuiusq; munus & officium in Repub. collocatum. In hoc aũt iure tribuendo digerendoque, ideo dicitur consistere propria facultas iustitiæ: quoniã eius solius beneficio fit, tum, vt omni cõfusione sublata, ad eas quisque res tenendas ac moderandas velit accedere, ad quas à natura compositus est & formatus: tũ vt postq̃ distinctio ac distributio facta est, intra suos quisque limites manere[f], & ab ijs quę ad aliorum territoriũ & iurisdictionẽ pertinent, non grauatè abstinere velit. Atque hæc quidem cùm assequitur ciuitas, rectè dicitur in vera perfectaq; sanitate constituta: quéadmodum & corpus illud, in quo vnumquodque membrum, suo fungitur officio, & ab ijs quę aliorum sunt ad se deriuandis ac traducendis abstinet. Nec velim nunc à me quæri, diuinámne an humanam iustitiam describam: describo enim perpetuam illam & sempiternam speciem formamque iustitiæ, quæ vnius tantummodo est modi, quęque licèt aliàs per res dininas, aliàs per res humanas transfundatur, eadem tamen semper & vbique perseuerat. Prętereà cuius tantus splendor est maiestatis ac decoris: vt ad eam solam, omnes vitę actiones, omnes leges ac iudicia, tanquàm ad vltimum suum finem & terminum, referantur: cuiusque solius obtinendæ gratia, omnes vbique Respublicæ, omnes populorum & gẽtium societates coadunatę sunt[g] & constitutę. Et si enim rudes & agrestes homines, subsidiorum vitę[h] quęrendorum gratia magìs q̃ virtutis, primùm omnium in vnum cõuenerint: tamen procedente tempore, & docente vsu, animaduersum est, sine virtute & iustitia, sine certis & descriptis legibus, nullã omnino Rempublicam fundari, nec si fundata sit, vllo modo retineri & in suo statu conserua-

c §. ult. Inst. de Iust. & Iur. l. 1. §. huius studij. ff. de Iust. & Iur.

d l. ex hoc Iure ff. de Iust & Iur.

e l. 1. ff. de usufruct. c. hoc Iure. 8. dist.

f l. bona fides. ff. depos. §. ult. Inst. de his qui sui uel al. Iur. sunt.

g c. si seculi 12. q. 2.

h arg. §. ius autẽ gen. Inst. de Iure nat.

ſeruari [i] poſſe. Ex quo quidem porrò intellectum eſt, non ad viuendnm modò fabricatos & in lucem editos eſſe homines, verùm & ad piè, honeſtè, & rectè viuendum. imò nec optandam penitus eam vitam, quę non ſit cum ſanctitate & iuſtitia coniuncta: quibus quidem rebus effectum eſt, vt licèt parandę quęrendęque vitę, prima hominis cura fuerit: tamen pòſt deinde multi, non ſolùm ſinguli homines, verumetiam integrę nationes & populi exſtiterint, qui ſpreta illa communi vita, in voluntariam ſeſe mortem, & exitium dederint, religionis, fidei, & iuſtitię tuendę, tanquam vltimi finis cauſa.

i c. quo Iure. 8. diſtin.

DE SPECIEBVS IVSTITIÆ.



DIVIDITVR autem Iuſtitia, quinque ferè modis: Primò diſtribuitur in duo genera: Aut enim eſt generalis & abſoluta, quæ & vniuerſalis dicitur: aut ſpecialis, quam particularem nominant. VNIVERSALIS eſt ea, quam in ſuperioribus definiuimus, omnium virtutum rectricem & moderatricem. Nam illum demum iuſtum ſimpliciter appellare ſolemus, qui omnibus de quacunque re, legibus obtemperans, virtutum omnium præſidio munitus & tectus eſt. PARTICVLARIS eſt, quam Plato popularem vocat & vulgarem, quæ ſolo eo contenta eſt, quòd nemini vel in communi vita, vel honorum ambitione, vel amplificatione pecuniæ noceat, cenſeturque cum reliquis tanquam pars quædam & membrum virtutis. Et intuemur quidem in vniuerſalem, in totius ſemper Reipublicæ deſcriptione: nam qui ſalutaribus legibus fundaturus eſt ciuitatem, non ad vnum aliquod bonum collineare debet, quo ſcilicet vel bellicis ſolum laudibus excellat, vel modeſtiam tantum & ſobrietatem vitæ colat, vel diuitijs & rerum omnium copia & vbertate affluat Reſpublica: ſed illam animo virtutem ac iuſti-

ac iustitiam concipere, & ante oculos sibi ponere debet, quę totum chorum virtutum comprehendens, quicquid in vita dissonum est auferat, & pulcherrimum quendam ac diuinissimum totius ciuitatis concentum,[a] inducat. Præterea vtimur vniuersali iustitia in Regum & princi-pum institutione, qui quidem non solùm armorum & rerum militiarum scientia decorari, sed virtutis etiam & iusti ac iniusti cognitione muniri[b] debent. Eaque propter Persarum regibus, post percepta prima iuuentutis rudimenta, quatuor solent adhiberi, qui pædagogi regij vocarentur: quorum vnus præcepta prudentiæ, alter iustitię, tertius fortitudinis, vltimus temperantiæ traderet. Iam verò in ipsarum legum enodatione, dictu mirum, quantum momenti habeat, absolutę vniuersalisque iustitię contemplatio. Nam cùm multa sint in omni legum latione, quę si sola per se posita nudaque considerentur, iniqua penitus videtur & absona: ea tamen, si ad vniuersæ Reipublicæ formam & imaginem reuocentur, facilè pro iustis & ęquis probari possunt. Ad popularem particularemque iustitiam respicimus in ijs rebus, in quibus de negotijs & rationibus priuatim publicéue contrahendis agitur: cuiusmodi sunt rerum & pecuniarum commercia, honorum & dignitatum distinctiones, quotidiani conuictus, & si qua sunt similia, à quibus fraudem[c], vim, raptionem, cędem, & alia eiusmodi semper abesse oportet. Verùm hoc intelligetur meliùs, si subsequens diuisio, quæ ex isthac efflorescit, explicetur. Est autem huiusmodi. Iustitia particularis vel est Commutatiua, (vt com muni & vsitato verbo loquar) nomen trahens à commutationibus rerum & commercijs: vel Distributiua, cui nomen ab honoribus & dignitatibus distribuendis est collatum. COMMVTATIVA est, vt rem planè & apertè secũdum Platonem explicem, quę ad æqualitatem Arithmeticam reducit. Nam in emptione ac venditione, nihil spectatur aliud, quàm precij & mercis inter se collatio. In homicidio nihil interest, seruum ne an hominem liberum

a *l.I. bona fides. c. cũ deuotissimum. 12. q. ij. Plato in I. de R.*

b *§ I. ĩ proœmio Inst. in princ. C. de Iust. C. cõfirmand.*

c *l. Iurisgẽtium § pacta. ff. de pact. l. I. ff de dol. mal. § I. Instit. ui bon. rapt toto titu. de eo quod ui met. causa*

liberum occideris: quantum enim ad .l. Cornelium de sicarijs [d] attinet, omnes homines sunt æquales. DISTRIBVTIVA est, quę ad parilitatem siue proportionem Geometricam reuocat: si enim honores conferendi, aliæ dignitates conferuntur [e] senioribus, alię iunioribus, alię doctis, alię indoctis: si pœna exigenda, non omnes inquit [f] Arrianus desertores similiter puniẽdi sunt, sed habetur ratio & ordinis, & stipendiorum, & gradus militię. Vtimur autem Commutatiua in contrahendis vltro citroque [g] negotijs, in damnis [h] resarciendis, in [i] iudicijs, & in omnibus ijs quę simpliciter & absolutè per se diiudicari & examinari possunt. Distributiuam adhibemus ad [k] honores, pœnas [l], munera [m], & vt vno verbo dicam, ad illa omnia, quę natura sui ex ipsis vel personis vel rebus apta sunt & dependentia: quę quidem in singulis magìs intellectu percipi, quàm locutione in vniuersum exprimi, & in generales regulas includi possunt. Iam verò iusticia alia est Politica, alia verò OEconomica. Politica, generalis est, & ad totam ciuilem communitatem pertinens: OEconomica, propria cuiusque familię: nam quia vnaquæq; ciuitas, ex pluribus in vnum, pedetentim confluentibus familijs iungitur, & alia ratio est singularum partium, alia totius: consequenter necessarium est, vt alia sint per quæ in commune consulatur, alia verò, quæ singulis domibus & familijs prosint, inter quæ, illa potissimum est differentia, vt ciuilia magìs in æqualitate, domestica in dominatione sint posita. Vsus verò vtriusq; sic discernitur, vt regulariter quidem communem ciuilemque iusticiam sequamur, sed in nonnullis tamen speciebus, domesticam magìs quàm ciuilem probemus, idque siue res spectemus, siue personas. Circa res [n] est traditum vnumquemque rei suæ moderatorem esse ac arbitrum, domum suam cuique tutissimum esse refugium [o]. Circa personas extat Ius quod vocatur maritale, item quod paternum, & tertio quod herile. Maritale est, quod inter coniuges exercetur, veluti cùm

d *l.1 ff. ad l. Cornel. de sicar.*

e *l. f. in uer ff. de iur. immunit.*

f *l. non omnes, ff. de re milit.*

g *l.1 ff. de contrah. emp. arg. l.2. C. de resciden. uen. lit.*

h *l. si seru°. §. tertio ff. ad l. Aquil.*

i *c. in iudicijs de reg. Iur. in 6.*

k *c. cccc39. distinct. c. qui resistit. 11. q. 3.*

l *l. nulli. C. de summa trinit. & fid. cathol.*

m *l. munerum. & l.2 ff. de mune. & honor.*

n *l. in re C. mand.*

o *l. plerique. ff. de in ius uoc.*

quæritur de nuptijs, de dotibus, de donationibus inter virum & vxorem, de iure mariti, de diuortijs & repudijs, deque alijs permultis, quæ passim sese offerunt in Republica. Paternum est, quod habemus in liberos nostros, qui[p] vel in sua potestate sunt constituti, vel manui sacrisque nostris suppositi, quos [q] olim vendere atque etiam occidere licebat, quique adeò [r] vna & eadem nobiscum censentur persona: vt nec[s] in lite contra nos consistere, nec quicquam bonorum, à rationib⁹ nostris separatorum possidere intelligantur. Herile est, qd' aduersus eos competit, qui operam nobis & ministerium suum exhibent: qui sunt vel[t] mercenarij, vel[v] proprij serui, tum ordinarij, tum vicarij: de quibus tam frequens incidit vbique mentio, vt nihil sit necesse, exemplis eam rem facere longiorem. Tantum illud opus est, vt exquisito iudicio discernamus, quibus locis hac, quibus contra illa negotium dirigi oporteat: nam ex eius rei ignoratione, tantus error consequitur imperitorum, & etiã leuiter eruditorum hominũ, vt quem in portum se recipiant, scire non possint. Quarta diuisio iustitiæ est, in naturalem, & ciuilem iustitiã, ex qua proficiscitur differentia, inter possessionem[x], obligationem[a], acquisitionẽ[b], rationem[c], cognationem[d], naturalem & ciuilem. Est autem naturalis iustitia, voluntas tribuendi, quod cuique secundum naturam debetur: veluti cùm parentibus honorem, liberis nostris victum & alimoniam præbemus. Dico autem secundum naturam, duobus modis: Vno, cùm id quod debetur, & naturale est, & constat naturali ratione, vt partum nostrum & fœtum educare. Altero, cùm id quod debetur, constat quidem naturali ratione, sed non est tamen naturale, veluti manumittere: nam vtì liberalitatem eam exerceamus, suadet quidem naturalis ratio: verùm illud ipsum quod facimus, non est sua sponte naturale, quia iure naturali non est nota manumissio[e], cùm seruitus sit[c] incognita. Præterea, ipsa quoque natura duplex est: Alia proficiscitur ex necessitatibus corporis, & est communis cum

p §.1. Inst. de his qui sui uel al. iur. sunt
q l. in suis ff. de lib. & post h.
r l. ult. C. de impub. & al. subst.
s l. lis nulla. ff. de Iud.
t l. idonei. ff. de testib.
v §. serui. inst. de Iur. pers.
x l. 1 §. deijcitur. ff. de ui & ui armat. arg. l. pupillus.
a ff. de act. & ob. lig.
b §. singulorum Inst. de rerũ di
c §. 2. Inst. de nupt.
d §. ult. Inst de legit. agn. tut.
e §. 1. Inst. de libert.

nis cum beluis : vt maris & fœminæ[f] coniunctio : Alia oritur ex mente ac ratione diuina : veluti Deum colere : parentibus & [g] patriæ obedire : contingitque sæpenumero, vt vna ab alia dissidere, & inferior aliò, superior aliò ducere videatur, quemadmodum fit & in ijs quæ priori modo differunt, quod & valde notandum est. Ciuilis iustitia est, voluntas tribuendi, quod cuique secundum ciuilem authoritatem, & meram principis voluntatem debetur. Nam quemadmodum naturalis, boni & æqui radicibus defigitur, ita ciuilis solo legislatoris placito continetur. Si enim quæras, cur septem potiùs quàm octo[h] testes requirantur in vltimis morientium voluntatibus, cur duo[i] magìs quàm sex anni propositi sint in exceptione non numeratæ pecuniæ, vix est, vt aliud quàm nudam legislatoris voluntatem & placitum adferre possimus. Sed cur tam variè? inquies, cur non eodem vtimur in omnibus iure? Certè rerum varietas & diuersitas, diuersas iuris formas peperit. Quędam sunt in humanis negotijs, quę via quadam & ratione commodè ducuntur à principijs naturæ : quędam nihil minùs; sed pertinent ad solius principis & legislatoris iudicium: quædam media sunt & ex vtrisque mixta, quæ & suum nomen mutuantur ab eo, ad quod magìs inclinare & propendere videntur : atque hoc est quod ab initio proposuimus, Ius esse artem diiudicandi, quid in quaque re bonum, quid æquum sit, quatenus cuiusque natura patitur. In ijs spectatur solius naturæ vis ac bonitas, quæ directò pertinent ad naturæ vel conseruationem vel dissolutionem : quæque manifestam habent iusti & iniusti rationem, vt vim vi[k] repellere: id pati fieri, quod alijs prodesse potest, nobis autem non nocere[l]: hoc enim suggerit æquitas, inquit Paulus, etiam si iure scripto deficiamur. Et si autem in hoc genere inter ipsos quoque Iureconsultos sæpe, vt dixi, exsistat quæstio, ad inferiorémne naturam referenda res sit, an verò ad superiorem[m]; tamen vsus & exercitatio

f § 1. Inst. de Iur. nat.

g l. veluti. ff. de Iust. & Iur.

h §. 2. Inst. de testament.

i l. ult. C. de non num. pec.

k l. ut vim. ff. de Iust. & Iur.

l l. 2. §. idem uarus. ff. de aq. pluu. arcend.

m l. In rem ff. de rei uend.

facilè docet, quid in quaque re ſequendum ſit, quid non ſit. In illis autem ad ciuilem authoritatem & legem confugimus, quæ Indifferentia dicuntur Philoſophis: veluti cùm de teſtium numero quæritur, in mancipationibus, ſtipulationibus, teſtamentis: de certa quantitate pecuniarum in pœnis & multis: de annis vſucapionis, & non numeratæ pecuniæ, in dominijs & commercijs, déque alijs conſimilibus infinitis, quæ ſeipſa facilè produnt. Medij generis ſunt, quæ habent quidem naturalem quandam æquitatem in ſe relucentem, ſed eam non tam momentoſam, vt per ſe ſine adminiculo legiſlatoris ſufficiat ad neceſsitatem obſernationis imponendam. Nam exempli gratia, facere promiſſa iuſtum quidem eſt & naturæ conſentaneum[n]: ſed tamen ſi nudum eſt pactum conuentum, nulla naſcitur[o] actio, niſi per legem adiuuetur[p], & in vnum coëant naturalia pariter & ciuilia iura. Quo caſu ſiquidem plus proficiſcitur à voluntate legiſlatoris quàm à natura, totum negotium dicitur legitimum, veluti in ſtipulatione. Si per contrarium plus à natura, minus à lege, naturale: veluti in actione conſtitutoria, in emptione & venditione, in locato & conducto. Illud hoc loco obiter annotádum, quo tádem ſcilicet modo fiat, vt cùm omnium ciuitatum & populorum leges in tanta diſſenſione & varietate videantur conſtitutæ, reipſa tamen conueniant inter ſeſe & quaſi conſpirent. Nam ſi in ijs conſentiant, quæ ex primis naturæ ſeminarijs & cœptibus delibantur, nihil prohibet quo minùs omnes iuſtæ rectæque dici poſsint, licèt diſcrepent in alijs, quæ voluntatibus hominum & affectionibus gubernantur. Nam etiam in homine, ſi adſpicias ad veram & interiorem eius naturam, nihil vnum vni tam eſt ſimile, quàm homo eſt hominis: ſed ſi ad externos mores, & externa corporis lineamenta reſpicias: tanta eſt varietas, vt ne vnum quidem ex omnibus ſeculis par hominum memoretur, quod nõ aliqua nota diſtingui & dignoſci potuerit. RESTAT vt de iure & æquitate nonnihil diſſeramus: Nam quinta & vlti-

n l. 1. ff. de conſtit pec.
o l. iuriſg. §. ſed cum nulla. ff. de pact.
p l. legittima. ff. de pact.

& vltima in hoc ordine descriptio est, vt aliud strictum ius dicatur, aliud bonum & ęquū. STRICTVM illud vocamus, quod directò, sine vlla circuitione, & ad lineam (vt ita dicam) ostendit, quid in quaque re amplectendum sit, quit repudiandum, solam veritatem & cognitionem ob oculos habens. Quemadmodum enim Mathematicus, montium, vrbium, & regionum interualla demonstrans, rectam duntaxat ducit lineam, nihil admodum curans, viarum ac itinerum ambitus ac anfractus: ita etiam restricti & summi iuris ratio, prætermissa commoditate agendi & exercendi, in id solum intuetur, ad quod à ratione & intelligentia deducitur. BONI & æqui diuersa natura est: nam nimia illa scrupulositate iuris & subtilitate dissimulata, id solum sequitur, & ad id se accommodat, quod in medio versatur, quodque actus hominum & vitam ac mores instruit, non aliter atque nautæ solent, qui cùm intelligunt recta via nauigari non posse, explorant, quibus circuitionibus factis, quibusque scopulis, arenis, & breuibus vitatis, ad destinatum locum queant peruenire. Atque ita quidem manifestò quoque intelligitur, non ad alium quidem finem in iusto exquirendo, ad alium in bono & æquo spectari: sed hoc tantùm interesse, quod illud natura sui ad veritatem limandam sit directius, hoc ad res aptè gerendas accommodatius: ita tamen vt vtrunq; vtriusq; sit particeps. Nam regulariter certè tanta tenentur inter sese coniunctione [q], vt alterum ab altero ne nomine quidem seiungatur, & omne quod iustum est, idem quoque simul æquum, & è contrario quod æquum, idem quoque iustum dicatur.

[q] Vid. not. in l. [illegible] ff. de Iustit. & Iur. Arist. li. 5. Eth.

Sed existunt nonnunquàm causę, quæ faciunt, vt aliud in iure esse videatur, aliud in benignitate: quę quidē in vniuersum sunt duæ. Vna est, cùm res subiecta tam obscuros & difficiles habet explicatus, vt secundum communes iuris regulas nihil possit constitui, quod non falsum confestim reperiatur [r]: tunc enim ad exitum inueniendum necessarium est, vt æqui & boni ratio ineatur; quemadmodum

[r] l. qui quadraginta. ff. ad l. Falcid.

modum vſu venit in ijs, quæ inſolubilia, in ſe redeuntia, præpoſtera, aſyſtata, intricata vulgò dicuntur: veluti in hac ſtipulatione duobus ſeparatim facta: Si fundum[s] Tuſculanum illi non dederis, mihi dare ſpõdes? Altera cauſa eſt, cùm negotiũ Iure quidem conſiſtit, & definiri poteſt: ſed ob cauſam aliquã id fit ponderoſius quod æquum bonum eſt, q̃ quod iuſtum, veluti in Publiciana[t], Seruiana[v], & alijs eiuſdem exempli. Nam in ijs ſi merum Ius ſequare, non facis quidem alienum à recta ratione: ſed tamen ſi cum benigni Iuris momentis ponderes, tot partibus inuenitur ab eo ſuperari, vt res ipſa ſtatim doceat, hoc potiùs, q̃ illud eligi oportere. Præterea quoq; ſi ſubtilior & ſcrupuloſior eſt Iuris ratio, q̃ communis vitę vſus deſiderat: regulariter probatum eſt, ſimplicitatem[x] magis q̃ difficultatem ſequi: & hoc eſt quod ſæpe admonent Conſulti noſtri, ἐν πλάτει[y] & παχυμερέστερον[z] ſiue craſſa Minerua negotium eſſe diiudicandum. Quemadmodum & in illis ſpeciebus, in quibus ex nimis ſtricta iuris obſeruatione, leges omni vi, effectu, & poteſtate ſua ſpoliantur: tunc enim id potiùs debet valere, qđ aptius, cõmodius, & vt ſæpe ponitur in legibus, vtilius[a] eſt. Idcq; obſeruatur, ſi durior ac inhumanior euadat Iuris interpretatio, quàm ſatìs eſt, quamq; legumlationis liberalitas patitur: nam in his caſibus, hoc potius ducimus, quod humanitate quadam & benignitate temperatum & quaſi conditum[b] eſt. Nec enim omnia ſunt ad viuum reſecanda, ſed ad communem hominum vtilitatem, quantum fieri poteſt, referenda. adhibita tamẽ ſemper diligenti cautione, ne per inanem æquitatis ſpeciem decipiamur: nam ſæpe fit, vt nonnulli, dum[c] nimis lenes, mites, & benigni videri cupiunt, laxi potiùs & remiſſi, q̃ iuſti & boni euadant. Illud etiam atq; etiam reſpiciendum eſt, vt ne quid aut durius aut remiſſius conſtituatur, q̃ cauſa depoſcit: quia non aut ſeueritatis, aut clementiæ gloria affectanda eſt, ſed perpenſo iudicio, prout quæque res expoſtulat, ſtatuendum[d]. Hæc ergo de varijs iuſtitiæ ſpeciebus.

DE GRA

s l. Titius ff. de uerbo. oblig.

t §. namq; Inſt. de act.

v §. Item Seruiana Inſt. de act.

x §. cæterũ uerſ. et hæc, Inſt. de legitt. agnat. ſucceſſ.

y l. in hac ff. de cõdic. triticar.

z l. quam tuberonis, ff. de pecul.

a l. 1. §. pen. ff. de act. & oblig. l. 4. §. ſi is qui ff. de uerb. oblig.

b l. ſi tibi ff. ſi cert. pet. l. placuit. C. de iud.

c l. ſi ſeruum, §. ſequitur ff. de uerb. oblig.

d l. reſpiciẽdum, ff. de pœn.

DE GRADIBVS IVSTICIÆ.



VNT nonnullæ aliæ differentiæ, quæ mediocritate magis & ordine siue gradu, quàm specie distinguũtur. Sic enim dicimus iusticiam aliam diuinam esse, aliam humanam. Et est quidem DIVINA, quæ virtutes perfectas, & omnibus numeris absolutas requirit, & vitia non solùm ipsa tollit, verùm etiam illecebras omnes & occasiones vitiorum: veluti cùm præcipitur, ne resistere quidem malo, non iurare[a], nullam habere curã futurorum, cum nonnullis alijs. HVMANA verò, quæ solis honestis actibus contenta, id existimat cumulatè perfectum, in quo media quædam officia comparent, quodque est sine manifestario ac aperto scelere, licèt ipsarum radicum particulæ quædam & quasi fibræ in animis remaneant. Atque vtimur hac humana, in communi vita, quæ circa rerum dominia, circa contractus, circa iudicia, circa honores versatur. Nam quia non viuitur cum perfectis hominibus, sed cum imperfectis, non potest fieri, vt id apud populum, & circa res populares obtineas, quod rectum, perfectum, & plenum [b] est. Sic namque dicimus cogitationes pœnam [c] non mereri, non nocere conatum, si eum nullus sit sequutus [d] effectus. DIVINAM iusticiam adhibemus ad ea, quæ ad verum Dei cultum, & ad ipsas religionum sanctitates pertinent. Quanquàm enim M. Varroni sit quędam Theologia quæ Ciuilis dicitur: hoc non tam de ipsis elementis & principijs diuini officij, quàm de alijs quibusdam, cum eo cohærentibus, est accipiendum. Si de Dei, vt ita dicam, natura: si de Fide, si de Sacramentis tractetur: nihil conniueri oportet, nihil, ne apex quidem vnus, immutari. Cæterùm si de iureiurando [e], de diuortijs, de fœnore, de castitate, de concubinatu, alia res est: Nam in ijs & similibus videndum, non solùm quid rectum & iustum, verùm etiam quid

a *Vid. c. etsi Christus ext. de iureiur.*

b *c. deniq; 4. dist.*

c *l. cogitationis, ff. de pœ.*

d *l. 1 in fi. ff. quod quisque iur.*

e *d. c. etsi Christ.*

quid in populis probari, & obtineri possit: Item quid temporum [f], quid locorum diuersitates, quæ vtique in ijs dominantur, quibusque adducti, multa pòst mutanda facimus, suadeant. Nam alioqui qui intempestiuè, & in idoneo loco, exactissimam illam vitæ rationem inducere student: plus nocere plerunque Reipublicæ, quàm commodare & prodesse creduntur [g]. DIVIDITVR etiam iusticia in Internam, & Externam. INTERNA est, quæ iubet, vt ne quis in aliũ minùs, quàm seipsum, sit animatus. EXTERNA permittit proprijs commodis [h] seruire, modò id fiat sine alterius damno & iniuria. Quantum ad vsum vtriusque attinet, Philosophus eam præcipuè colit, & ad vsus suos adiungit, quæ animum informat ac mentem. Ciuilis verò legumlator vtplurimùm iudicat secundum ea, quæ foris apparent, & quæ manibus teneri ac prehendi possunt. Dico autem vtplurimùm: quoniam in multis speciebus non satis est abstinere ab iniuria, verùm etiam oportet prodesse si possis: veluti si de publica salute ac incolumitate tractetur [i]: si in extrema necessitate socius constitutus & collocatus [k] sit: si sine vllo tuo detrimento ac molestia, valde alij prodesse & commodare [l] possis. Iam verò & iusticia alia Inchoata est, alia Perfecta. PERFECTA est, quæ recta siue plena dicitur, & nihil requirens. INCHOATA, quæ rudis adhuc & impolita, contenta est mediocritate officiorum, in quibus elucent principia quædam & adumbrationes virtutum. In plerisq; sufficit eum vitę cursum tenere, qui mediocris sit, & igniculos quosdam & significationes virtutum habeat, licèt progressiones non ita magnę adhuc factę sint. In nonnullis ea requiruntur, quę absoluta sunt, & plenè cumulatéque perfecta. Exstat apud Plotinum & reliquos qui à Platonis familia manarũt, & alia diuisio, quę quadripartita est, & omnes tres su prascriptas amplectitur: Statuũt enim virtutes, alias Politicas, alias Purgatorias, alias Purgati animi, alias Exẽplares. Et sanè queadmodum totus huius mundi cõplexus, siue

f c. ut constitue retur, 50. dist.

g d. c. denique.

h l. in causæ 2. § idẽ Pompo. ff. de minor.

i l. si quis forte, ff. de pœn.

k l. 2. § inde agitatum ff. ad l. Rhod. de iact.

l l. 2 § item Varus, ff. de aq. pluu. arcend.

siue sit adspectabilis, siue inadspectabilis, sic est diuisus, vt Infima eius regio cedat primis corporibus & rerũ omnium elementis: Secunda diuinis ignibus, & illi, quam quotidie tuemur cœlesti descriptioni: Tertia dijs & dęmonibus, qui perpetua supremi numinis luce circunfusi, humanarum rerum curam & procurationem sustinent: Quarta deniq; ipsi architecto, & supremo rerum omnium opifici, & gubernatori Deo: ita etiam virtutes, quę ex ipsis mundi plagis & ordinibus desumuntur, partim communes sunt & populares, quę illam sapientiam pariunt, quę carnalis Diuo Paulo dicitur, & huius mundi: partim naturales ac Philosophicę, & nonnihil supra vulgi captum positę, ex quibus nascitur sapientia animalis, quę & principum huius mundi vocatur: partim diuinę & cœlestes, quę supra naturam collocatę, gignunt eam sapientiam, quę spiritalis dicitur: partim denique primę ac summę, cum quibus coniuncta est ea sapientia, quę totum hoc vniuersum perpetuo suo nutu ac numine moderatur, cuiusque solius participatione, omnia illa, quę vel sensu accipiuntur, vel prouisione mentis & permotione prehenduntur, bona fiunt & iusta. Si quęras, in quibus casibus hęc, in quibus illa præponderare debeat: id partim è supradictis intelligi potest, partim longo vsu & consuetudine arripiendum. Nam quemadmodum generalem formulam constituere perfacile est: ita omnia quæ vel in sensum vel intelligentiam nostram cadunt comprehendere, longè difficillimum. Verùm vt boni ratiocinatores negotiorum esse possimus, & addendo deducendoque videre, in quamspeciem partémue iusticiæ quæque res cadat: capienda & consuetudo & exercitatio, quę quidem non solùm agẽdarum in Republica, verumetiam intelligendarum rerum magistra est & domina.

DE PAR-

DE PARTIBVS IVSTITIÆ.



PARTES iustitię sunt in vniuersum duę: Vna quæ auocat nos & detrahit à malo: Altera quę hortatur & exsuscitat ad bonum. Et mali quidem, vt de eo priùs dicam, duplex via est. Vel enim ea pars animi laborat, in qua inest vis rationis & intelligentiæ: vel ea, in qua insunt motus & iactationes appetitionum. Prius genus, vitium animi appellatur: Posterius, morbus. Tunc autem grauiter læsam, & valde vitiosam dicimus ciuitatem, cùm errore, & earum rerum ignoratione vagatur, quæ ad bene beateque viuendum pertinet. Quod quidem vitium vt euitetur, constituti sunt in ciuitate, qui authoritate [a] publica populum, & in quo maximum est momentum, iuuentutem doceant, & rationem ad veritatem reuocantes, errores illi omnes, quo ad eius fieri potest, eripiant. Illi verò capitales sunt, & maximam partem sceleris aggrediuntur, maximóque digni sunt [b] odio, qui cùm nullam veræ rectæque scientiæ partem attigerunt, spretis legibus, se solos veritatis & scientiæ magistros profitentur. Plato inscitiam eorum, duplicem vocare solet, quæ quidem si verbis & disputatione Philosophorum curari nequit, vinculis [c] & carcere fatigari, & publicorum iudiciorum seueritate coërceri debet. Quantum attinet ad ea peccata, quæ in consuetudinum prauitate consistunt, triplex est ratio. Quædam sponte contrahuntur, & vocantur voluntaria: Quædam inuitè, quæ nec voluntaria dici possunt: Quædam tertio quodam modo, quæ media, & inter vtrunque genus interiecta licet appellare. Voluntaria sunt, in quibus fraus inest & dolus, cuius tantum est vbique [d] odium, vt ne vnus quidem toto iure ciuili casus reperiatur, in quo fraudulosa machinatio, quæ quidem ad rem pertinet, maneat impunita. Nec voluntaria vel externam habent causam, vel internã. Externa, semper & indistinctè meren-

a *c.x. de magist. in clem.*

b *c. cum secundum ll §. bona. de hæret. in 6.*

c *l. Manichæos. C de hæret. l. 2 C. ne sac. bapt. reit.*

d *l. Iuris gent. § dolo. ff. de pa.*

merentur excuſationem: nam ſi ventorũ fortè vi quis raptus, damnũ dederit, nullo dicitur nec ſcelere, nec facinore obſtringi[e]. Interna, non eandem habẽt rationem: nam ignorãtia facti, etſi vt plurimùm vacat culpa, nõnunquàm tamen euenit, vt in reprehenſionem & crimen incurrat: veluti ſi res atrocior ſit: ſi exemplo noceat[f]: ſi is qui deliquit, ipſe ſibi accerſiuit malum, vt ebrius[g]. Plerunque tamen vt dixi, quod per errorem facti committitur, fortunæ magìs & fato, quàm ipſis hominibus imputatur[h]. Qui medio quodam modo peccant, partim affectu & inconſiderato quodam impetu, veluti ira, metu, miſericordia turbati & extra ſe poſiti, delinquunt: partim culpa & negligentia. Quæ priori modo fiunt, leuiora & venia ſubinde digna[i]: quę poſteriori, grauiora, quaſi cogitatò magìs & conſultò commiſſa iudicantur[k]. Atque hæc de illa parte iuſtitiæ, quæ abducit nos & auellit à malo. IAM illa verò pars, quæ ad bonum aliquod allicit & inuitat, tribus membris diſtribuitur: Vnum, mentis eſt & animi, cùm ſcilicet aduerſus Deum ſanctitas, erga homines liberalitas, in defunctos pietas, in toto animo prudentia, fortitudo, temperantia, & iuſtitia exercetur. Secundum, corporis, cum publicis certaminibus & exercitijs[l] propoſitis, id curant legumlatores, vt robuſtã, integram, ſanã, bene formatã, & in omni genere exagitatã habeant iuuentutem. Tertium denique, fortunæ, cum de pecunia populi & poſſeſsionibus tractatur: cùm honores, dignitates, munera, triumphi decernuntur ijs, qui pręclara & nobilia virtutũ exempla, in Republica conſtituerunt. Sed iam mihi ſatis videor dixiſſe, quantum quidem inſtituta breuitas patitur, de fine iuriſprudentię, iuſticia. Illud tantum arctè teneamus, & iterum atque iterum vt meminerimus, oportet: in omni deliberatione, ſemper ad aliquam horum partem circunſpiciendum, & quaſi collineandum eſſe. Niſi enim quis iuſticiam & omnium virtutum chorum ante oculos habeat[m], non poteſt fieri, vt non eum ęſtus appetitionum abſorbeat, & nunc

e l. in lege ff. ad l. Cornel. de ſic.

f l. ſi quis aliquid. ff. de pœn.

g l. omne delictum. §. per vinum. ff. de re milit.

h l. 1. C. ad. l. Cornel. de ſicar.

i l. quæ calore ff. de reg. Iur.

k l. aut facta. ff. de pœn.

l l. qua actione §. ſi quis ff. ad l. aquil.

m l. quod ſi Ephe. §. in ſummis ff. de eo quod cert. loc.

nunc his, nunc illis opinionum fluctibus obruat & impellat. Hoc ſolo ſcopo propoſito, poteſt demum obtineri perfectiſsimum illud ciuitatis genus, quod ſapientia, concordia, & rerum neceſſariarum copia conſtat. Idque ita ſcriptum reliquit Deus ille Philoſophorum Plato, quem & Ariſtoteles & Cicero ſunt ſequuti, ex quibus alter ſtudijs doctrinæ, alter regenda ciuitate princeps fuit. Quorum porrò veſtigijs inſiſtentes, noſtri Iuriſconſulti ſua illa pręclara nobis monumenta, tum reſponſorum,[n] tum diſputationum, reliquerunt, quę quidem ſine aliorum lectione, habent quidem ad incitandum ſatìs, verum ad exactam Iuris artem conſtituendam, non omnino ſatìs. Sed nos ſubinde ad Philoſophos, ſubinde ad Iureconſultos reſpectantes, damus operam, vt ſi non plenam & perfectam, ſaltèm adumbratam quandam & extremis lineamentis circunſcriptam Iuris artem, approbante Deo proferamus.

n l. eum quidā. ff. de li. & poſt. n. l. munerū. §. mixta. ff. de mu. & hon.

DE PRINCIPIIS IVRIS, ET EORVM DIVISIONE.




DEinceps veniendum eſt ad eam partem inſtituti ſermonis, quæ fontes & principia Iuris continet. Nam haud ſatìs eſt finem & ſcopum, ad quem contendas, cernere, niſi ſimul etiam viam & rationem teneas, qua eò poſſes peruenire. Certè quemadmodum ſupraſcriptum de iuſticia caput, pulcherrimos habet explicatus de natura voluntatis humanæ: ita præſens in quod nunc ingredimur, luculenter aperiet nobis, vberrimos illos mentis & intelligentiæ fontes, quorum curſus & ſcaturigo tam latè manat, vt omnes Iuris & iudiciorum campos irriget. Nihil eſt, non dico in Iure Ciuili, ſed nec in tota humanitate, quod ita nobis enudat, quātam vim rerum maximarum humana mens poſſideat, cuius muneris colendi & efficiendi cauſa nati

& in lucem editi ſumus: vt hæc de principijs & origine Iuris tractatio, cuius tanta dignitas eſt, tantaque ſententia, vt præter hoc quod ſummam adfert liberalibus ingenijs voluptatem, vel ſola ſine alijs perfectum Iureconſultum efficere poſſit. Sed venio ad ipſam expoſitionem principiorum, de quibus priuſquam dicere aggrediar, patefaciam paucis, fontes illos & ſcaturigines, è quibus hauriri & deriuari debent. Primum de illo nemo dubitat, quin homo, & tota humana natura, ciuilis ſapientiæ ſit ſubiectum. Nam quo modo ouium, boum, caprarum rectores: eodem etiam ciuitatum & rerum publicarum gubernatores, apud Homerum, paſtores appellantur. Quemadmodum itaque is qui pecori præfuturus eſt, paſtionem, nutricatum, fœturam, breuiter totam eius indolem cognitam habere debet: ita etiam eum qui populos temperaturus eſt, tum animi ſui complicatam notionem euoluere, tum quæ totius humani ingenij conditio ſit, ante omnia inquirere & tentare oportet, & ex ea totius vitæ quaſi cœptus & ſemina inuitamentaque colligere. Verum vt ad eam vſque cognitionem peruenias, neceſſarium porrò eſt, vt aliarum quoque maximarum rerum & artium ſcientia, tinctus ſis & imbutus. Quia enim homo, ad totius vniuerſi formam fictus & expreſſus dicitur: opus eſt, vt ad eius naturam exquirendam, in vniuerſum mundum, qui omnia continet & coërcet, intueare. Et ea propter ſummus ille legulator Moſes, & vt Panætius dicere ſolet, Homerus Philoſophorum Plato, quos ambos ſequutus & interpretatus eſt Iudæus Philo, ſuam legumlationem orſi ſunt ab ipſius orbis & naturæ principatu. Quin & altiùs attollenda eſt cogitatio. Nam cum Dei Optimi Maximi effigiem, dedicatam in nobis, & quaſi conſecratam habeamus: cui dubium eſſe poteſt, quin, ſiquidem & nos, & mundum hunc intelligere velimus, ad ipſum fabricatorem & rerum omniũ opificem Deum adſcendere debeamus: quem quidem ſi tota mente prehenderimus, inueniemus pro-

fectò, non vmbras rerum & simulachra, sed ipsas primas formas & species, quæ Ideæ nominantur: quæque impressę ac consignatæ in animis nostris, efficiunt illas perpetuas commendationes ac præscriptiones naturæ, quæ anticipationes & communes notiones vocari solent. Atque hæc est causa, cur Moses, Plato, Zaleucus, Charondas & alij ab ijs Theologi, & veri rerum publicarum fundatores, libros suos ordiantur, ab ipsius boni, & diuinæ mentis explicatione: cui deinde sudijciunt, tum mundi totius originem & processum, tum hominis, qui quasi nodus est omnium, vitã & mores: nam his tribus, vt iam dictum est, perceptis, nihil est facilius, q̃ porrò de reliqua legumlationis parte, si modò vsus aliquis accedat & exercitatio, iudicare. Sed de primordijs, vt redeat, vnde deflexa est, oratio, & incunabulis principiorum, satis. Nunc autem ipsa, quæ ex ijs fluunt, principia, tripartitò diuiduntur, idque ad similitudinem rerum naturalium: vel enim sunt vniuersalia, vel generalia, vel particularia. VNIVERSALIA voco, quæ per omnem omnino naturam sunt diffusa, siue ea sit animata, siue inanima. GENERALIA, quæ propria sunt animaliũ, & ad eorum naturas accommodata: siue ea sint mente ac ratione prędita, siue bruta. PARTICVLARIA deniq;, quę singulis rebus & actionibus, veluti nuptijs, tutelis, testamẽtis adhibentur: nam totidem ferme sunt principiorum particularium, quot sunt negotiorum & actionum humanarum, genera. Sed hæc de vniuersis, nunc de singulis.

DE VNIVERSALIBVS PRINCIPIIS.



Niuersalia principia, vel primaria sunt, vel secundaria. PRIMARIA sunt duo: Vnum [a], vt ea, quæ mala sunt & noxia, fugiamus: Alterum, vt quæ bona sunt & salutaria, prosequamur. Nam omnes res ac naturæ sic à primordio sibi ipsæ sunt commendatæ, vt ea, quę dissolutionem minantur, reformident:

a arg. c. nõ satis 85. dist.

mident: quæ conſeruationem pollicentur, amplectantur & ambiant. Atq; eſt id ita quidem comparatum, ex ipſa totius vniuerſi conſtitutione, quæ partim mentem boni omnis inuétricem: partim neceſſitatem, depultricem mali, habet authorem. Et ideo, ſi quis non inſubtiliter, tum in totius Iuris, tum in ſingularum legum vim & rationem inſpiciat, reperiet nihil exſtare, quod non, vel mali alicuius declinandi, vel boni conſtituendi cauſa, ſit introductum. SECVNDARIA præcepta ſunt [b] tria. Honeſtè viuere: Alterum non lædere: Ius ſuum cuique tribuere. Ideo autem illo nomine funguntur: quia quemadmodum primaria ferũtur ex primis totius naturæ fontibus, mẽte ſcilicet & neceſſitate: ita iſta ſecundaria, naſcuntur à ſecundis, voluptate nimirum & dolore. Ex illis inter ſe miſtis & confuſis, exoritur cupiditas & amor, vt eſt apud Platonem, qui duplex eſt. Si æquabilis & temperata eſt commiſtio, progeneratur diuinus ille & cœleſtis amor[c], qui ad liberalitatem, beneficentiam, pietatem, charitatem patriæ, benemerendi referendæq; gratię ſtudium, & ad participandum alium cum alio, nos inuitat: quiq; omnium communitatum & conſociationum inter homines, cauſa eſt, & quaſi vinculũ. Si contrà ſine iuſta proportione & modo, fiat commiſtio: procreatur ille amor, qui terrenus dicitur, quiq; homines, in ſui ipſius admirationem rapiens, omnem confeſtim amicitiam diſrumpit, & humana pariter ac diuina peruertit. Etenim inferiorem animi partem, illecebris voluptatum, & libidinum titillatione pertentat, & à virtute detorquet. Superiorem, irarum flammis, & contentionibus ac ambitionibus honorum accendit. Vtramque ſimul, ita opum & pecuniarum cupiditate contrahit & inflãmat: vt homines, nullius amplius cõiunctionis & amicitiæ memores, eos, quos tutari debent, deſertos eſſe patiãtur, & nihil amplius ſtudij operæ, facultatum, in mediũ afferẽtes, in illo ſe ſolùm collocent, vt cuique ſuum detrahere, ſui emolumenti gratia, & omnes omniũ vtilitates ad ſe traducere,

b §. Iuris Inſt. de Iuſt. & Iure.

c l. ut vim. §. & cum. ff. de Iuſt. & Iu. l. ſeruus ff. de ſer. export

& ad vſus ſuos adiungere, poſſint. Vt ne igitur hæc & huiuſmodi eueniant, & tota hominum communitas inter ipſos euertatur: ſapientiſſimè collatæ ſunt nobis, tres illæ ſupraſcriptæ præceptiones, quæ in animis noſtris incluſæ, fœditatem omnem turpificatæ mentis & labem auferunt, & in rationis ac doctrinę tanquam gyrum deducunt. PRIMVM præceptum, eam animi partem con trahit & coërcet, quæ alacritate nimia geſtire, & in omne genus cupiditatum effuſior eſſe ſolet, curatque ne quid in ciuitate [d] libidinoſius aut dicatur, aut fiat. SECVNDVM ad eam refertur, quę ſupra modum excandeſcere, & inſolentiùs ſeſe iactare conſueuit, per quod etiam fit, vt iniuria, dolus [e], fraus, rapina, vis omnis ac [f] violentia cohibeatur. TERTIVM denique, caput ipſum malorum omnium auaritiam aggreditur, prohibetque ne aut pactionum [g] fidem quis deſerat, aut falſa [h] inſtrumenta, teſtamentáue ſupponat, aut dominiorum proprietates ſubuertat, aut alio tandem quouis modo, in res & poſſeſſiones alienas inuolet, & aliorum ſpolijs, ſuas facultates, copias, opes augere & amplificare contendat. Et ſanè cùm primaria illa duo præcepta, rationis compotem animi partem, in qua prudentia & perſpicientia veri, ſolertiaque ineſt, inſtruant: hęc tria ſecundaria, ſic videntur conſtituta, vt ad tres reliquas virtutes inducendas, comparatæ videri poſſint. Quod enim dicitur: Honeſtè viuendum eſſe: nihil aliud, quàm temperantiam, modeſtiam, verecundiam, continentiamque ſignificat. Quod Alterum non lædendum: excelſi ac inuicti animi magnitudinem, & humanarum rerum contemptionem, requirit. Quod Suum cuique tribuendum: iuſticiam ipſam deſiderat: cuius vis & poteſtas in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique, & rerum contractarum fide, cernitur. Pręter hæc autem duo genera principiorum, nulla alia reperiuntur, quantum quidem ego iudico, quæ vniuerſalia rectè dici poſſint.

d l. fœdiſſimam. l. etſi libidine. C. ad l. Iul. de adult.

e l. eleganter ff. de dol. mal.

f l. exſtat & tot. tit. ff. de eo qd vi met. cauſ.

g l. 1 ff. de conſt. pec. c. 1. extr. de pact.

h toto tit. ff. & C. ad l. Cornel. de falſ.

DE PRIN

DE PRINCIPIIS GENERALIBVS DIVINIS.



ENERALIA præcepta tripliciter diuiduntur: vel enim diuina ſunt, vel naturalia vel externa. DIVINA dico, quæ principem animi partẽ, quæ mens vocatur, obtinent: ſuntq́; homini, cum dijs immortalibus cõmunia. NATVRALIA, quæ ex inferioris animi & corporis temperatura emergunt, & tam beluis quodammodo, quàm hominibus inſunt. EXTERNA tandem, quę foris & ex accidenti aduenìunt, & ſubinde cœleſtem, ſubinde terrenam hominis partem afficiunt. Nam ſi ipſe homo, mente conſtat, vita, & rebus externis: item mundus, alius eſt diuinus & inadſpectabilis, alius cœleſtis, alius terrenus & corruptioni obnoxius: cui dubium eſſe poteſt, quin & ipſa principia, quæ ex illis arripiuntur, & excipiuntur extrinſecùs, totidem quoq; numero eſſe debeant? Primùm autẽ videndum eſt de diuinis, quibus vitam & mores formamus, quæq́; duo habent prima ſummaque rerum agendarum capita. Prius eſt[a], vt Deum Optimum Maximum amemus, ex toto corde noſtro, tota anima noſtra, tota mente noſtra, & totis viribus noſtris. Poſterius[b], vt alios vbique homines, non minore beneuolentia, quàm noſipſos, comprehendamus. Ad hæc duo principia, redeunt omnia, quæ vel Moſaicis tabulis, vel gentium & populorum legibus, vel Philoſophorum & ſapientum placitis, continentur. Qui puram perfectámque religionem ſuſcepit, non poteſt[c] non à corporis obſequio indulgentiaque diſcedere: & voluptatem, ac dolorem, ſicut labem aliquam dedecoris, vnà cum tota carnis ſocietate, eijcere. Qui ſic eſt affectus aduerſus totum genus humanum, vt non alios coniunctos & populares, alios peregrinos & ignotos ducat, ſed omnes æqualiter pro fratribus ac germanis colat: is nunquam committet,

vt vel

a *c. quæ contra 8. diſt. c. ſi is q 2. q. 3.*

b *c. debet homo 23. q. 4. §. charitas de pœn. diſt. 2.*

c *§. charitas. de pœn. diſt. 2.*

vt vel superbiùs se gerat, vel alijs pręponat, vel aliud denique quid agat, quod contra boni viri officium, & communem vitæ tranquillitatẽ & conuictum esse[d] videatur. Quid multis? non peccabit vnquã in vllam partem, nec in vllo officio claudicabit, qui hisce duobus muneribus subornatus, in vita deget: non indigebit alijs virtutũ & vitiorum pręceptis, quibus ad omnes vitę vsus & partes sibi prospiciat. Hisce enim duob⁹, omnia inclusa & inscripta sunt, quæ tota passim natura, vel inueniri, vel etiam excogitari possunt. Sed quoniã tamen, tanta est humani iudicij corruptio & caligo, vt omnia quæ rebus insunt, ingenij sui acie peruadere, & in lucem eruere sua sponte nõ possit: facturus mihi videor operæpretiũ, si ipsius Dei præscriptionẽ in[e] Decalogo sequutus, paucis exposuero quinque illa præcepta, quæ ex primo à nobis proposito principio, & item altera quinque, quæ ex secundo, proficiscantur. Ad Dei amorẽ in animis nostris cõciliandum, primùm opus est, vt eum agnoscamus: deinde, vt verum eius cultum teneamus: tertiò, vt eos, quos diuinis honoribus affici voluit, quosq; tanquam vicarios sibi cõstituit, nõ ignoremus. Quantum ad primũ attinet, illud omniũ mentibus, qui modò nõ immanes sunt, & hominẽ ex homine exuerũt, infixum, & quasi inscriptum[f] est, esse aliquẽ cœli & terræ Regem, qui suo nutu solus cuncta ratis ordinibus torqueat, cuiusq; vi, natura, ratione, potestate, numine, bona omnia procurentur ac fiant. Atque hæc præscriptio tam est illustris, tamque clarè micat in animis nostris, vt nulla vnquam gens, neque tam fera, neq; tam barbara fuerit, quæ non eius admonitu, ad religionem, si non perfectã, saltèm aliquam, semper sit commota. Et sanè si veri rerum ponderatores ac æstimatores esse velimus, legum omnium & rerum publicarum fundamentum, in eo solùm[g] consistit, vt putemus semper nobis præsentem Deum, qui omnium nostrarum nõ solùm actionum, verumetiam cogitationũ, testis sit, & arbiter. Nã si quis fortè talis reperiatur, qui vel propter immanita-

d d. §. charitas

e c. meretrices 32. q. 4.

f l. vt erga. ff. de Iust. & Iur.

g l. inter claras. C. de summ. trin. & fi d. cathol.

nitatē, Cyclopū more, vel ſua ſapientia cōfiſus, Gygantęa quadam audacia, religionem omnē reſpuat, & non ipſius numinis arbitratu, ſed cęco & fortuito caſu, omnia volui & ferri exiſtimet: nō poteſt fieri, vt nō is, impunitate propoſita, & ſublato ſuppliciorum metu, ſi modò id fructuoſum ſibi fore putabit, leges omnes negligat, ac perrūpat, & ſui compendij lucrique gratia, totá communitatem & coniūctionē hominum peruertat. Pręterea, etiam ſi quis Deum aliquem eſſe quidem arbitretur, ſed errore lapſus, eum pro Deo colat, qui non eſt: nō poterit tamen euitare, quin in ſummū rerum omnium periculum & diſcrimen, deducatur. Ná ſi, quemadmodum à ſole, lumē oculorum haurim⁹, ſic ab vno ſolo Deo, veri vidēdi cognoſcendique facultatē accipimus: quo tandem pacto, ad verá inſtituendæ capeſſendęq; Reipublicę rationem ac normam perueniet ille, qui ingenij & mētis aciem, diuinis illis & ęternis radijs non habet illuſtratam? Imò verò per cōtrarium, neceſſariū eſt, vt altiſſimis inſcitię tenebris circūfuſus, nunc his, nunc illis opinionū vanitatibus impleatur, & qđ ei cōſequens eſt, ad omne gen⁹ flagitij, turpitudinis, ſceleris, libidinis, vt author eſt Diu⁹ Paul⁹, & ad miſerrimū tandē & certiſsimū interitū, detrudatur. Vt ne igitur huiuſmodi quid accidat, & animi noſtri, certis propoſitis notis, & indicijs, liberari errore poſſint, & dijudicare qs reuera De⁹ ſit, qs non ſit. pulchrè dicitur initio decalogi: EGO SVM IEHOVAH DEVS TVVS, QVI EDVXI TE DE TERRA ÆGYPTI, DE DOMO SERVITVTIS. NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM FACIE MEA. Ille quippe ſolus Deus eſt, qui contra omnem ordinem & progreſſum naturæ, aquas in ſanguinem conuertere: fructus terræ, inductis ranis, vermibus, inſectis & locuſtis, conſumere: aërem fulguribus, tonitru, & grandine turbare: ipſum ſolis lumen inuectis tenebris, eripere: omnia paſſim animalia, cum hominibus ipſis, vel vlceribus affligere, vel morte multare poteſt. Ille ſe dominum & rerum omnium principem oſten

dit

dit, qui vndas maris ad transitum præbendum sistere, & in speciem murorum deducere, qui aquę amarorem iniecto ligno mitigare, qui panem & coturnices de cœlo mittere, qui de petra fontium scaturigines, & aquarum perennitates elicere, qui hostem numerosum exiguis, vel potiùs nullis copijs, fundere & fugare potest. Hæc igitur sunt euidentissima, & ipsa meridiana luce clariora signa, quibus ipsum Deũ, & primum rerum architectum, agnoscere possimus, qđ primo loco diximus necessarium. Iam autem, quãtum pertinet ad verum syncerumque cultum, tres sunt in vniuersum gradus, quibus totus continetur. Vnus est, animi & mentis: Alter, oris & orationis: Vltimus, vitę & morum, de quibus singulis, singula sunt prodita præcepta. Mentis & cogitationis proprium est, diuinam substantiam & maiestatem suspicere, admirarique in ea, primas illas rerum adspectabilium species, quæ Ideæ siue formæ dicuntur, quæq; longissimè absunt ab omni cõtagio corporis, quemadmodum & ipse Deus, quem omnes instinctu naturæ scimus, non corporis, sed mentis tantùm oculis cerni & coli posse. Atque hinc quidem ex contrario licet æstimare, quàm longè lateque aberrent à vero Dei cultu, quamq; grauiter aduersus eum delinquant illi, qui numen illud ineffabile, & quod ne mente quidem capi potest, in rebus hisce fragilibus, & solos sensus commouentibus[h], quærunt. Vt igitur ab illo nobis caueamus, & ad puram perfectamq; diuinæ maiestatis contemplationem erigamur, rectè dicitur in decalogo: NON FACIES TIBI SCVLPTILE, NEQVE SIMILITVDINEM EORVM, QVÆ SVNT IN COELO SVRSVM, NEC QVÆCVNQVE IN TERRA DEORSVM, NEC QVÆCVNQVE SVNT IN AQVIS SVB TERRA, NON ADORABIS ILLA NEQVE COLES. Si enim tres sunt cuiusque rei formæ: Diuina, qualis est in homine animus, qui perpetuus & essentiæ reuera particeps est: Humana, quale corpus, quod diuturnum, & ab omni essentia non omni-

h c. Idololatria. 28. q. 1.

omnino alienum: assimulata, qualis vmbra siue imago, quæ momentanea est, & nullam, ne minimam quidem diuinę essentiæ particulam possidet: si inquam hæ tres sunt cuiusque rei figuræ: quæ potest quæso maior i iniuria offerri, quàm si neglecto & vltro repudiato animo, inanem vmbram quis arripiat, &, vt est in fabulis, nebulam pro Iunone colat. Non potest perfectò fieri, vt non statim omnis religio in cōtemptum abeat, maleque pactionum & iurisiurandi fides conseruetur, apud eos, apud quos huiusmodi portenta, vel potiùs monstra deorum recipiuntur. Ergo primum diuini cultus præceptum est, vt in veram Dei substantiam inspicientes, toto eum, quod dicitur, pectore amplectamur, & ad intima diuinæ maiestatis & essentiæ penetralia contendamus.

i i.e. idololatria.

Iam autem secundum est, vt cuius mente sumus contemplati substantiam, eius ore & oratione sapientiam, nomenque sanctum celebremus, & in vulgus profiteamur. Nam cùm sermo nihil sit aliud, quàm imago quædam, & vt ita dicam, soboles mentis: non potest fieri, vt qui animum habeat, diuinarum cogitationum nectare, inebriatū: non gestiat & exultet subinde gaudio, & in carmen aliquod diuinum, diuinumque sermonem prorumpat: qua re, non dico in terris, sed nec in omni cœlo, florentius quidquàm aut præstabilius, aut etiam magnificentius inueniri potest. In hoc tam diuinum pręceptum, directò peccant illi, qui sanctissimum Dei nomen, vel ore scelerato execrantur, vel periurijs suis ac mendacijs alijsque impijs, falsis, ac futilibus rebus profanant. Nam tantum inest rei, sua sponte scelus, vt animus vel sola talium hominum mentione cohorreat, & natura, non tantum prolationem, verumetiam auditionem reformidet. Ne igitur tale qd committatur, sed omni potiùs laudum genere, nomen Dei cumuletur, ordine ponitur in decalogo: NON ASSVMES NOMEN DOMINI DEI TVI IN VANVM, quod quidem præceptum sequuti nostri legumlatores, sanctissimè, & ad Rempulicam stabilien-

biliendam saluberrimè sanciuerunt: pœnis omnibus, & supplicijs obligari eos, qui vel [k] periurijs, vel magicis [l] susurris, vel ludicris, vel fabulosis, vel alijs denique vanis & inanibus rebus, mentionem Dei Optimi Maximi, adiungunt. Atq; hæc secunda lex, de diuini officij cultusq; ratione. Nunc verò tertia porrò est, vt cuius substantiam mente venerati sumus, cuiusque sapientiam verbis collaudauimus: eius virtutem insuper & bonitatem, admiremur, & quod verè amantis est, quoad eius fieri potest, re ac factis imitemur. Hoc enim illud ipsum est, quod absolutum perfectumq; cultum efficit, quodq; consummato ferè operi, apicem & extremam manum imponit. Illum autem reuera dicimus diuinarum rerum, admiratione cõmoueri, qui ab alijs omnibus feriatus, in earum tantummodò contemplatione defigitur. Illum verò imitatorẽ diuinæ virtutis & bonitatis, qui subinde in actione & negotio, tum diuino, tum humano versatur, subinde in vmbra & otio diuinę tranquillitatis & quietis delitescit. Nam quemadmodum Deus, cœlum ac terras fabricatus, postmodum interquieuit: ita etiã nos, certo laborum dimenso ac munere peracto, otiũ capessere, & ad diuinę machinæ considerationem, cum gratiarum actione, nos conuertere, debemus. Ad eam vtiq; rem, datę sunt à natura, requietis & laboris, somni & vigiliarum, vicissitudines: indeq; profectum est, vt certis festis ac ferijs cõstitutis, intermissiones laborũ & quasi pausæ quædã, siue respirationes sint inductæ, hocq; ipsum tandem est, quod præscribit decalogus. MEMENTO VT DIEM SABBATI SANCTIFICES. SEX DIEBVS OPERABERIS, ET FACIES OMNIA OPERA TVA, SEPTIMO AVTEM DIE, SABBATVM DOMINI DEI TVI EST. Violant autẽ grauissimè præceptum istud, qui omnino se remouẽt à negotijs, & ad otiũ perfugiunt, nihil curantes nec diuini nec humani, nihilque in cõmune conferentes, nec studij, nec operæ, nec facultatum. Prætereà, qui non otiũ persequuntur quidẽ, sed turpibus,

[k] Vid. not. in l. 1. C. de reb. cred. l. si duo. §. ult. ff. de iureiur.

[l] l. nullus. l. eorum. l. multi. C. de malef. & math.

pibus, auaris, & ambitiosis studijs inoluũtur, quiq; adeo multis occupantur, vt nullas à rebus suis ferias, aut intermissiones facere possint: cum eadem iniustitia confli-ctantur. Nam illa res vsq; eò progreditur, vt suis assiduò sordibus inhærescẽtes, nec somni quidem tẽpus, quod naturaliter ad refectionẽ animi est indultũ, liberum & tranquillum habeant, nihilq; vnquã, quod diuinum, magnificum, & amplum sit, admirentur ac agant. Quibus rebus fit, vt vel ad pastum & voluptates corporis abiecti, feri & immanes euadant: vel sua falsa futiliq; sapientia elati, diuinorum operum & munerum fiant contẽptores. Quod quidem peccatum, cùm in apertam & manifestam Dei virtutem committatur: extremum est in malis, & tam altè in omni sensu, & tanquam venis medulisque animi implicatum insidet, vt nec ignibus vnquam exuri, nec vlla temporis diuturnitate expurgari, aut elui possit: adfertque tantam cladem Rebuspublicis, vt omnem earum statum & firmitudinem ab ipsis fundamentis confestim euertat: & leges omnes ac sanctiones, sua cõtumacia demergat. Hæc de agnitione & vero Dei cultu. Vt autem quod tertium est, non ignoremus eos, ad quos diuinos honores adhiberi Deus voluit, quosq; sibi quasi vicarios in rebus humanis cõstituit: scire oportet, hominem partim æterna & immortali quadam natura, partim verò fragili & in casu posita, præditum esse. Priorem autem ab illo hausit & arripuit, qui summa & princeps causa est omnium. Posteriorem ab eodem quidẽ, sed administris minoribus, vt loquitur Plato, dijs ac dęmonibus, tanquã naturalibus & medijs interiectis causis. Hi sunt pater & mater, qui nos in hanc lucem ediderunt: sunt patria & patriæ leges, quę nos exceperunt: sunt magistri & doctores, qui nos erudierũt: suntq; alij permulti, qui vno communi nomine parentes appellantur. Hos autem omnes coli & obseruari, ideo Deus voluit: quia cùm ortus nostri aliquã sibi partem vendicent, cumq; malis depellẽdis, & bonis adijciendis, suũ nobis officiũ exhibeãt: conueniẽs

est, & ad grati animi officium pertinens, vt pro beneficijs acceptis, aliquid recipiant, & in minorum, & tanquam corporatorum deorum numerum à nobis reponantur. Nam quemadmodum summo illi Principi, qui sempiterna & immortalia nobis confert, immortales: ita istis, qui caduca & mortalia largiuntur, mortales illæ quidem, sed magnæ tamen gratiæ[m] debentur. Atque hoc est, quod in extremo prioris tabulæ decalogi præcipitur: HONORA PATREM TVVM ET MATREM TVAM, VT SIS LONGÆVVS SVPER TERRAM: Nam etsi primi parentis, hoc est Dei respectu, omnes inter nos æquales & fratres sumus, attamen intuitu ortus & occasus, alij alijs sunt superiores: & necessarium est, vt ad eos si non diuinos, saltem quasi diuinos honores adhibeamus[n]. Nec potest fieri, vt vel ad ipsius Dei, qui videri nõ potest, religionem excitentur: vel in vllo vitæ officio diu permaneant: qui eos, quos oculorum sensu quotidiæ comprehẽdunt, quosq; omnium actionũ suarum & negotiorum rectores habent, aspernantur. Plato è Titanum genere statuit eos, qui quẽadmodũ illi Ioui: ita maioribus suis, quales sunt parẽtes, domini, magistri, seniores, nobiliores, potẽtiores, & forte in magistrat⁹ electi, arma mouere ac cõtrà ferre nõ verẽtur. Verùm de ijs quinq; præceptis, quę ab illo principio, quod de Deo est, oriuntur, hactenus. Nunc q̃tum ad illa, quę ab eo, quod de rebus humanis est, profluunt, & altera apud Mosen tabula continentur, ante omnia pręmonendum est, tanta homines coniunctione seu potiùs cognatione[o] inter se teneri: vt nihil tota natura exstet copulatius: & adeò quidẽ, vt non solùm alterũ alteri insidiari sit nefas, verũetiam vt vnus aliquis per se saluus esse non possit, nisi omnes simul sint salui, qui mutuis vltrò citroq; beneficijs dãdis & accipiẽdis iuuentur. Atq; id quidẽ cũ ita sit, cõsequitur porrò, nihil op⁹ esse, separatim de officijs aduersus alios, & separatim de his, quę quis apud se pręstare debet, pręcepta proponere. Nã vna & eadẽ planè est vtilitas vniuscuiusq;, & vniuer-

m §. si uero exspectet. Auth. de nupt. §. 1. Inst. de nupt.

n l. semper ff. de Iur immun.

o l. ut uim ff. de Iust. & Iur.

vniuerſorum : vnum & idem debemus alijs, & nobis ipſis. Cæterùm, cùm in eam partem magìs, quæ alium, quàm quæ noſipſos attingit, peccare videamur: commodius & vtilius eſt, ad illa officia, quæ alijs, quàm quæ nobis exhibere debemus, ſermonem dirigere. Conſtat ergo tota horum officiorum ratio, tribus in vniuerſum ordinibus. Vno, rerum externarum & actionis in vita, quantum quidem ad cõmunem & popularem vitam attinet: Altero, rationis & orationis, quantum ad ciuilem: Tertio deniq;, mentis & cogitationis, quantum ad diuinam & perfectam. Nam quemadmodum in ſupradictis præceptis paulatim fit progreſſio à diuinis ad humana : ita per cõtrarium, in his adſcenditur pedetentim ab humanis ad diuina: vt ſcilicet ſic fiat mutua vltrò citroque connexio, & diuinorum cum humanis, & humanorum cum diuinis colligatio. In vita cõmuni & populari ſummum & maximũ eſt, vt nos communitatemque noſtram viuere ac ſupereſſe velimus: ad eamque rem, omnem operam ac laborem noſtrum; referamus. Nam qui ſic ſe inſtituunt, vt peſtem aliquam Reipublicæ adferant, patriamque ſuam omni ſcelere lacerent: legem omnem humani generis produnt, ſuntque ad eorum coërtionem, omnia legis Iuliæ[p], Pompeiæ[q], Corneliæ[r], & aliarum infinitarum legum iudicia excogitata: hocque eſt, quod in ſecundæ tabulæ principio edicitur: NON OCCIDES. quaſi ſcilicet oſores ſint tum ipſius Dei, tum naturæ, qui vel ſe, vel alios perditos volunt : quiq; non potiùs omnibus ſemper curis & cogitationibus in hoc incumbunt, vt quemadmodum prima naturæ data præcipiunt, viam inueniant, qua ſeruare mortales, & omnibus vitæ præſidijs augere poſſint. Hoc ergo primum. Secundum autem, in eodem ordine eſt, vt non ſolum nos velimus eſſe, verumetiam in perpetuum ſupereſſe: eſtque ea appetitio, naturaliter coniuncta cum ſuperiore. Nam id reapſe vix eſſe dicitur, quod aliquem ſui finem & terminum exſpectat. Sed quoniam hiſce rebus inferioribus

p *ff. ad l. Iul. mai.*

q *ff. ad l. Pomp. de parr.*

r *ff. ad l. Corneli. de ſic.*

denegatum est, in eodem semper statu & loco perdurare: procuratum est à summo Deo, vt maris & fœminæ con iunctione[a] constituta, & propagandæ sobolis cupiditate iniecta, per liberorum successionem, quædam quasi æternitatis species adumbretur. Vt igitur hęc ipsa procreatio & educatio prolis, rectè & ordine procedat, néue totum genus humanum, vna cum ipsis hominibus intercidat, propositum est præceptum: NON MECHABERIS: Et meritò quidem: quia nisi vagus concubitus refręnetur, & certa nuptiarum matrimoniorumq; iura describantur, non potest fieri, vt vllus omnino fœtus aut partus, propter confusionem proferatur: videnturq; præsenté tum sibi, tú Reipub. occasum machinari, qui in huiusmodi tá fœdas, tamq; spurcas libidines proni ruentes, à nullis porrò generibus turpitudinum se reuocant. Atque hoc de secundo præcepto. Tertium autem & vltimum est, vt quoniam nos, nostramque sobolem conseruari, natura iubet & imperat, ea insuper paremus & conquiramus nobis, quæ ad eam rem destinata sunt à natura, & hominum generi tributa. Nisi enim pastum, cultum, latibula, supellectilem, & alia similia habeamus, eaque sic possideamus, vt ab aliorum iniurijs & rapinis tuta sint: non potest fieri, vt non in dubio sit, vel societatis nostræ communitas, vel etiam ipsa vita. Et hoc est, ad quod tendit præceptum: NON FVRTVM FACIES: Nam qui ad eum vitæ modum se componunt, vt ex aliorum spolijs suum lucrum & compendium quęrant, vtque alienas facultates & copias, quæ ad hominum vsus, terræ fœtu profunduntur, ad se per dolum malum deriuent: non minori odio digni sunt, quàm qui suprascriptis duobus modis delinquunt: Si enim communis vitæ ratio, partim coniunctione maris & fœminæ, partim concordi & amico conuictu, partim rerum distinctione & commercio, continetur: cui dubium esse potest, quin rerum & commerciorum perturbatio, non in minorem reprehensionem, quàm conuictus, & matrimoniorum, incurrere debeat?

[a] c. Ius naturale.1.distinct.

debeat [t]? Sed hęc sufficiat dixisse de illis tribus principijs humanis, quæ popularem hanc, & inferiorem vitam instruunt, quæque irarum, libidinum, & auaritiæ indomitas cupiditates & flammas restinguunt. Nunc sequitur de illo consortij humani vinculo, quod propiùs naturam attingit humanam, quodque consistit in orationis & sermonis diuina facultate. Hanc constat ad nullam aliam rem, mortalium generi collatam esse, quàm ad ciuilis societatis, & communem omnium hominum [v] salutem, idque siue sensum & conceptum animi nostri simpliciter explicemus, quemadmodum in communi conuictu fieri assolet: siue via quadam & ratione doceamus, veluti cùm vel veras opiniones in animos auditorum infundimus, vel contrà, prauas, interrogationum quasi facibus admotis exurimus: siue denique in permouendis & flectendis in omnẽ partem animis versemur, vtputa cùm fusa latiùs perpetua oratione, vel totum aliquem populum regimus, vel leges stabilimus, vel castigamus improbos, vel tuemur bonos, vel adhortamur ad decus, vel reuocamus à flagitio, vel facta denique ac consulta fortium, & sapientum hominum, cum improborum ignominia, sempiternis (vt inquit ille) monumentis prodimus. Mirum profectò dictu est, quanta orationis vis sit & potestas, quantumque in regenda ciuitate, honoris illi, & dignitatis tribuatur. Sed quanto melior & præstantior est integra, tanto perniciosior & detestabilior est corrupta, estq; nihil in omni vita pestilentius, quàm si sermo hominum, & maximè quidem in iudicijs, in quibus potissimùm veritas exquiritur [x], cum vanitate ac mendacio sit coniuncta. Et eo quidem pertinet præceptum illud: NON LOQVERIS CONTRA PROXIMVM TVVM FALSVM TESTIMONIVM. Nã si fides, id est dictorũ conuẽtorumq; cõstantia & veritas, fundamentũ est naturaliter omnis Iuris [y] & iudiciorũ, nec quicquã est quod vehementiùs ciuitatem contineat: necessarium est, vt eo subtra-

t Huc pertinet. ff. de furt. ui bonor. rapt. ad L. aquil. cũ simil.

v l. laudabile. C. de aduocat. diuers. iud.

x C. plus ualere quod agi. uid. not. in §. tã diuus. Inst. de testam.

y Vid. l. 1. l. Iurisgent. §. pact. ff. de pact. l. 1. ff. de loc. publ. fruend. c. peruenit extr. de iureiur.

cto, omnis statim iusticia concidat, & totam deinceps totius Reipublicæ ruinam secum trahat. Superest ea pars, quæ intima & in abditissimo recessu mentis collocata est. Nam parũ est populares virtutes & ciuiles obtinuisse, nisi Philosophicę quoque accedant, quæ ad arcem ipsam rationis ac intelligentię peruadunt. Summum igitur & absolutissimum, & ad Rempublicam moderãdam, ante omnia, vt probat Plato, necessarium pręceptum est: vt ad sui ipsius cognitionem quisq; accedat, nihil omnino appetens eorum, quę aliorum vel naturis, vel facultatibus sunt apposita. Nam qui sic se componunt, vt se suamque naturam penitus explorent, necessaria quadam rerum serie, qua alia ex alijs nectuntur, eò tandem perueniunt, vt videant nos eodem patre prognatos, omnes pares & similes esse, & non tam rebus ipsis, quàm stationum quibusdam interuallis, in hoc vitæ quasi præsidio differre: quibus perspectis, & illud porrò attendit, non solum contra officium, verumetiam cõtra naturam facere eum, qui maiore seipsum charitate, quàm fratrem suum, cum quo vnus & idem est, comprehendat: quiq; propria statione, quam communis Pater & Imperator assignauit, derelicta, in eas quę aliorum sunt, inuadat, & nunquam suo se pede, quod dici solet, metiatur. Atque hoc est quod vult decalogus dum dicit: NON CONCVPISCES DOMVM PROXIMI TVI, NON DESIDERABIS VXOREM EIVS, NON SERVVM, NON ANCILLAM, NON BOVEM, NON ASINVM, NON OMNIA QVÆ ILLIVS SVNT.
Quasi scilicet signum sit intemperantis animi, & non satìs nec totam hominis naturam, nec se suumque ingenium intelligentis, affectare ea, quæ alijs sunt attributa, & à propria tum natura, tum facultate seiuncta. Nam per contrarium, qui primùm vniuersam hominis, deinde suam naturam pertentauit, ad omnia vitæ genera idoneus est & accommodus. Quia enim totam hominis naturam cognouit, vtique intelligit, qua ratione

tione homines priuatim publicéue tractari, & pari semper pietate coli, debeant. Quia id, quod sibi & alijs specialiter collatum est, animaduertit: non appetit, nec errore, nec cupiditate, aliena: sed suis contentus, & totus aptus ex se, suam (vt aiunt) Spartam colere & ornare nititur. Atque his rebus, cum non dico potissimùm, sed solum constet Respublica[z]: efficitur, vt hoc præceptum, quo nos ipsos noscere iubemur, non solùm intimum in homine, sed & in omni Republica perfectissimum euadat. Vnde factum est, vt non homini alicui, sed Apollini Pythio sit adscriptum. Prætereà, cùm noscere seipsum nemo possit, nisi qui ad ipsius Dei, cuius homo circunfert imaginem, agnitionem adscendat: rectè quoque possumus dicere, præceptum istud, tum conclusionem, tum nodum omnium pręceptorum esse: vtpote quod perpetuo quodam & indissolubili vinculo, humana cum diuinis, & rursum diuina cum humanis connectat, & cunctarum virtutum, quibus Reipublicæ rectio continetur, quasi carmen efficiat. De diuinis igitur siue moralibus præceptis, hactenus.

z *§. Iuris præcepta, in uerbis suũ cuique tribuere. Inst. de iust. & iur. §. ult. Inst. de his qui sui uel al. Iur.*

DE GENERALIBVS PRINCIPIIS NATVRALIBVS.



NAturalium siue humanorum principiorum ratio latissimè quoque patet: nam quemadmodum ex superioribus dijudicamus, quid in quaque re bonum, quid malum, quid vtile, quid inutile sit: ita ex istis intelligimus, quid in rebus possibile, quid impossibile, quid facile, quid difficile sit. Non esse alteri per alterum iniquam conditionem offerendam[a], non esse arma in acie abijcienda[b], non esse libidinose & incontinenter viuendum, per moralis quidem philosophiæ principia probatur: Cæterùm, quòd duo eandem rem in solidum possidere non possunt[c], quòd vini, olei, tritici

a *l. non debet. ff. de reg. Iur.*

b *l. omne delictum. §. qui in acie. l. qui commeatus. §. 1. ff. de re mili.*

c *l. 3. §. ex cõtrario. ff. de acquir. poss.*

tici non est vsusfructus[d], quòd illa res eadem permanet, quæ antiqua seruata specie, minimas suas particulas tantummodo mutat[e], quòd incorporalium non est possessio: nulla alia, quàm naturæ norma ac regula dignosci potest. Estque horum principiorũ tam magnus & frequens in iure vsus, vt nullo modo perfecti iureconsulti nomen sustinere possit, qui eorum cognitione non sit instructus. Nam quid ego nunc de Pericle dicam? qui quantum ex hisce studijs ad regendam tenendamque rempublicam, in forum attulerit, vulgò notius est, quàm vt hîc pluribus commemorari debeat? Plerique quidem omnes ab ijs deterrentur, partim quia spinosa, partim quia longiusculè à communi iuris & rerum forensium vsu recedere videntur: sed nos pluribus exemplis ex omni passim iure ciuili petitis, partim id quod absconditum in ijs est & obscurum, illustrabimus: partim id quod remotum & longè positum videtur, propiùs adducemus, & quod præcipuè quęrimus, ad iuris apices & subtilitates valde pertinere docebimus, interiorem de rebus naturalibus tractationem, ipsis vt oportet Physicis, maiore ex parte relinquentes. Diuidam autem principia naturalia, si priùs aliquid dixero, tum de ipsa natura, tum de principijs rerum naturalium, & causis. Est autem natura nihil aliud, quàm ordinarius rerum cursus, qui à primo motore Deo, ratis & certis ordinibus cietur, cuique omnes parêre & obedire necessariò debemus. Veluti cum dicimus, Secundum[f] naturam esse, commoda cuiusque rei sequi eum, quem sequũtur incommoda: Naturalem rationem, authoritate senatus mutari non posse[g]. Naturam non pati, vt tu stare videare in eo loco, in quo ego sto[h]. Per rerum naturam fieri non posse, vt filius patrem ætate antecedat[i], & si qua sunt similia, quę communi rerum progressu incedunt. Cęterùm si qua sunt, quæ præter illum ordinem & communem seriem accidunt: ea inter naturalia censeri non debent: sunt enim vel diuina[k], vel monstra, vel ostenta[l], vel portenta, vel fortuita

d l. 2. ff. de usf. earum rer m quæ us. cons.
e l. proponebatur ff. de Iud.
f l secundũ naturã ff. de condict. indeb.
g l. 2. ff. de usuf. eorum rerum.
h d. l. 3. ff de acquir. possess.
i §. minorẽ Inst. de adopt.
k l. si merces. §. vis maior. ff. loc.
l ostentum ff. de uerb. sig.

fortuita, vel miracula, vel necessaria, vel fatalia [m], vel voluntaria, vel artificialia, vel alia denique de genere eodem, in quibus longè alia habetur iuris ratio quàm in naturalibus. Aliud enim est vi maiore, vel casmate rem amittere: aliud naturali interitu [n]: Aliud monstrum edere: aliud integrum partum. Alia est conditio casualis: alia potestatiua: Aliud fortuito casu [o] vel compulsu [p] necessitatis occidere: aliud dolo malo: Aliud ius patriæ potestatis in naturali filio: aliud in adoptiuo: Aliud denique in omnibus non naturalibus: aliud in ijs, quæ secundum certum naturæ ordinem & progressum accidunt, quod & diligenter annotandum est. Principia rerum naturalium, in duas res diuiduntur: Altera efficiens dicitur, nostri formam vocant: Altera quasi huic se præbens, ex qua efficitur aliquid, quæ vulgò materia vocatur. Illi, quoniam vis quædam inest mouendi & efficiendi: patris nomen est impositum à Platone: huic, quoniam materia, quæ accipiendi & quasi patiendi naturam habet, matris. Atque ex his duobus initijs, constituuntur omnia, quæ vel corpora, vel qualitates quædam nominantur. Nam neque materia sua sponte cohærere, aut in certam figuram coalescere potest, nisi vi aliqua contineatur, à qua formam accipiat: neque etiam vis ipsa esse potest, nisi in materia sit, in qua tanquàm in subiecto hæreat. Enimuerò ab his oriuntur multæ & variæ in iure disputationes, quæ sunt tum de forma & solennitate, in testamentis condendis, in nuptijs contrahendis, in actionum & stipulationũ formulis [q] concipiendis, in sacris: tum de materia & re subiecta, in mutuis [r] pecunijs, in vsufructu [s], in acquisitionibus dominiorum, in iudicijs: tum de substantia, & ijs quæ adminiculantia sunt, in emptionibus & venditionibus [t], in nudis pactis, in vltimis voluntatibus, in acceptilationibus [v]: tum denique de ortu & occasu, & vnius speciei in aliam transfusione, in stipulationibus perperàm conceptis [x], in codicillis, in negotijs contrahendis

m l. 1. C. ad l. Cornel. de sic.

n l. cum res. §. ul. ff. de leg. 1. l. si plures. §. ul. ff. depos.

o d. l. 1.

p l. 1. C. unde ui.

q C. de formul. sub.

r l. 2. §. 1. ff. si cert. pet.

s §. constituitur Inst. de usuf.

t l. pacta. ff. de contrah. empt.

v l. an inutilis. ff. de acceptil.

x l. si unus §. ult. ff. de pact.

hendis, in pactis de non petendo, & alijs similibus. Nam tota hæc ratio tam latè patet per vniuersum ius ciuile, vt nulla sit eius pars, quæ illa vacare, & sine eius cognitione perspici possit. Causæ rerum naturalium varias habent differentias & figuras. Primùm: Aliæ rem efficiunt, quemadmodum testator, & lex[a], tutores: Alię finem continent, vt persecutio eius quod interest, obligationis verborum[b]: Aliæ materiam præbent, vt in mutuo res fungibiles[c]: Aliæ formam circumijciunt, vt conceptiones verborum stipulationibus[d]. Prætereà, Alię sunt generales, quæ multis speciebus accommodari possunt: Alię speciales, quę vni tantum. Nam quòd mulier nullum officium publicum gerere potest, excludit illam non solum à magistratu, verumetiam à iudicijs, intercessionibus, & alijs similibus[e]. Verùm quòd sine fraude filiofamilias mutuum dari non potest, nihil aliud quàm Macedonianum beneficium sub se[f] cludit. Quin etiam, Alię sunt, quę remotiores & longius positę dicuntur: Alię propinquę. Nam actiōis ex empto, propinqua causa est obligatio, remotior, contractus, Prætereà, Aliæ proprię sunt & ad suum effectum destinatę: Alię impropriæ & ad aliud destinatę. Condictio certi in mutuo, propriam & ad hoc directam habet causam: Condictio indebiti, non propriam: nam qui dissoluēdi debiti gratia dat, ex accidenti & pręter opinionem acquirit sibi obligationem[g]. Iam verò, Aliæ sunt quæ opere perfecto cessant: Alię perpetuò adhærent rei quam efficiunt. Commodato semel cōtracto, nihil mutat contraria voluntas[h]: in precario & societate, mutat[i]: Nam commodatum dans architecto, precarium Musico secundum analogiam est similis: Porrò, Alię causæ sunt quę suadent & impellunt: Aliæ, quę cogunt & necessitatem ingerunt. Prioris generis est improbitas Carfaniæ, quæ causam dedit Edicto de sublatis postulationibus mulierum[k]. Posterioris, imbecillitas sexus muliebris, ex qua natum est[l] S C. Velleianum. Ad hæc, Alię sunt principales, quæ propriè vereque rem efficiunt, vt de pretio

a § *permissum Inst. de tutel.*

b *l. stipulatio § alibi. ff. de verb. ob.*

c *§. 2. Inst. quibus mod. 2c.*

d *§. in hac. Inst. de uerb. oblig.*

e *l. 2. ff. de reg. Iur.*

f *l. 1. ff. ad Maced.*

g *l. si lsqui § ult. ff. commod.*

h *l. in cōmodato § sicut. ff. commodat.*

i *l. 1. ff. de precar. §. manet. Inst. de soc.*

k *l. 1. ff. de postul. l. simile in. l. 1. ff. ad Maced.*

l *l. si sine C. ad senat. sconsul. Velleian.*

de pretio cõuentio emptionem & venditionem[m]: Aliæ, que naturam quidem efficiendi non habent, sed sine quibus tamen effici non potest, quę adminiculantes dicuntur, vt res, siue qua nulla est emptio[n]: Denique, Alię sunt vltimæ, siue summę, vltra quas nihil amplius quęri potest, vt cùm dicimus: salus populi, suprema lex esto: Aliæ Secundarię, quę ad alias supra se positas referri possunt, cuiusmodi sunt omnes, quæ non sunt vltimę. Nunc abeo ad ipsam distinctionem principiorum naturalium. Nam eorum quædam ab ipso trahuntur vniuerso, quędam verò ab homine, qui imago quædam est, & quasi compendium vniuersi. Triplex ferme est ille vsus, (exponam enim rem obscuram, populariter & illuminatè,) quem totius mundi contemplatio suggerit. Primus est, vt quo consilio & ordine, seminator, sator, & parens, &, vt ita dicam, educator, & altor ille mundi Deus, ex sua mente ac diuinitate mundum genuit: eodem quoque modo & exemplo nos putemus, has societates nostras & vrbes, à sapientibus viris, tanquam minoribus quibusdam dijs, constitutas ac fundatas esse. Nam quis, quęso, est omnium hominum, qui, si tam certos cœli motus, tam ratos astrorum ordines & traiectiones, tamque omnia inter se cõnexa & apta videat, non intelligat diuinitus omnia regi & gubernari? Quis est, qui si aëris vim & naturam adspiciat, quo modo vel terram imbribus augeat, vel annuas frigorum & calorũ varietates faciat, si maris pulchritudinem & speciem, amœnitates orarum & littorum, genera animalium, partim fluitantium, partim submersorum, partim ad saxa natiuis testis inhærentium, animaduertat: non videat omnia ista quæ supra sunt & subter, formam quandam bene constitutæ Reipublicæ præ se ferre? Quis denique est, qui, si terram ipsam in media mundi sede locatam, & vndique in sese suis nutibus conglobatam, vestitam floribus, herbis, arboribus, frugibus, intueatur, si fontium gelidas perennitates, perlucidos amnium liquores, riparum vestitus viridissimos, spe-

m § . 1: *Inst. de empt. & uend.*

n *l. nec emptio ff. de contrah. empt.*

ſpeluncarum concauas altitudines, ſaxorum aſperitates, impendentiũ montiũ altitudines, immenſitates camporum, recõditas auri & argenti venas, ſi varia genera beſtiarũ, vel cicurũ, vel ferarũ, volucrũ lapſus atq; cantus, pecudũ paſtus attẽdat, quis, inquã, eſt hominũ tã ſtupidus & iners, qui, ſi in tantã rerũ omniũ magnificentiã, conſtantiam & ordinẽ inſpiciat, nõ exiſtimet ipſorũ quoq; hominum, quorũ cauſa omnia ſunt facta, Reſpublicas, & ciuitatum ac populorũ ſocietates, certa quadam ratione coniũctas & cõflatas eſſe? Enimuerò quemadmodũ vniuerſum hoc, partim à diuina mente, partim à neceſſitate profectum eſt: ita Reſpub. quoq; partim pietatis ac iuſtitiæ colendę gratia, partim vſu & humanis necesſitatibus exigẽtibus, coaluit[o]. Ac ad iuſtitiã quidẽ tuendam pertinẽt principes, ſacerdotes, ſapientes, qui totã ciuitatẽ ſuis imperijs tẽperant ac moderãtur, nõ aliter atq; mundi animus, qui ex ipſius Dei ſubſtantia decerptus, vitã ac motũ, qbus cũcta regũtur, à diuina mẽte accepit. Ad neceſſitates verò[p] referũtur matrimonia, rerũ acquiſitiones, & earũdẽ vltrò citroque commutationes. Nã queadmodum per ortus & interitus viciſſitudines, conſeruatur hæc vniuerſitas, & in eodẽ quaſi ſtatu perſeuerat: ita in Republica per honorum, rerum, & perſonarũ mutationes, dando & accipiendo factas, quoddam quaſi ſimulachrum æternitatis inducitur. Vt interim illud omittamus, quòd ab ipſis brutis animalibus, medendi, venandi, nauigandi, belli gerendi, colendæ denique Reipublicę artes & eas plures, quæque ad omnes vitæ partes vſui nobis eſſe poſſunt, arripuimus. Atque hic primus eſt rerum naturalium vſus, quem in Moſaicis & Platonicis libris de Republica ſæpe licet animaduertere. Secundus eſt, vt ipſas res naturales, ad commoditates noſtras & ciuilem aliquem vſum adiungamus: nam præter hoc quòd ex animali ſpirabilique mundi natura, vitam noſtram haurimus, quódque ex ijs quæ terrę fœtu quotidie profunduntur, victum, cultum, & habitationem, quæ funda-

o Vid. notata in c. ius naturale ad uerbũ cõiũctio. 1. diſtin.

p §. ius autẽ gẽt. Inſt. de iure natur.

menta

menta sunt Reipublicæ, nobis paramus: quis non intelligit anniuersarias istas, & menstruas, aliasque siderum conuersiones hoc nobis prębere, vt certa & stata tempora commerciorum, iudiciorum, festorum, comitiorum, & aliarum rerum omnium habeamus, sine quibus quidē temporibus, certo certius est, nihil in tota vita ciuili, nihil in omnibus negotijs hominum, constituti & designati esse posse. Qua causa factum est, vt Hesiodus, horis & diebus, primam Reipublicæ conformationem, & iustitiæ, pacis, ac cōcordię progenerationem attribuerit. Tertium & vltimum, quod à rerum naturalium cognitione, ad vitam ciuilem permanat, in eo consistit, vt principia quędam ex ijs ducantur, quibus res ciuiles dirigi possint. Nam quòd primum Physici de eodem & altero, ex quibus mūdi animus fabricatus est, disputant: quòdque cum ijs finiti & infiniti, tēporis & ęternitatis, vnius & plurium mentionem coniungūt: cui dubiū est, quin id nobis definiendi & diuidendi vias tradat? quin modum & rationem contineat, qua inter substantiam & adminiculantia in contractibus [q], inter similia & dissimilia in cognatis [r], inter perpetua & temporalia in obligationibus [s], inter vnum & plura in stipulationibus [t], inter possibilia & impossibilia in [v] rebus: inter vera & ficta in omnibus negotijs, distingui possit? Prætereà, quòd in altera parte Phisiologię traditur, de ortu & interitu, de varijs cœli & aeris tempestatibus, de fruticū & animalium naturis, de agri colendi serendique ratione: quis non videt in ijs maximarum rerum ciuilium principia quædam & seminaria, quæ prima naturæ dicuntur, latere? Nam quis tandem sanæ mentis potest negare, quin tractatus de ancillarum & animalium fœtu, [x] de coniunctione maris & fœminæ [y], de frigidis & maleficiatis [z], de ijs qui in [a] vtero degunt, de agnoscendo & exhibendo [b] partu, de postumis, de morbis rerum & vitijs, de alluuionibus [c], de mistionibus, de implantationibus, de inædificationibus, de vi maiore

& cœli

q *l. pacta. ff. de cōtrah. empt.*
r *l. 1. ff. de prea car. §. 1. Inst. de donat. § itē preciū. Inst. de empt. & uend. § adeo. Inst. de locat. & cond duct*
s *l. obligationū fere. ff. de act. & oblig.*
t *l. scire. ff. de uerb. oblig.*
v *l. non solu. ff. de act. & oblig*
x *§. in pecudum. Inst. de rerum diuis.*
y *§. 1. Inst. de pat po.*
z *extra illo tit.*
a *l qui in utero. ff. de reg. Iur.*
b *ff. illo tit.*
c *toto tit de rerum diuis.*

& cœli tempeſtatibus, deque alijs infinitis & conſimilibus rebus, ab ipſa natura trahi & peti debeant? Cui & illud inſuper adde, quòd feras animantes à cicuribus in occupatione[d], pecudes à beſtijs in lege[e] Aquilia, feroces quadrupedes, à mãſuetis, in pauperie[f], ſanas ab ĩſanis, in ędilitio ędicto[g], mancupi[h] à nec mãcupi, in commertijs, maiores à minoribus [i], in furtis ſeparari oportet. Quid dicam prætereà de rerum diſtinctionibus & differentijs: nam quòd earũ alię ſunt corporales, alię incorporales[k]. Item alię generales, alię ſpeciales [l]: Aliæ quantitatum, aliæ corporum[m]: Aliæ rerum, alię factorum: Aliæ fungibiles, alię non fungibiles[n]: Alię diuiduę, alię indiuiduę[o]: Aliæ Phyſicæ, aliæ Technicę[p]: Aliæ ἀνώνυμαι, aliæ συνώνυμαι: Alię mobiles, alię ſoli: quomodo aliter eſt animaduerſum, quàm ex ijs, quę modò commemorauimus, naturalibus principijs? Ex quibus etiam deſumptum eſt, quòd inter ferruminatum & applumbatum[q], inter inauratum & aureis laminis tectum[r], inter pictũ & ſcriptum in iure noſtro diſtinguatur[s]. Quoniam verò ex iſtis ſatis ſuperque intelligi poteſt, arcana vniuerſę naturę ſic ad Iureconſultũ pertinere, vt ab eo remoueri non poſſint: videamus an & idem in homine, de quo ſecundo loco dicere propoſuimus, quique animo, corpore, & rebus externis continetur, obtineri poſſit. Atque animi quidem partem alteram, rationis & intelligentiæ participem ſtatuunt, in qua tranquillitas ineſt, & placida quietaque conſtantia: alterã verò expertem, in qua inſunt turbidi motus & inconſtantes appetitionũ, quæ nunc huc nũc illuc ferũtur. Prioris partis tria pręcipua ſunt munera: Vnum cogitationis & indagationis, quod & intelligentię dicitur, ex qua exſiſtit notitia, ſcientia, prudentia, ſapientia, opinio, iudicium, ars, ſagacitas, ingenium: quibus opponuntur imperitia, ignorãtia, furor, inſania, ſtupiditas, error, & ſimilia, quæ multis iuris locis[t] diligenter attenduntur. Alterum, voluntatis & appetitus rationalis, ex quo naſcuntur conſenſus, authoritas, ratihabitio, conſilium,

d §. feræ Igitur. Inſt. de rerum diuiſ.
e l. 2. ff. ad leg. aquil.
f l. 1. ff. ſi quadrup. pauper.
g l. 1 & toto tit. ff. de ædilit. ædict.
h Vlp. in Inſt. ſub tit de domin. rer
i Exod. c. 22.
k §. 1. Inſt de reb corpor. & incorpor.
l l. Meuius ff. de legat 2 l. legato. ff. de legat. 1.
m l. inter ſtipulantem. §. ſi ſtipulante. ff. de uerbo oblig.
n l. 2. ff. ſi cert. pet.
o l. ſtipulationes ff. de uerb. obligat.
p l. rerum. ff. de uſucap.
q l. in rem. §. itẽ ff. de rei uendi.
r l. quid tamẽ ff. de contrahend. empt.
s § literæ, cum §. ſeq. Inſt de rerum diuiſ.
t l. imperitia. ff. de reg. Iur. l. ignorantia. ff. de Iur. & fact. ignorãt. l. illicitas. §. ſicuti. ff. de off. præſ. cum ſimil.

ſilium, dolus, fraus, machinatio, iuſſus, mandatum, imperium prohibitio, taciturnitas & alia infinita [v]. Tertium denique memoriæ, in qua cernitur diligentia, negligentia, vigor, ſocordia, celeritas, mora, præmeditatio, incogitantia, cum nonnullis alijs, de quibus paſſim multa occurrunt [x]: quæq; ideò bene cogitata, & in promptu debet habere legumlator, quoniam pertinent per omnia ferè Iuris capita. Et præter alia multa, conficiunt etiam nobiliſſimum illum de dolo, culpa, & caſu fortuito, tractatum. Nam quæ voluntatis vitio fiunt, propriè cadunt in doli & fraudis [a] rationem: quę vel intellectus vel memoriæ, in culpam ſubinde latam, ſubinde leuem & leuiſſimam incidunt: [b] quæ neq; dolo neq; culpa contrahuntur, partim fortuito caſui, partim fato adſcribi ſolent [c]. Illud etiam ad hanc animi partem referendum, quòd omnes actiones hominum, vel in dando vel faciendo conſiſtunt [d]. Item quòd orationis & ſermonis non minima eſt [e] habenda ratio. Nam præter hoc, quòd de alternatiuis, de conditionalibus [f], de ijs quæ ſub modo concipiuntur [g], de cauillationibus [h], deq; alijs permultis, quorum frequentiſſima incurrit mentio, in iure tractatur: quis eſt qui ignoret, verborum & rerum ſignificationes, tam latè in omni iure patêre, vt meritò illis tertia ciuilis ſapientiæ pars, à Fabio Quintiliano ſit attributa? Nego quemquam exactè de rebus diſſerere, & earum obſcuras intelligentias enudare poſſe, niſi ipſorum quoque verborum rationes, ſignificationes, vires denique, & vſus omnes teneat [i]. Nego quemquam verum & falſum diiudicare poſſe, item quid quáque rem ſequatur, quid cuique contrarium ſit, videre: niſi qui Dialecticorum [k] (vt ita dicam) officinas frequentarit, & in eorum ſpatijs multo tempore fuerit exagitatus. Nego denique quemquam oratione perpetua tenere populum, & in omnes partes flectere poſſe, niſi qui motus omnes animorum perdidicerit, & quibus verborum flexibus, nunc huc nunc illuc detorqueri poſſint, cognorit. Hoc ergo de rationa-

v l. conſilij ff. de regu. Iur. §. 1. Inſt. de nupt. l. eius ff. de reg. Iur. toto tit. de dol. mal c. ratihabitionē de reg. Iur. in 6.

x l. contractus. ff. de reg. Iur. l. ſi ut certo. § nunc uidēdum ff. commodat. cum ſimilibus, ad illum tractatum pertinentibus.

a l. ſi filiusfa. ff. de Iud.

b argum. l. quod nerua & ibi not. ff. depoſ.

c d. l. 1. C. de ſic.

d l. 2. ff. de. uerb. oblig.

e c. in alternatiuis. de reg. iur. in 6.

f l. 4. ff. de hæred. Inſt.

g C. de donat. quæ ſub modo.

h l. ea eſt. ff. de reg. iur

i uid. l Labeo. ff. de ſupp. leg tot tit. de uerb. ſig.

k l. qui quadrigenta ff. ad l. falci.

li animæ parte, cui adiuncta est, tum actionis, tum orationis facultas. Illa pars animi quæ rationis & orationis est expers, bifariam diuiditur. Primo modo in eam partem, in qua exsistit iracundia [l], quæ secundum Peripateticos fortitudinis quasi cos dicitur, quæq; ardore quodam elata, quibusdam nos quasi stimulis ad virtutem arripiendam impellit: & eam, in qua cupiditas inest & appetitus, tum procreãdæ & educandę sobolis, tum earum rerum quibus vita fouetur & sustentatur [m]. Plato has duas facultates subinde alis comparat, inter quas anima æqualibus vtrinque ponderibus librata, pendeat: subinde bigis, quibus tanquàm vehiculo quodam, ad omnes vitæ functiones & munera, prouehatur. Aristoteles autem rationem pastori, iracundiam cani, cupiditatem ouibus comparat. Altero modo fit diuisio, secundum numerũ perturbationũ, quæ in hac parte animi, partim voluptatũ illecebris, partim dolorum morsibus & quasi facibus accenduntur. Sunt verò in vniuersum quatuor; Nam ex duobus opinatis bonis, duo nascuntur: & ex duobus opinatis malis, alia duo. Ex bonis, libido & lætitia, vt sit lætitia præsentium bonorum, libido futurorum. Ex malis, metus & ægritudo: vt metus sit futurorum malorum, ægritudo præsentium. Iam ægritudini subijcitur inuidentia, æmulatio, obtrectatio, misericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, lamentatio, dolor, solicitudo, molestia, afflictatio, desperatio, & si qua sunt de genere eodem. Sub metum subiecta sunt, pigritia, pudor, terror, timor, pauor, exanimatio, conturbatio, formido. Voluptati, amor, cupiditas, maleuolentia, delectatio, iactatio, petulantia, proteruitas, & similia: Libidini ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, indigentia, spes, desiderium, & alia huiusmodi. Atque his quidem omnibus tanquam morbis quibusdam & ægrotationibus, adhibent remedia legumlatores, cùm de vi & [n] metu, de petulantia, de proteruitate [o], de libidinibus & voluptatibus edicunt,

estque

l l. quod calore. ff. de reg. Iur.

m c. ius naturale. i. dist.

n toto. tit. de eo quod ui met. caus.

o l. omne delictũ §. per unum. ff. de re milit.

estque in ijs regendis & compescendis, summa eius laus & virtus, vt est apud Platonem, constituta [p]. Nam quemadmodum medicus corporis, ita politicus animi vitijs adhibet medicinam. Verum hæc de hominis animo. In corpore, subinde spectamus ætatem, vt in nuptijs [q], tutelis, curationibus & vacationibus munerum, sacerdotijs, testimonijs dicundis, & alijs infinitis: subinde sexum [r], vt in intercessionibus, in testibus vltimarum voluntatum, in gerendo magistratu, in potestate patria, in successionibus, in exhęredationibus, in accusationibus, in postulando: subinde membrorum robur & integritatem, vt in militijs, in sacerdotijs, in matrimonijs, in mancipijs [s] seruorum, in cæcorum testamentis, in surdorum & mutorum stipulationibus: subinde valetudinem, vel secundam, vel [t] aduersam, vt in excusationibus tutorum & curatorum, in vocationibus in Ius, in emptionibus mancipiorum, & alijs innumerabilibus. Externa bona posita sunt, vel in personæ dignitate, vel in rerum vbertate ac copia, vel in amicorum & familiarium vsu. Dignitatis vel contrà sunt, æstimatio, authoritas, fama, fides, fauor populi, ignominia, infamia cum similibus, quorum diligens vbique habetur ratio [v], vel in publicis muneribus subeundis, vel in ferendis testimonijs, vel in postulando, vel in conscribendis vltimis voluntatibus. Diuitiarum vel contrà, sunt abundantia, splendor, vsus, census, paupertas, inopia, solitudo, de quibus tractatur [x] in accusatione suspecti tutoris vel curatoris, in seruo testamento in fraudem creditorum manumisso, in excusationibus munerum. In amicitijs & contrà, spectantur familiares, clientès, patroni, serui, liberti, amici, socij, ciues, hostes, inimici, aduersarij, cum alijs eiusmodi, de [y] quibus, tum in negotijs alienis gerendis, tum in alienatione iudicij mutãdi causa facta, tum in excusationibus tutorũ & curatorũ, dicitur. Sed iam puto satis planum factum est, quomodo (quod mihi tantùm

p c. facti. 4. dist.

q § 1. Inst. de nuptij., 1. Inst. de curat. & t. 1. tit qbus mod. tut. fin. tot. tit ff. de vacat. mun. cũ simil.

r l. fœminæ. ff. de reg. Iur. l. 3 qui hæredes. §. eum qui. ff. de test. &c.

s l. 1. ff. de ædil. lit. ad l. hac cõsultißima. l. discretis C. qui test. facer. poss. l. 1. ff. de uerb. obligat.

t §. 1. item propter. Inst. de excusat. tut. l. si præter in fil ff. de Iud. l. cõtuma. §. pœnam ff. de re Iudi.

v l. 3. ff. de test. l. 1. l. is cui § si quis. ff. de test.

x §. ult. Inst. de susp. tut. & curat. l 3. ff. de testi. §. 2. Inst. quib. ex causis ma.

y §. nõ esse Inst. de excusat. l. ex maleficio § 1 ff. de act. et oblig. l. uideamus ff. de in lit. Iur.

 fuit

fuit propositum) multa passim in iure occurrunt, quę sola rerum naturalium norma dirigi, & vel ex totius vniuersi, vel ipsius hominis natura peti debent. Quantum verò ad ipsarum rerum, tum naturalium, tum rationalium tractationem: nihil opus fuit nobis hoc loco ijs immorari: nam principijs eorum leuiter degustatis, & vsu bene perfecteque percepto, nihil est facilius, quàm totam porrò rē, ex ipsis, qui ex professo eam tractarunt, authoribus, desumere. Illud antequam alio abeamus, omnino admonendum est: formas & figuras rerum publicarum, ad humanæ naturæ imitationem comparatas & exactas esse. Nam quemadmodum homo ex animo constat, corpore, ac rebus externis: ita ciuitas, hominibus, ædificijs, & agris continetur. Et rursum, quemadmodum animus rationem, animositatem, & cupiditatem in se continet: ita Respublica, partim principes habet & magistratus, in quibus sunt & sapientes & sacerdotes: partim milites & defensores, qui nobiles ferè vocari solent: partim opifices & agricolas, qui victum & cultum suppeditant toti Reipublicæ. Chrysippus fertur integros commentarios, de Reipublicæ ad hominem collatione conscripsisse: sed nobis ista nunc sufficiunt.

DE PRINCIPIIS GENERALIBVS EXTERNIS.



ROXIMA sunt principia externa, quæ non exiguam quoque iuris partem occupant, quæque propriè prudentem & expertum hominem, & quem politicum vocamus, efficiunt. Nam cùm dicimus, Neminem præsumi suum iactare[a]: Vnumquemque sibi esse proximum[b]: Communionem lites excitare[c]: Semel malum, semper præsumi malum[d]; id non tam ex ipsa hominis natura, quàm foris

a *l. cum de indebito. ff. de probation.*
b *l. præsens. C. de seruit. & aqu.*
c *l. cum pater §. dulcißimis. ff. de leg. 2.*
d *c. semel. de reg. iur. in 6.*

foris aduenit: debetque non ex mente hominis aut animo, ſed ex communibus vitę moribus, longo vſu & tractatione colligi. Quoniam autem horum principiorum non eſt certus & deſcriptus numerus: nihil admodum neceſſarium habemus, in ijs compilandis, & in vnum locum congerendis, multum operę, ſtudijque ponere. Illud tantum operæpretium videtur, vt viam quandam & rationem oſtendamus, qua & colligi notarique, ac ad vſus ciuiles adiungi & accommodari poſſint. Et ideo qui in hiſce rectè ac ordine verſari velit: primùm opus habet, vt originem, progreſſionem, & decurſum teneat, tum totius antiquitatis & humanæ vitę, tum ſuæ in qua viuit, ciuitatis ac Reipublicæ. Deinde verò, vt ijs cognitis ac perceptis, vſum quoque capiat, & annotatis varijs dictorum factorumque exemplis, ſolerter obſeruet ac perquirat, quęnam ea ſint, quę communiter in vita accidant, quęque inſint rebus & hominibus contagia, è mortali genere ſumpta, tum per educationem, nutritionémue: tum per inſtitutionem aut conſuetudinem. Nam ſanè ijs probè intellectis, non eſt in difficili dijudicare, quid in populis obtineri poſſit, quid non: quibus in rebus conniuendum prudenti, & à ſummis illis & perfectis naturæ legibus nonnihil declinandum ſit, neceſſitatis cauſa, in quibus non ſit. Nam ad perfectam illam & primam tantùm naturam reſpicere, & ad illius pręſcriptũ leges omnes conformare velle, monſtri ſimile eſt, & vt nunc ſunt homines, obtineri nullo pacto poteſt. Et plane quantum ad totius generis humani hiſtoriam attinet (vt id breui admoneamus) ea, ſic deſcribi poteſt, vt vno à primo ortu, ad cõmunem omnium hominum interitum, ſub Noah: & altero à Noah, rurſum vſque ad Chriſtum, tractu ac flexu comprehendatur: nam tot fermè poſt Noah annorum ſpatijs & curriculis, reſtitutum eſt genus humanum, per quatuor quaſi gradus, in Abrahamo, Moſe, Dauide, ac Pontificibus, quibus reſpondent admirabiliter, quatuor monarchię

narchiæ Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, ac Romanorum: quot ante Noah corruerat, per quatuor quoque gradus ac ordines, primi ſcilicet peccati in Adamo, ſecundi in Caino, tertij in filijs Seth, qui tandem & ipſi cœperunt, relicta puriore religione, à qua & filij Dei appellabantur, cum poſteritate Caini ſe miſcere: quarti denique, in Gygantibus, ex filijs Dei & hominum procreatis. De Romana hiſtoria (eam enim nunc pro noſtra propria recipimus) conſtat apud Romanos, primum vnius dominatu imperium conſtitiſſe: pòſt deinde paucorum, id eſt, patrum: tertiò, totius populi: quartò, iterum ſub Chriſto, vnius. Cuius quidem imperium poſt quingentos annos tranſlatum Byſantium, poſt alteros quingentos, ad Germanos, apud quos etiámnum reſidet, peruenit. De vſu antiquitatis & hiſtoriæ, primum illud certum eſt, quemadmodum in foro cauſas [e] dicentibus, nefas eſt, nulla pręfatione facta, judici rem exponere: ita etiam inconueniens eſſe, leges populo ferentibus, omiſſis initijs, atque origine non repetita, illotis manibus protinus ad leges ipſas accedere. Nam id demum allicit, & reddit faciles ad parendum ſubditos, ſi videant ea quæ proponuntur, apud patres ſuos obſeruata [f], & à veteribus & Heroicis vſque temporibus ducta eſſe. Prætereà, ipſi conditores & interpretes legum, mirum eſt, quantum per annorum & temporum replicationem adiuuentur. Si verba legum obſoletiora [g] enodanda, ſi cauſa & origo [h] explicanda, ſi mutationis & emendationis ratio [i] ineunda, ſi conciliatio legum inter ſe faciunda, nónne manifeſtum eſt, pleraque omnia ex hiſtoriarum & antiquitatum latebris eruenda eſſe? Nam quis eſt qui ignoret, quòd de imperio & iuriſdictione tanta varietate diſputatur: quod de Poſtumorum inſtitutione nihil intelligitur: quòd ſtipulationum diuiſiones latent: quòd literarum obligatio, quę ſit, ignoretur: quod in toto denique ordine iudiciario, ne minimum quidem caput, ſatìs percipitur: quis

e l.1.ff.de orig. Iur

f §.ult.Inſt.quibus ex cauſ.manon.l. §.ſed hæ Inſt.de exhær. lib.

g § 2.Inſt.de oblig.ex.del. §. appellamus. Inſt. de act. §. ſerui. Inſt. de Iur. perſ.

h l.1.ff. ad maced. l.1.ff. de poſt.

i l.unic. C. de cad. tol. §.1. Inſt.de teſt. §. unic. Inſt. de lit.obligat.

quis est inquam, qui ignoret, id nulla alia ex causa, quàm ex antiquitatis ignoratione proficisci? Non est profectò de nihilo, quod Aristoteles in Rhetoricis, post Herodotum admonet: ei, qui Rempublicam moderaturus & tractaturus sit, nunquã de manu historiã esse deponendã. Nã si hominũ mores & naturã spectes, quibus leges proculdubio accommodari debent: historia docet, quæ sit communis hominum inclinatio, qui mores barbararum, qui cultarum gentium, quid conueniat senibus, quid adolescentibus, quid pauperibus, quid diuitibus, quid nobilibus, quid ignobilibus, quid victoribus, quid victis, quid felicibus, quid desolatis, quid ecclesiasticis, quid profanis, quid filijsfamilias, qd ijs, qui sui iuris sunt, quid masculis, quid fœminis, quid alijs denique omnibus hominib⁹, cuiuscunq; tandẽ loci, ordinis, & conditionis sint. Prætereà, si videre velis, quot & quæ formæ sint rerumpublicarum, quibus rebus crescere soleant ciuitates, quibus contrà labi & corruere, quę res bene soleant succedere, quæ res contrà malè, quid inficere & inquinare soleat populum, quid contrà in officio retinere: si inquam, hæc & similia videre velis, sine quibus clarum est, nullas planè leges aut conscribi, aut conscriptas intelligi posse: sola historia est, quę te docere, & ad omnes vitę vsus, cautum & prouidum efficere possit.
Ipsa res quotidie docet, quàm miserè in interpretando iure ciuili cęcutiant illi, qui rerum humanarum historias nunquam in manus sumpserunt: quàm turpiter in Pontificum constitutionibus hallucinentur, qui veterum Theologorum & sanctorum conciliorũ decreta, nũquàm euoluerunt. Hæc sunt igitur illa, quæ dico, externa principia, quæ ex communibus vitæ vsibus & moribus diligenter in historia obseruatis decerpuntur, quæque non tam ordine describi, & literis mandari, quàm longa tractatione colligi, & per manus tradi, possunt.
Nam quod dicimus in emptione ac venditione alterum naturaliter alterum circunuenire[k]; Eum qui tacet videri con-

k *l. in causæ. 2. ff. de mi.*

ri con-

ri consentire[l]: Qui suppellectilem in domum conductam infert, intelligi eam tacitè obligare[m]: Hominem ad malum procliuem & pronum esse: quid? an non omnes percipimus, hęc non à natura, sed à communi vsu & consuetudine fluxisse? Quod dicimus fines mandati diligenter custodiendos esse: communionem lites excitare: naturalem esse hominum ad dissentiendum facilitatem: quid? an non hoc & imperia Manliana, & tot fratrum ac coniunctissimorum hominum bella, & alia infinita exempla, quæ ab vltima rerum memoria repeti possunt, satis euidenter docent? Ergo principia externa, propriè vocamus ea, quę in communi hominum vita versantur, & ab experientibus ac prudentibus animaduertuntur. Ponuntur autē in his principijs, nonnunquam etiam ea, quę prępualentiam[n] significant, & non ordinaria aliqua iuris ratione, sed extraordinaria & diuina potiùs, quàm humana procedunt. Sic enim pictura non cedit[o] tabulæ, cum tamen scriptura cedat: sic in publicatione bonorum non sustinet periculū emptor ante rem traditā, cum tamē reliqua omnia pericula[p] sustineat: sic qui nobiliores artes exercent, non dicūtur mercedem aut manus pretium accipere, quemadmodum alij, sed honorarium[q]: sic denique ea tempestas, quę[r] θεοῦ βία. Græcis dicitur, aliam habet iuris definitionē, quàm quæ communis est. Et ideo si capita quædam facere velimus horum principiorum: externa principia omnia, vel sunt humana, vel diuina. Humana, quę foris quidem accedunt, sed ex causis indifferentibus, nonnunquàm etiam ex nuda voluntate[s], vel affectione legislatoris. Diuina, quę extrinsecus etiam adueniunt, sed ex causis supra naturam positis. Potestque dici, quædam etiam Christianę religionis pręcepta, inter externa principia numerari[t]: quasi scilicet omne id externum sit, quod non conueniat, vel cum rationis ac mentis, vel cum ipsius naturę cursu ac ordine. Iam autem quod iureconsultus nonnunquam aliquid mutuatur à Medicis[v], Mēsoribus[x], Oratoribus[y], Poëtis[z], Philosophis[a]

l c. qui tacet. de reg. Iur. in 6.
m l. 3. 4. ff. de pact.
n l. in rem. §. in omnibus. ff. de rei uend.
o §. si quis. Inst. de rer. diuis.
p l. Lucius. ff. de euict. l. si fundus. ff. locat.
q l. 1. ff. de uar. & extraord. cog.
r l. si merces. §. uis maior ff. locat.
s l. 3. § eiusdem, in fi. ff. de test. l. capienda. §. 1. ff. de reg. Iur.
t exēpla sunt in c. cū esses. ext. de testam. c. cō suluit, extr. de usur. cum simi.
v l. septimo. ff. de stat. ho.
x l. 1. & toto titulo. ff si mēs. f. l. s. mod. dix.
y l. Cicero l. aut facta. ff. de pœn.
z §. item precium. Inst. de emp. & uend.

ſophis [a],non tam pro externis principijs debet reputari, quàm quod omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent,quoddam habeant commune vinculum,& quaſi cognatione quadam ,inter ſeſe contineantur.Nũc ad particularia principia.

a l.1.ff.de mund. l.ſi poteſt.§.uã & Ariſtoteles. ff. de ſolut.

DE PRINCIPIIS PARTICVLARIBVS.



VNT autem principia particularia,quę apud rei ruſticæ ſcriptores Oracula,apud medicos Aphoriſmi, apud rei militaris authores,quemadmodum apud nos [a],Regulæ vocantur. Et ſunt eorum tot fermè genera,quot omnino rerum agendarum. De his,quoniam iuſtus exſtat in Pandectis tractatus, cui titulus eſt,de Regulis Iuris antiqui:nihil opus eſt,vt nos prolixiùs agamus:maximè cùm in vnaquaq; Iuris parte vltrò ſe offerant,& ex ijs,de quibus hactenus dictum eſt principijs,deducantur & pendeant. Illud tantùm videtur præſentis inſtituti ratio poſtulare, vt videamus,primum, quomodo ad certa, diſtinctaque capita reuocari, deinde quo pacto ex ipſis legibus elici poſſint.Capita in vniuerſum poſſunt ſtatui duo. Vnum, ipſius Iuris: Alterum, rerum ad quas Ius pertinet. Iuris quidem, veluti cùm vel de iuſticia & eius partibus : vel de iudicijs & eius proceſſu regulæ fiunt. Rerum verò, veluti cùm vel de obiectis Iuris,perſonis ſcilicet, rebus & commercijs, vel de locis communibus, quæ per omnia Iuris membra diſparguntur, cuiuſmodi eſt tractatus de dolo & culpa, de acceſſorijs,de natura conditionum,de impoſſibili, de alternatiuis,deque ſimilibus, agitur. Iuris & Iuſtitiæ regulæ quædam,exempli gratia, ſunt huiuſmodi: IN OMNIBVS QVIDEM, MAXIME TAMEN IN IVRE, ÆQVITAS SPECTANDA EST: QVÆ RERVM NATVRA PROHIBENTVR, NVLLA LEGE CONFIRMATA SVNT: NON OMNE QVOD

a l.1.ff. de reg. Iur.

LICET, HONESTVM EST. Et possunt ad hoc idem caput reuocari omnia, quæ de fortitudine, temperantia, prudentia, modestia, & reliquis virtutibus passim se offerunt. Iudiciorum & rerum forensium, tales quædam sunt regulæ: RES IVDICATA PRO VERITATE ACCIPITVR: FACTVM A IVDICE, QVOD AD EIVS OFFICIVM NON PERTINET, RATVM NON EST: NON DEBET ACTORI LICERE, QVOD REO NON PERMITTITVR: BONA FIDES NON PATITVR: VT IDEM BIS EXIGATVR: FAVORABILIORES REI POTIVS QVAM ACTORES HABENTVR. Et spectant huc omnia etiam illa, quæ de magistratibus, imperio ac Iurisdictione dici possunt. De partibus & membris Iuris hæ sunt: LIBERTAS INÆSTIMABILIS RES EST: SERVITVTEM MORTALITATI COMPARAMVS: NVPTIAS NON CONCVBITVS, SED CONSENSVS FACIT: IN TESTAMENTIS PLENIVS VOLVNTATES TESTANTIVM INTERPRETANTVR: QVAMDIV POSSIT VALERE TESTAMENTVM, TAM DIV LEGITIMVS NON ADMITTITVR: IN OMNIBVS OBLIGATIONIBVS, IN QVIBVS DIES NON PONITVR, PRÆSENTI DIE DEBETVR: CVI IVS EST DONANDI, EIDEM ET VENDENDI ET CONCEDENDI IVS EST: NEMO EX SVO DELICTO MELIOREM SVAM CONDITIONEM FACERE POTEST. Locorũ cõmunium tria sunt summa genera. Vnũ, significationis verborũ, cuius maximus & pernecessarius est vsus, in toto Iure Ciuili: Alterũ cõiecturę voluntatis, quę licet dominetur in vltimis testãtium elogijs, pertinet tamen etiã ad contractus, iudicia, & reliquas vitę actiones: Tertiũ, rerum naturaliũ, rationalium & moraliũ, quarum vis porrigitur & dilatatur per omnia. Exẽpla primi generis sunt hæc: FILII APPELLATIONE OMNES LIBEROS INTELLIGIMVS: ETIAM AVREOS

NVMMOS

NVMMOS ÆS DICIMVS: HÆREDITATIS NOMINE ETIAM BONORVM POSSESSIO CONTINETVR: PECVNIÆ NOMINE, NON SOLVM NVMERATA PECVNIA, SED OMNES RES TAM SOLI QVAM MOBILES, ET TAM CORPORA QVAM IVRA, CONTINENTVR. Secundi hæc: SEMPER IN DVBIIS BENIGNIORA PRÆFERENDA SVNT: QVI TACET NON VTIQVE FATETVR, SED TAMEN VERVM EST EVM NON NEGARE: IN AMBIGVIS ORATIONIBVS MAXIME SENTENTIA SPECTANDA EIVS, QVI EAS PROTVLISSET. Tertij hæc: IMPOSSIBILIVM NVLLA OBLIGATIO: TEMPVS NON EST MODVS INDVCENDÆ VEL TOLLENDÆ OBLIGATIONIS. FVRIOSVS ABSENTIS LOCO EST: EIVS EST NOLLE QVI POTEST ET VELLE: INVITO BENEFICIVM NON DATVR: RATIHABITIO MANDATO COMPARATVR. Ratio eliciendarum regularum siue principiorũ particulariũ ex ipsis legibus, duas habet vias. Altera est, cum ex ipsis apertè verbis legis desumimus regulá, vel quia hoc nominatim agit legislator vt regulá tradat, veluti cùm dicit: NAM HOC NATVRA ÆQVVM EST, NEMINEM CVM ALTERIVS IACTVRA LOCVPLETARI: Vel quia alicuius speciei adstruendæ gratia, ea vtitur: vt in multis iuris locis licet annotare. Altera est, cum ex mẽte legis arripimus aliquid, quod necessariò consequens est ijs, quæ verbis exprimũtur, idq; vel directò vel à cõtrario sensu. Directò, vt cũ ex his verbis: NON [b] CODICILLVM, TE FACERE VOLVISSE SED TESTAMENTVM, SIGNIFICAT HÆREDIS INSTITVTIO, excipimus regulam, Rei qualitaté agẽtis intentioné demonstrare. A contrario sensu, veluti cùm probamus regulariter, extra causam testamenti, mulierem testimoniũ dicere posse, eo argumento, quod lex Iula de Adulterijs,

b *l. non codicilli, & ibi no. C. de testam.*

c l. qui testamẽto §. cum. ff. de testam.

d d l. 1. l

adulterij damnatam testem produci vel dicere testimonium vetat [c]. Atque hoc quidem colligendarum regularum studium, non solùm mentem & iudicium exacuit in ipsa indagatione: verùm etiam modum & rationem præbet, qua de omnibus rebus statim & ex tempore responderi possit. Sed adhibenda est diligens cautio, ne ad vnam aliquam tantummodo regulam respicientes, & aliam, quæ ferè diuersum suadeat, prætermittentes, in errorem aliquem deducamur: quod quidem in hoc genere valde procliue est. Cui & illud insuper accedit, quòd omnium regularum, quæ in Iure passim exstant, non sit eadem ratio. Quædam enim sunt principia, & possunt quibusuis Iuris partibus & quæstionibus accommodari: vt, NOM DEBET ALTERI PER ALTERVM INIQVA CONDITIO OFFERRI: SECVNDVM NATVRAM EST, COMMODA CVIVSQVE REI SEQVI EVM, QVEM SEQVVNTVR INCOMMODA: Quædam sunt coniectiones tantum, & breuiaria, ex pluribus speciebus, in vnum, per commune aliquid collecta: cuiusmodi ferè sunt omnes Iuris antiqui regulæ, secundum ipsam Pauli definitionẽ [d]. Et ex huiusmodi non possunt trahi argumenta, ad quasuis Iuris quæstiones, sed valent tantum ad breuem aliquam collectionem (quam forensi vocabulo coniectionem vocat Paulus) eorum casuum, ex quibus constitutæ sunt, & ad quos tantummodo respiciunt. Et ideo, si quis regulam, NON DEBET ALTERI PER ALTERVM INIQVA SONDITIO OFFERRI ad nouas aliquas species producat, rectè faciet: si verò eam qua dicitur: FOEMINÆ AB OMNI OFFICIO PVBLICO DEBENT ABSTINERE vltra casus enumeratos porrigat: non rectè, propter rationem suprascriptam. Etsi igitur magnus & frequens est vsus horum principiorum particularium: tamẽ diligenter etiam atq; etiam circunspiciendum est, vt ne in fraudem aliquam nos illiciant.

DE LEGE

DE LEGE.



EMONSTRATO fine iuris & principijs: consequens est, vt de forma quoque eius, qua id, quod iustum & rationi consentaneum apparuit, comprehendatur, nonnihil disseramus. Est autem ea forma nihil aliud, quàm ipsa lex, cuius officium in eo consistit, vt quæ iusta & fini conuenientia visa sunt, & cum rationis principijs cõgruentia, vel contrà: ea redigat ad certum aliquod pręceptum & iussum, tum imperando aut vetando, tum verò permittẽdo aut puniendo [a]. Et sanè quemadmodum finis ad eam potissimum animi partem refertur, in qua inest appetitus & voluntas: item principia ad eam, in qua vis rationis hæret & intelligentiæ: ita lex, quæ est virtus & ratio iam cõfirmata & confecta in animo, præcipuè locatur in mente ac memoria, in qua imperium residet ac authoritas. Describitur aũt princeps illa lex & vltima, vt nihil sit aliud, quàm mens, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei, habens vim ad rectè facta vocandi, & à peccatis auocandi. Quæ vis non modò senior est, quàm ætas populorum & ciuitatum: sed æqualis illius, cœlum atque terras tuentis, atque regentis Dei. Et ab hac lege rectè laudatur illa lex, quam dij humano [b] generi dederunt, quæque nihil est aliud, quàm ratio ac mens sapientis, ad iubendum & deterrendum idonea. Nec verò ad rem pertinet, quòd Papinianus [c] Legem dicit esse commune pręceptum, virorum, prudẽtum consultũ, delictorum, quę sponte vel ignorantia contrahuntur, coërtionem, communis Reipublicæ sponsionem: quasi scilicet ad legem faciendam, non sufficiat solius sapientis sententia: nõ pertinet ad rem inquam: quoniam is in populari ratione versatur, quemadmodum & Aristoteles in tertio de Republica rectè dicens, Non aliter legis vim habere, quod præcipit sapiens, nisi pactione quadam & sponsione ac-

a *l. legis virtus. ff. de iust. & iure*

b *l. 2. ff. de ll.*

c *l. 1. ff. de legib.*

cipiatur & approbetur à populo: sed nos ipsam per se legem spectamus, quæ sua sponte consistere, & nomen suũ rectè tueri potest, etiamsi à nullo, vt inquit Plato, recipiatur. Et est quidem nomen legis collatum à deligendo, videlicet, quod delectum rerum faciat, quemadmodum iuris à iubendo, quòd imperandi vim & potestatem habeat. Quoniam autem omnes homines, qui quidem legibus & moribus reguntur, vel vt animalia considerantur, vt inquit Aristoteles: vel vt homines, vel vt ciues: lex omnis siue Ius quo vtimur, in tres in vniuersum species vel gradus diuiditur. Aliud enim est Ius naturale: aliud gentium: aliud ciuile[d]. NATVRALE est quod natura omnia animalia docuit, erumpens ex ijs principijs, quæ naturalia in superioribus à nobis dicta sunt. Et est non solum humani generis proprium, verùm etiam omnium animalium, quæ cœlo, terra, & mari nascuntur: docens maris & fœminæ coniugationem, quam nos matrimonium appellamus: item liberorum procreationem & educationem, quarum peritia, cætera quoque bruta animalia censentur[e]. Nec debet verò cuiquam mirum videri, quod cum rationis & orationis sint expertes beluæ, tamen legis & iuris participes à nobis dicantur: hactenus enim iuris sunt compotes, & legis habent communionem, vt ei parere possint & obtemperare: quantum autem ad intelligendum & diiudicandum de iure attinet, longè secùs est: id enim solis hominib' est tributum. GENTIVM ius est, quod solis & omnibus hominibus conuenit[f], originem suam ducens à principijs diuinis, & à recta naturalique ratione: cuius respectu à Philosophis, naturale hominis quoque Ius dicitur: veluti, Deum colere, parentibus & patriæ obedire: nam ea à nullo alio proficiscuntur, quàm mente ac ratione diuina. Planè quoddã est etiam ius gentiũ, quod ab externis principijs oritur, quodque à Philosophis Ciuile dicitur, quia scilicet arte, non natura consistit: verum à Iureconsultis ideo Gentium appellatur, quia omnibus vt plurimùm

d §.ult. Inst. de Iust.& Iur.

e §.1. Inst de Iur nat.

f l. 1. in fi. ff. de Iust.& Iur.

mùm gentibus commune eſt: vt dominiorum[g] diſtinctio, commerciorum & bellorum ratio, conſtitutiones ciuitatum: nam ea & ſimilia, vſu vbique exigente, & humanis neceſſitatibus requirentibus, introducta ſunt[h]. Et quemadmodum illud ſuperius, antiquum[i] Ius gentium appellatur à conſultis, ita iſtud, rectè nouum (niſi fallor) dici poteſt: Quod quidem cùm primum oritur, rude eſt & impolitum: ſed longo tandem vſu & tractatione, limatur nonnihil & excolitur politiùs. Et poteſt fieri, vt quod primo ſuo ortu priuatum eſt, & vnius tantum populi: procedentibus temporibus, publicum fiat & commune, & ad omnes vbique gentes transferatur. Nam acceptilatio, origine quidem ciuilis eſt, & populi Romani: ſed vſu tamen & tempore effectum eſt: vt omnium[k] vbique gentium & communis eſſe cœperit. CIVILE ius eſt, quod vni tantũ ciuitati vel Reipublicę[l] conuenit, trahens vtplurimùm originem à principijs externis, videlicet cùm vel natura loci & ratio ſic exigit, vel affectio legiſlatoris & voluntas: vnde etiam[m] commenticium Ius dicitur. Et cùm ſuperiores duæ ſpecies quaſi diuina prouidentia conſtitutæ, perpetuę ſint & immutabiles: hoc ius quod ciuile vocamus, emendari, corrigi, & mutari poteſt, vel tacito conſenſu populi, vel alia poſtea lege lata[n]. Ac ratio quidem diuerſitatis eſt, quoniam id quod humano fragilique conſilio conſtitutum eſt, hominum iterum iudicio infirmari & tolli poteſt: cæterum quod vel in natura poſitum eſt, vel mente, vel tacita Dei voluntate, per omnes vbique nationes diſperſum eſt, id tanquam diuinum & æternum, nullis hominum ſcitis & legibus abrogari aut in aliam ſpeciem formamque transfundi poteſt. Nec mutat verò, quòd libertas hominum, quæ naturalis eſt[o], in ſeruitutem, in pluribus hominibus, quotidie mutetur: quoniam aliud eſt in actionibus, aliud in iuribus naturalibus. Multæ ſunt actiones naturales, quæ vel impediri, vel immutari poſſunt: Iura verò, & principia naturalia, nulla penitus nec

g *l. ex hac Iure. ff. de Iuſt. & Iur.*

h *§. Ius autem. Inſt. de Iur nat*

i *l. 1. ff. de acquir rer. do.*

k *l. an inutilis. ff. de acceptilat.*

l *§. 2. Inſt. de Iur nat.*

m *l. ſi pœna. ff. de pœn.*

n *§. penul Inſt. de Iur. nat.*

o *c. Ius naturale 1. diſt.*

tus nec vi coërceri, nec tẽpestate obrui queunt. Sunt enim quasi semina quædam, & igniculi in natura collocati, qui non nisi cum ipsa natura deleri possunt, & ideo seruus occidi quidem & vendi potest, cogi autem vt adeat hęreditatem, non potest. Nunc videamus in quot species Ius Ciuile deducatur: nam aliud vniuersale est totius Reipublicæ: aliud municipale: aliud personale: idque secundum progressum naturæ, quæ à latissimè patentibus, paulatim progreditur ad indiuidua. Et vniuersale rursum, vel aperto consensu [p] fit manifesta hominum voluntate & ratione: vel consuetudine, quæ tacita quadam & abdita populi, quasi conspiratione constat: vel necessitate, quæ vtriusque compos est & particeps: de quibus singulis est explicãdũ. Quod cõsensu fit [q], vel inducitur per cõstitutionẽ ab exordio, vel per interpretationẽ ex pòst facto. Per constitutionẽ quidẽ, cũ vel à toto eoq; libero populo fiũt, tũ leges, tum plebiscita [r] in Democratia: vel à paucis & ijs præstantioribus senatusconsulta, in Aristocratia [s]: vel ab vno aliquo, penes quẽ summa rerum sit, placita, in Monarchia [t]. Per interpretationem vero fit Ius, cum vel iudicantium religioni res committitur, ex quo manauit Ius prætorium [v], & Ædilitiũ apud Romanos: vel prudentum & doctorũ hominum opinionibus & sententijs statur, ex quo natum est Ius, quod proprio [x] nomine Ciuile dicitur: nam ipsa planè res & vsus quotidianus, docet, esse oportere in ciuitate aliquos, q iura publice interpretari, & legũ nodos & ęnigmata, vt inquit ille, consultoribus dissoluere sciant. Ex consuetudine [a] Ius venit: quod vsus approbauit: nam diuturni mores consensu vtentium approbati, legem imitãtur: vtpote, qui in tantũ [b] placeãt, vt nõ necesse sit scripto eos cõprehẽdere. Quod tamẽ sic accipe, si nõ sine ratione introducti sint: nã alioqui, qđ errore primũ, deinde consuetudine obtentum est, in alijs similibus non obtinet [c]. Dicitur autem id maximè consuetudine vtentium approbatum, quod contradicto aliquando iudicio firma-

p *l. pen. ff. de legib.*

q *§. cõstat. Inst. de Iur nat.*

r *§. lex. §. plebiscitum Inst. de Iur. nat.*

s *§. senatusconsultum. Inst. de Iur. nat.*

t *§ sed & q Inst. de Iur. nat.*

v *§. pretoriũ Inst. de Iur. nat.*

x *§. respõsa. Inst. de Iur. nat. l. 2. ff. de orig. Iur.*

a *§. ex consuetudine Instit. de Iur. nat.*

b *l. de quibus ff. de legib. l. immo. eodem.*

c *l. quod non ff. de legib.*

firmatum[d] eſt:id verò diuturnis moribus inductum,quod per plurimos annos eſt obſeruatum[e]. Eſtq; ea vis conſuetudinis,vt ſi de interpretatione legis quęratur, imprimis ad eam recurratur[f]: nam optima legum interpres conſuetudo[g]: & in ambiguitatibus quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudo, aut rerum perpetuò ſimiliter iudicatarũ authoritas, vim legis obtinet[h]. Prætereà de quibus cauſis ſcriptis legibus nõ vtimur,id cuſtoditur, quod moribus & conſuetudine introductum eſt[i]. Ad hæc licèt manifeſtũ ſit, principẽ conſtitutionẽ condendo poſteriorẽ,priorẽ,(quamuìs de illa mentionẽ non faciat) tollere: quia tamen locorũ ſpecialiũ, & perſonarum ſingularium conſuetudines & ſtatuta, cum ſint facti, & in facto conſiſtant,poteſt probabiliter ignorare: ipſis,dum tamen rationabilia ſint, per conſtitutionem nouè à ſe editam,(inquit ſummus[k] pontifex) niſi expreſſe caueatur in ipſa, non intelligitur in aliquo derogare. Per neceſſitatem ius illud cõſtituitur, quod rebus & tẽporibus ſic exigẽtibus, inducitur: veluti cũ propter multitudinẽ graſſantium pœnę intendũtur,[l] cùm ob grauẽ aliquem belli metũ,etiam eccleſiaſticis vectigalia imperantur[m]. Nam ſępe fit,vt ea, quæ primùm propter neceſſitatem aliquam repentinam, momenti cauſa,inſtituta ſunt, pòſt deinde, ſi fortè commoda repereantur, vt in Macedoniano[n] Senatuſconſulto,perpetuam authoritatem adipiſcantur. Atque hæc de legibus vniuerſalibus. Municipales ſunt, quæ certis municipijs & ciuitatibus permittuntur, vel à principe, vel conſuetudine, vel conſtitutione propria. Atque eſt harum ea vis & poteſtas,vt in ſuis locis & territorijs,derogent vniuerſalibus pòſt inductis, & non habentibus clauſulam derogationis: quod tamen ſecùs eſt in ijs municipalibus legibus,quę poſt imperialia ſtatuta,nec principis voluntate, nec longę cõſuetudinis obtentu,ſed ſolo municipum arbitrio fiunt: eas enim communi iuri nihil detrahere manifeſtum[o] eſt: ne ſcilicet in poteſtate ſubditorum ſit,leges vniuerſales, irritas & eluſorias efficere. Et

hæc

d *l. cùm de. ff. de legib.*
e *l. ſed ea. ff. de legib.*
f *l. ſi de interpretatione. ff. de legib.*
g *d. l. ſi de.*
h *l. nam imperator. ff. de legib.*
i *d. l. de quibus.*
k *c. licet. de conſt. in 6.*
l *l. aut facta. ff. de pœn.*
m *l. neminem. C. de ſacroſanct. eccleſ.*
n *l. 1. ff. ad. mace.*
o *l. 3. §. diuus. ff. de ſepulch. uiolat.*

hæc etiam obſeruantur in ijs ſtatutis, quæ certis corporibus, curijs, collegijs, prouincijs, auditorijs, familijs & alijs eiuſmodi irrogātur. Perſonales leges ſunt, quæ certis perſonis accōmodantur, veluti Auguſtæ[p], id eſt, cōiugi principis: item amicis, vti[q] in quibuſdam fideicommiſſarijs fiebat ſub Auguſto. Eſtque harum ea natura, vt perſonam non tranſgrediantur, quoniam non hoc princeps[r] vult. Cæterùm, fit tamen nonnunquam, vt quod primùm vnius tantùm in perſona obtinet, pòſt deinde ad communem omnium hominum vſum transferatur[s]. Sed hęc hactenus de iuris & legum definitione, ac varijs earum ſpeciebus. Iam partes[t] verò ſecundum Platonem ſunt, Procœmium, ad inuitandum: Conſtitutio, ad iubendum vel vetandum: Sanctio, ad deterrendum vel puniendum. Et ex his quidem partibus, licèt ſæpe omittantur, vel procœmia, vel ſanctiones, tamen nonnunquàm, & quidem maximè in conſtitutionibus principum, licet omnia tria reperire. Quantum ad prudentum reſponſa pertinet, etſi pleraque omnia, conſtant nuda interrogatione & reſponſione: tamen in plenioribus[v]: Primò, ſpeciem facti proponunt: Secundò, quęſtionem cum ratione dubitandi: Tertiò reſponſum: Quartò: rationem: Quintò, contrariorum diſſolutionem: Sextò, quæſtiones cognatas: Septimò, legis actionem, qua ſit experiundum. Vſus[x] omnis iuris conſiſtit, vel in acquirēdo, vel in conſeruando, vel in minuendo: nam aut hoc agitur, quemadmodum quid cuiuſque fiat, aut quēadmodum quis rem ſuā vel ius ſuum coſeruet, aut quomodo alienet aut amittat. Prætereà, etſi omnes, quicūq; ſunt in Republica, homines, legis dicūtur participes: tamen eorū alij, dicūtur Auguſtino, viuere ſine legibus, vt immanes & furioſi: alij ſub lege, vt mali & improbi, qui pœnis magìs & præmijs legum parent, q̄ ipſis legibus: alij in lege, vt mediocres, & qui ſe ſuamque voluntatem accommodant legibus: alij denique ſupra legem, vt principes, & viri boni ac ſapientes, quibus ipſa ratio pro lege eſt. Virtus[y] legis eſt, imperare

p *l. princeps. ff. de legib.*
q *§. 1. Inſt. de fid. hæred.*
r *§. ſed & Inſt. de Iur. na.*
s *d §. 1. de fid. hæred.*
t *§. ult. Inſt de his, qui ſui uel al. Iur.*
v *ui l. l. lecta. ff. ſi cert. pet.*
x *l. ult. ff. de legib.*
y *l. legis uirtus. ff. de legib.*

imperare, vetare permittere. punire. Quæ necessaria sunt vt fiant, imperantur: quæ vt non fiant, vetantur: quę media sunt, permittuntur: vel hoc, vel illo modo. Si quid autem secùs fiat, quàm lex vult, punitur, idque siue fiat cõtra legem, veluti cùm quis id facit quod lex prohibet: siue in fraudem legis, cum videlicet saluis verbis legis, sententiam eius quis circumuenit[z].

z l. contra, cum l. seq. ff. de legi.

DE ROGATIONE, INTERPRETATIONE, MATERIA, ET ABROGATIONE LEGVM.



ILLVD breuiter videndum est, quisnam legum sit ortus, & quomodo conscribantur: quę interpretatio: quę materia: quis occasus & interitus earum. In recta iuris scribendi ratione, prima Regula est, vt in ijs iura constituantur, quæ vt plurimum accidunt, non in ijs quæ fortuito aliquo casu: nam ad ea potiùs debet aptari ius, quę & frequenter & facilè, quàm quæ perrarò eueniunt[a]. Secunda, vt ea quæ generalia sunt, legibus comprehendantur: nam neque Leges, neque Senatusconsulta, ita scribi possunt, vt omnes casus, qui quandoque inciderint, in sese contineant nominatim: sed quoties vnum vel alterum introductum est, bona occasio est, hoc transferre per alia: & cætera, quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel iurisdictione supplere[b]. Tertia, vt non in singulas personas, sed generaliter[b] iura constituantur: nam etsi nonnunquam aliquod ius constituatur, quod singulare dicatur[c], tamen in eo non sequimur communem iuris regulam, nec potest in vllo casu produci ad consequentiam[d]. Quarta denique, vt non præteritis rebus, sed futuris modum ponant: nam & eò spectat regula, Cùm[e] lex in pręteritum quid indulget, in futurum vetat. INTERPRETATIO iuris est duplex: Vna, ad intelligendum: Altera, ad supplen-

a l. iura, cum 3. seq. ff. de legib.

b l. iura l. neque leges. l. nõ poss. sunt. ff de legi.

c l ius singulare ff. de legib.

d l. quod uero cum seq. ff. de ll.

e l. cum lex. ff. de legib.

plendum. Ad intelligendum, ante omnia requiritur verborum interpretatio, quę historica Varroni dicitur, quęque in omnibus primas obtinet: Deinde, mentis & rationis, quæ etymologica nominatur: Nam[f] scire leges, non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem: Vltimo, locorum vel aduersantium, vel correspondentium collatio, quę Analogica dicitur: ná nõ est nouũ, vt priores leges ad posteriores, & cõtrà, posteriores ad priores trahantur[g]. Ad supplendum, subinde est necessaria principis authoritas, si res, qua de agitur, latè pateat, & maximi momenti sit: Nam eius est propriè, quod deest, supplere, cuius est ab initio condere[h]. Subinde iudicis, si res expedita sit & facilis: nam ius prætorium, ad nullum alium vsum introductum est, quàm adiuuandi, supplendi, corrigendi, iuris ciuilis gratia, cuius etiam quasi viua quædam vox esse censetur[i]. Subinde iurisconsulti, si res spinosior & intricatior fortè sit: nam hoc euenit naturaliter, vt authoritas prudentium desideretur, & disputatio fori[k]. Sed de eo pluscula idoneo loco. In omni aũt interpretatione oportet meminisse: Minimè mutanda esse ea, quæ interpretationem certam semper habuerunt[l]: Item inciuile esse, nisi tota lege perspecta, vna aliqua particula eius proposita, iudicare vel respondere[m]. Adhæc benigniùs leges interpredandas in ambiguis, quo voluntas earum conseruetur[n]. Pręthereà nullam iuris rationem pati, vt quæ salubriter pro hominum vtilitate introducuntur, ea nos duriore interpretatione, contra ipsorum commodum producamus ad seueritatem[o]. Denique non omnium, quæ à maioribus vel abscondita aliqua ratione, vel pro ratione temporis constituta sunt, rationem reddi posse[p]. Materies iuris partim diuinis & humanis rebus, partim publicis & priuatis, partim personis & rebus finitur, Diuinas res voco, quæ ad religionis & diuini cultus officium pertinent: Humanas, quæ ad commodum & vtilitatem hominum: Publicas, quæ ad statum totius Reipublicæ: Priuatas, quæ ad singulorum vtilitatem, & ratio

f *l. scire. ff. de legib.*

g *l. non est nouũ. ff. de legib.*

h *l. pæn. & ult. C. de leg. & const. princip.*

i *l. Ius autem, cũ l. seq. ff. de Iust. & Iur.*

k *l. 2. ff. de orig. Iur.*

l *l. minime. ff. de legib.*

m *l. inciuile. ff. de legib.*

n *l. benignius. ff. de legib.*

o *l. nulla. ff. de legib.*

p *l. non omniuũ, cum l. seq. ff. de legib.*

rationem referuntur: Personas, veluti cùm de statu & dignitate & coniunctione personarum quæritur: Res, vt cum de dominiorum distinctione, & commercijs. Extra hæc tria[q] nihil puto temerè inueniri, quòd ad Iuris materiã pertineat. Siue enim te conuertas ad rerũ distinctiones, siue ad interdicta, siue ad actiones, siue ad nuptias & matrimonia, siue ad crimina & delicta, siue ad quecũq; deniq; alium iuris tractatum, semper inuenies præcipuas quasq; distinctiones, ex hisce tribus efflorescere. Interitus & occasus legũ contingit, vel desuetudine, cùm nõ vtendo finiuntur & antiquantur, quemadmodum in seruis dedititijs[r] & latinis: item testamentis calatis comitijs, procinctis, & per æs &[s] librã contigit. Vel constitutione aliqua, cũ vel[t] abrogãtur, vel derogãtur, vel subrogantur, vel obrogantur. Abrogantur autem, quæ penitus tolluntur, vt lex Fusia Caninia[v]. Derogantur, quorũ pars aufertur, vt lex Aquilia, cuius secundum caput in vsu non[x] est. Subrogantur, quibus aliquid adijcitur, vt in[y] testamentis paulatim contigit. Obrogantur, quæ in aliam formam & speciem mutantur, vt vsucapio[z]. Nunc reliquum est, vt conclusa sit nobis ea pars instituti operis, quæ est de bono & æquo, siue de principijs iusti & iniusti: quæ quidem, cùm sit totius sapientiæ ciuilis, vt author est Plato, prooemium, tam habet fœcundum ac locupletem tractatum, vt vel sola, vniuersam Iurisprudentiam in se complecti, quodammodo videri possit.

q *de quib §. Iurisprudentia. §. ultimo. Inst de Iust. & Iur. §. ult. inst de Iur. nat.*

r *§. ult. Inst de libert.*

s *§. 1. Inst de testam.*

t *vid. Vlp. in Inst. sub tit. de libert.*

v *§. unic. Inst. de l. Fus. Ca. toll.*

x *§. liberum. Inst de leg. Aquil.*

y *§. sed cum paulatim. Inst. de testam.*

z *C. de usucap. transformand.*

IOACHI-

IOACHIMI HOPPERI

PHRISII IVRECON-SVLTI,

DE IVRIS ARTE,

Liber Secundus.

EINCEPS sequitur, vt tractandum sit de legum condendarum arte ac facultate: nam de ea secundo loco dicere, statim initio constituimus, estque in ea, prȩcipua legislatoris commendatio, quæ quidem foris apparet, collocata.

Qui ergo bonis & vtilibus legibus fundaturus est ciuitatem: Primùm omnium sibi paret, necesse est, cognitionem earum rerum, quibus communitas hominum, & societas inter ipsos continetur: deinde verò viam & rationem, qua boni & æqui principia, de quibus hactenus est expositum, per eas res diffundi ac deduci debeant. Nam quemadmodum Medicus, primùm simpliciter inquirit, de humani corporis fabrica & compositione, de intraneis, de ossibus, de neruis, arterijs, venis, ligamentis, musculis: pòst deinde verò, de ijs quȩ corpori vel salubria sunt, vel insalubria, vel neutra: ita etiam vniuersa iurisprudentia, partim consistit in diuinarum & humanarum rerum notitia: partim in iusti & iniusti per eas distributi scientia[a]. Et quotidie tractaturi de nostris negotijs, in ipso statim ingressu quȩrimus, quæ materies, quæúe facti species sit: ea cognita, quá iuris quámue iniuriæ formam habeat[b]. Atque haud scio, an liberalibus & heroicis ingenijs quicquam possit accidere iucundius, quàm tum totius Reipublicȩ formam ac speciem, partesque ac membra, sub vnum conspectum posita videre:

a §.1. Inst de Iust & Iur.

b l. ut respons. in C. de transact.

videre: tum autem vitam & mores cõtueri quibus tanquam ſpiritu quodam & animo,totum illud Reipublicę corpus , viuit ac mouetur. His ergo duobus explicatis, ſatis mihi videbitur perpurgatus totus iſte locus nunc propoſitus, de legum condendarum ratione ac facultate. Nam ipſas leges in ſumma quędam capita ſiue genera digerere, eaque rurſum in ſpecies,tum ſuperiores, tum inferiores diducere, magis pertinet ad eos,qui iá leges condunt,vel conditas in ordinẽ includunt, quàm ad pręſens inſtitutum,in quo ſcientiam & ipſam artẽ inſtituimus, qua vel conſcribere leges , vel de conſcriptis æſtimare poſſimus. Earum igitur rerum omnium , quæ ad Rempublicam tuendam & regendam pertinent , vel potiùs, ex quibus tanquá partibus, Reſpublica conflata eſt, tres ſunt omnino ſpecies : aliæ[c] ſunt DIVINÆ , aliæ HUMANÆ , aliæ MIXTÆ. Diuinæ appellantur , quę in altiore animi noſtri ſede collocatæ,tum Deum ipſum tum quæ aduerſus Deum eſt,religionem reſpiciunt. Humanæ,quę in inferiori parte poſitæ,ad naturæ ſocietatiſque noſtræ conſeruationem,diriguntur. Mediæ, inter vtramque partem interiectæ , vtrique pariter inſeruiunt. Et conſtituitur quidem hæc diuiſio,ex ipſius hominis , cuius imaginem Reſpublica refert partitione. Nam cùm homo mẽte conſtet, corpore, & animo : Mens eſt , qua Deum contemplamur : Corpus, in quo quidem anima ineſt,(nam alioqui cadauer vocatur)qua viuimus: Animus , quo tam diuina, quàm humana ſapimus,& dijudicamus. Hinc porrò fit, vt cùm tria ſint hominum genera in quaque ciuitate penes quos rerum ſumma ſit:Sacerdotes, Principes, & Sapientes:triplex etiam ſit ius, quo omnia paſſim adminiſtrentur ac gubernentur:Pontificale ſcilicet in diuinis,Ciuile in humanis,& quod apud veteres in maximo precio eſſe ſolet , Augurum in medijs. De his igitur & horum diuiſionibus,ſi articulatiùs paulò ac diſtributiùs, idque maximè ſecundum formam Reipublicæ noſtræ (nam qui vnius Reipublicæ,quẽadmodum hominis,de-

ſcriptio

c c.omnes ꝶ 1. diſt.l.1.ff.de rerum diuiſ.l.1.ff de interdict.

ſcriptionem aç membra norit, omnes norit) tractauerimus, aptè & conuenienter, vt puto, quantum ad rem propoſitam attinet, facere videbimur. Maximè cùm Ciceronē habeamus ducem ac authorem, qui cum alijs locis ſępius, tum in libello de Senectute, bis diuidit omne ius, in Pontificale, Ciuile & Augurum.

DE REBVS DIVINIS, SIVE IVRE PONTIFICIO.



IVINORVM omnium alia ſunt, quæ ſola mentis agitatione conſtant, alia quæ oculis cerni, & quaſi manibus tractari poſſunt. Priora, etſi præcipua ſunt, & imprimis neceſſaria, vtpote ex quibus effloreſcunt & emanant alia, & ſine quibus reliqua omnia ſimulata ſunt & imaginaria: tamen quia intus latent in animo, non poſſunt ſic legibus comprehendi, vt pœnarum & ſuppliciorum ſeueritate ſanciantur[a]. Et ideo legumlatoris quidem eſt, de ijs quid ſentiri velit, publicè pariter & priuatim docere[b], & ab ineunte ſtatim ætate, in rudes adoleſcentium animos infundere, quod munus hodie demandatum eſt ſacerdotibus: ſed quantum ad inſtituta legeſque attinet, breuiter ſtrictimque rem proponet, & in eos qui ſecùs faxint, ipſum Deum vindicem, qui ſolus cogitationum noſtrarum iudex eſt & arbiter, quemadmodum eſt in Duodecim tabulis, conſtituet[c]. Poſteriora: paulò aliter ſe habent: Nam non ſolùm legibus mandari & prohiberi, verùm etiam pœnarum & præmiorum ſpe ac metu propoſito, ad effectum ſuum, & plenum exitum, perduci poſſunt. Atque omnis quidem religionis primùm ea eſt vtilitas, vt ſi perſuaſum ſit ciuibus, dominum eſſe omnium rerū ac moderatorem Deum, eumque optimè de genere hominum mereri: vt inquàm non abhorreant, ab vtili & à vera ſententia, iudicantes ſacroſan-

a *l. cogitationes. ff. de pœn.*

b *argum. Cod. & extr. de ſumma trin. & fid. cathol... .*

c *argum l. 2. C. de reb. cred.*

crosanctam esse hominum societatem inter ipsos, Deo Optimo Maximo interposito, tum iudice, tum teste. Secundò, vt intelligamus, quæ viribus humanis & artibus nequeunt peragi, ea verò Dei cultu & religione sanctitateque explicari: veluti cùm scelerum & impietatum fit expiatio per sacrificia: cùm morbi corporis vel diuinitus immissi, vel ægrotatione aliqua mentis contracti, eluuntur: cùm deniq; in omni magno negotio ac discrimine, ad solius Dei opem & auxilium confugitur. Et in hoc quidem toto negotio. Primũ quæritur, quinam illi sint, quibus diuini cultus & honores adhibeantur: Deinde, quotnam & qualia ea sint, quæ ad verum syncerumq; cultum requirantur: Tertiò denique, quænam accessoria sint, & tanquam de appẽdicibus rerum sacrarum. Quantum ad primum attinet: ille solus reuera colendus, &[d] omni honorum genere afficiendus est: qui semper vnus & idem permanet, quique nullum habens, nec ortum, nec interitum, solus omnium eorũ, quæ vel ratione & intelligentia continentur, vel quæ opinionem sensus adferentia, opinabilia dicuntur & caduca, pater est, & fabricator: per cuius sapientiam, mentem ac rationem, omnia illa, quæ immoderatè agitata & fluctuantia essent, ex inordinatis in ordinem primùm sunt adducta: cuius denique solius, & cœlum simul ac terras, camposq; liquentes, lucentemque globum lunæ, Titaniaq; astra, Spiritus intus alit, cuiusque infusa per artus, mens agitat molem hác, & magno se corpore miscet. Vnde hominum pecudumq; genus, vitæque volantũ: Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus. Secundum eum sunt, quibus illius voluntate, vel propter naturæ præstantiam, vel suam, quam nobis præstant operam, vel ob benefactorum laudabilem gratamq; memoriam, honor aliquis inferior & cultus attribuitur, quibusque vel testamento dari[e] olim, vel bona damnatorum addici solent. Atque hi omnes sunt, aut superi, aut medioximi, aut inferi, pro quorum etiam numero, res omnes, aut sunt sacræ, aut

d *c.1.extr.de summa Trin & fid. Cathol.*

e *§. deos. de hæred. Inst. in Instit. Vlpian.*

f §.nullius. Inst. de rerū diuis.

g c.principiū de pœnit.dist.2.

h d.c.principiū. § nouem.

i c. venerabili. extr.de test. c. 1.extr.de reliqui.cruen.san.

k Matth.18. Psal.33.

l c.cleros §.exorcistæ 21.dist.

m toto tit. extr. de sepult.

sanctæ, aut religiosæ [f]. Superorum autem primi sunt dij, vt author est Plato, à quibus scilicet religionem, iusticiam, prudentiam, fidem, temperantiam, fortitudinē, constantiam, & omnem deniq; virtutem, qua nihil est hominum generi, à Deo collatum diuinius, accipimus: quique principium viarum Domini, & signaculum similitudinis eius, in sacris literis [g], & apud Orpheum, appellantur. Secundi verò sunt, à scientia nomen accipientes, dæmones, qui nouem ordinibus [h], & gradibus distincti, Angeli in sacris literis nominantur, eo quòd diuinæ voluntatis precones nobis sint, ac nuncij. Tertij denique heroës, qui suis meritis in cœlum vocati, & in Diuorum numerum, propter virtutis præstantiam, relati sunt: quorum quidem nomina, ob id potissimùm consecramus apud homines, vt ad eorum imitationem accendamur, & intelligamus, hominum quidem animos immortales esse, sed fortium bonorumque diuinos [i]. Medioximorum nonnulli sunt corporati, cuiusmodi parentes, principes, magistri, domini, seniores: nonnulli sine corpore, cuiusmodi sunt tutelares illi dij, qui totas ciuitates ac nationes tuendas ac gubernandas habent: item familiares, qui certis familijs sunt addicti, & tum penates, tum lares cognominantur. denique singulorum, tam locorum, quàm hominum genij, quos Angelos sacræ literæ vocant [k]. Inferorum quidam sunt mali & noxij, quidam boni & salutares. Prioribus non preces & sacrificia, sed execrationes adhibemus [l]. Nam quòd contumelæ, impudentiæ, febris, malæ fortunæ fana, manu subinde consecrata reperiuntur: non vitiorum honorandorum, sed detestandorum gratia factum est: quoniam scilicet officium iustitiæ, non minus consistit in vlciscendis delictis, quàm rectè factis collaudandis. Posteriores sunt, quibus exequias, parentalia, viscerationes, & alias funerales pompas [m] adhibemus. Nam homo simul ac moritur, statim dissoluitur secundum veteres in cadauer, vmbram, manes, & spiritum, quò quidem pertinet illud

apud

apud Virgilium Æneæ: Salue ſancte parens,iterum ſaluete recepti Nequicquam cineres,animæque vmbræque paternæ. Sed hæc de his, quibus cultus diuinus & honor debetur.

DE IIS QVÆ DIVIS EXHIBENTVR.



AM ea verò, quæ exhibentur illis, quatuor modis, vt author eſt Varro, computantur. Pro loco, Pro tempore, Pro perſona, Pro re. Etſi enim in abſoluta perfectaq; religione ſcimus, neque parietibus includi Deum, cui omnia patentia ſunt & libera: neq; etiam certis vllis, aut temporibus, aut perſonis, aut ſacrificijs alligari: qui nullo alio, quàm caſto, puroq; animo delectatur: tamen plus quàm manifeſtum eſt, vt inquit Iamblychus, in communi populariq́ue vita, modis omnibus excitandos & admonendos eſſe homines, vt qui nec ſemper, nec vbique, nec in omni vitæ functione, rebus diuinis vacare poſſunt, ſaltem locorum & temporum, & aliarum rerum deſcriptionibus cõmoneantur. Loca ergo ſacra ſunt, quę vel rebus diuinis deſtinantur, quæ proprio nomine dicuntur ſacra: vel neceſſitatibus hominum, defenſionis & miſericordiæ cauſa, quę ſancta: vel mortuis & ſepultis, quę religioſa [n]. Diuinis deſtinantur illa, quæ ritè per pontifices conſecrantur, qualia ſunt templa [o], ſacella, delubra, luci, teſqua, fana, quæ tum ciuilia ſunt & militaria, tum publica & priuata, tum mobilia & fixa, tum ſubterranea & exſtantia, tum his, tum illis Diuis dedicata. Quorum partes ſunt, Antica, Poſtica, Dextra, Siniſtra, Sacrarium, Donarium, Fauiſſa, Crypta, Veſtibulum, Adytum. Inſtrumenta verò, ſiue ſupellectilia, Aræ, Foci, Scrobes, Menſæ, Vaſa, & alia ſimilia, de quibus pleni ſunt libri pontificales, ne aut violenter, aut neglectiùs habeantur,

n §. ſacræ cum 2. ſeq. Inſt. de rerum diuiſ.

o extr. De relig. do. & capell. De eccleſ. ædif. De immun. eccleſ.

aut præter Ius & fas distrahantur, aut vllo denique modo prophanentur [p]. Quæ humanis vsibus seruiunt, partim sunt publica, vt muri, portæ[q], propugnacula, fossæ: partim priuata, vt Asyla, Xenodochia, Orphanotrophia, Brephotrophia, Ptochotrophia, Nosocomia, Gerōtocomia [r], quæ omnia ijs recipiendis & tuendis parantur, qui hominum ope & auxilio sunt destituti. Vocantur ideo sancta, quia pœna ferè capitis animaduertitur in eos, qui aliquid in ea delinquunt. Nam sanctum id propriè est [s], quod ab iniuria hominum defensum atq; munitum est, sic dictum à sagminibus, id est herbis, quas legati populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret. Atque hinc etiam legum illę partes, quibus pœnæ constituuntur, Sanctiones vocātur, quasi Sanctione quadam subnixæ. Ea loca, in quibus mortui permiste sepeliuntur, vocantur Cœmiteria, siue Cænotaphia, non aliter, atque si sepulchreta dicas. Verùm id quod humationi particulatim vnius aut duorum triúmue destinatur, generaliter monumentum, quasi memoriæ causa in posterum proditum, nuncupatur [t]. Sed si corpus vel reliquiæ inferantur, fit sepulchrum, à sepeliendo deductum, quo nomine, omnis sepulturæ pars & species continetur, & omne etiam supra cœlum. Et sunt partes eius, Tumulus, Tumba, Sarcophagus, Vrna, Cippus, Conditorium, Munimentum quod munimenti, id est causa muniendi eius loci factum sit, in quo corpus impositum sit. Species verò, suggrundaria, hoc est infantium sepulchra: Tymbia, pauperum: Mausolea, principum: Corragea, virginum: Familiaria, certæ gentis alicuius: Hæreditaria, quæ hæredes sequūtur: de quibus passim, tam Ciuili, quàm Pontificio iure cauetur. Sequitur de temporum diuisione: Nam omnes dies, vel sunt festi, vel profesti, vel intercisi. Festos dicimus, qui Dijs immortalibus dicati sunt. Profestos, qui hominibus, ob procurandam rem domesticam publicamque, concessi. Intercisos, qui Deorum hominumque communes. Et

sunt

p §. extra de reb. eccles. non al. per totum.

q § sanctæ. Inst. de rerũ diuis.

r Vid C. de sacrosan. eccles. in rub. & per tot.

s l. sanctũ. ff. de rerum diuis.

t l. monumentũ. ff. de relig. & sumpt. fun.

ſunt quidem feſtorum ſex fermè genera. Alia videlicet ad requietem iurgiorum & litium: Alia ad vitæ caſtimoniam & ſobrietatem: Alia ad ſacrificia Dijs offerenda: Alia ad diuinas epulationes celebrandas: Alia ad ludos agendos: Alia ad feriandum, quibus à victimis feriendis nomen eſt impoſitum, vt feriæ nominentur. Et ſunt illæ rurſum, vel ſtatiuæ, vel conceptiuę, vel imperatiuę, vel nundinæ. Statiuę quidem, quę vniuerſi populi cõmunes, certis & conſtitutis diebus, ac menſibus, & in faſtis, ſtatis obſeruationibus ſunt annotatę. Cõceptiuę, quę quotannis à Magiſtratibus vel Sacerdotibus concipiuntur, in dies certos, vel incertos. Imperatiuę, quas Conſules, Prętores, vel Pontifices pro arbitrio poteſtatis indicunt. Nundinæ ſunt, paganorum & ruſticorum, quibus conueniunt negotijs ſuis vel mercibus prouiſuri, ſic appellatæ, quòd nono quoquo die ſoleant haberi. Iam verò, quòd feriarum: Aliæ communes totius populi: Aliæ certorum locorum, corporum & ſodalitatum: Aliæ ſingularum, vel familiarum, vel hominum: item quòd alię ſunt ſeptimanariæ, alię menſtruę, alię annales, alię luſtrales, alię ſepténales, alię quinquageſimo quoq; anno recurrẽtes, alię ſeculares: non eſt opus, multis hoc loci tractari. Quẽadmodum nec illud, quòd profeſtorum dierum, vt dicetur idoneo loco, nõnulli ſunt comitiales, nõnulli faſti, nonnulli comperendini, nonnulli ſtati, nonnulli pręliares. Nam de intercißis, nihil reſtat amplius dicẽdum, cùm omnes ſint eiuſdem modi. Qui ad placandos Diuos conſtituuntur, & ſacris pręſunt ſolennibus, vno communi nomine Sacerdotes appellantur: de quibus multa paſſim quomodo inſtitui, quomodo initiari, quámue vitę rationẽ & modũ tenere debeant: idque ſiue morũ temperantiá & ſobrietatẽ ſpectes, ſiue cultum exteriorem & habitũ[v]. Nam quòd inter ſacrificandum certo veſtitus genere vti debeant, vt pallio, ſandalijs, caſula, cingulo & ſimilibus, notius eſt, quàm[x] vt multis debeat explicari. Prima eorum diſtinctio eſt, ſecũdum dignitatum & honorum, ſiue mini-

v *extr. de vita & hon. cler de coh. cler. & mul.*

x *vid. diſt. 21, 22, 23.*

ministrationis verbi diuini gradus. Nam supremo maximoque loco est summus Pontifex, qui à ponte sublicio faciendo, nomen ab initio traxisse dicitur, quem nos Papam appellamus, sumpto nimirum à Græcis vocabulo, apud quos pueri parentibus suis, & omnibus natu grandioribus, ista voce blandiuntur: sic enim loquitur apud Homerum Nausicaa: πάππα φίλ᾽ οὐκ ἄν δή μοι ἐφοπλίσσειας ἀπήνην. Et sunt circa eum, qui vocãtur Cardinales, qui quòd in ijs Reipu. Christianę cardo vertatur, nomen acceperũt, idq; ad imitationẽ Cardinaliũ, qui in exercitu versantur. Secundum summũ Pontificẽ sunt episcopi, qui hodie distincti sunt in Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & Protonotarios, quibus munus scribendorũ annalium rerum Ecclesiasticarum incumbit, quemadmodũ apud veteres Romanos, minoribus Põtificibus, de rebus Romanis. Sunt aũt appellati Episcopi, ab illis olim apud Romanos Episcopis, q personali munere fungẽtes, pręerãt pani & alijs venalibus rebus, quæ ciuitatum populis quotidianum victũ suggerunt[y]. Et sunt quidẽ Episcopis coniuncti, qui dicũtur Canonici, qui quasi Magistratum & Senatũ ecclesiasticũ sustinẽt, qui tũ scholæ Christianæ, tũ cerimoniarum sunt custodes: Vt interim transeam, quòd quidam etiam reperiuntur archipresbyteri, tum vicani, tum vrbici, qui ipsius Episcopi vices in quibusdam supplent, suffecti, vt videtur, in locum chorepiscoporum. Post eos sequuntur Parochi, ex quibus nõnulli abbates, pręposti, decani, pastores appellantur: & vocantur parochi, ab antiquis illis parochis, qui peregrinis, vt est apud Sudam, salem & ligna prębebant. Atque his subsunt, tum monachi, qui à suis Archymandritis, vt plebẽ Christianam aliquando instituant, erudiuntur: tum canonici, qui quasi consiliarij habentur: tum denique vicarij, qui quasi vicarias operas subeunt. Vltimo loco sunt, qui simplici nomine presbyteri vocantur, in quibus sunt & qui sacellani dicuntur, dicti presbyteri ab ætate grandiore: quòd in eum ordinem non soleant adlegi alij, quàm

y *l. munerum. ff. de mu. & honi.*

quàm viri graues, honesti, ac docti, & ipsa canitie senectuteque venerandi. Differunt etiam inter se sacerdotes, secundum locum & ordinem, quem tum inter sacrificandum, tum in pauperum procuratione sustinent[a]. Nam primus gradus defertur sacrificulo, qui præcipuas partes obit in re diuina facienda. Posterior ei, qui sacorus & hypereta dicitur in antiquis Ethnicorum sacris, quos nos archidiaconos, diaconos, & hypodiaconos appellamus: Postremus Acolythis, quales sunt Pyrphori, Cathartæ, Neocori, Lectores, Cantores, Lybitinarij, Ostiarij, de quibus apud Rabanum, & Iulium Pollucem. Et Acolythi nominantur ab eo, quòd licèt expressè ad sacra non admittantur: non arcentur tamē à sacris cum reliquo vulgo, quod prophanū est. Nunc autem, quòd secundū veteres, sacerdotū nonnulli sacra sustinent, nōnulli prędictorum à vatibus interpretationē, nonnulli sacras epulas, nonnulli pompas, ludos, supplicationes, funera, partim ex ijs quæ dicta sunt, partim ex ijs quæ sequētur, licebit intelligere. Rerū sacrarū alię referuntur ad Diuos, alię ad homines, alię ad mortuos. Ad Diuos adhibētur, primùm supplicationes, quales sunt Lustrationū, Ambarualiū, Amburbiorū, Lectisterniorū: deinde vota[b], veluti cùm deuotiones fiunt, euocatiōes, oblationes donariorū, primitiarum, decimarum cū alijs eiusmodi. tertiò sacrificia, quibus vel expiatur malū susceptum, vel aguntur gratię pro acceptis beneficijs, vel rogatur ac petitur aliquid. Et ratio quidem sacrificandi: partim constat ex pręcidaneis hostijs, lustrationibus, ieiunijs, hymnis, eleemosynis: partim ex succidaneis, tum conuiuijs, tum victimis: partim deniq; ex sacrificijs ipsis, quæ tum voce peraguntur & carmine, tum corporum vario cultu, statu, motu & flexu: tum rebus ipsis & hostijs vel animaliū, vel aliarum rerum. Nam haud parum interest, quibus rebus vel animalibus, nunc his, nunc illis sacrifices. Taurum (inquit ille) Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo. Nigram Hyemi pecudē, Zephyris felicibus albam


a *c. cleros. 21. dist.*

b *extra de uot. & uot. redemptione. Item de decim. cum similib.*

albam. Quæ hominibus exhibentur, sunt spectacula, ludi, pompæ, consecrationes, leges, & fœdera. In spectaculis sunt Naumachię, Venationes, Pugnę gladiatorum, athletarũ, mirmillonum, leonum, elephantorum, pardorum, hominum. In ludis sunt, qui vocantur apud Romanos, Troiani, Capitolini, Seculares, Romani, Plebęi, Circenses, Scenici, Comici, & Tragici. Pompæ constant, subinde puerorum, virginum, & adolescẽtum ordinibus: subinde ridiculis quibusdam & formidolosis oscillis, manducis, cicerijs: subinde denique thensis & vehiculis Deorum. Consecrationes sunt, quæ per Pontifices & Sacerdotes ritè fiunt, cùm vel ipsi homines, vel res aliquæ Dijs immortalibus offeruntur ac destinãtur. Leges sacratę sunt, (authore Liuio) in quibus eius caput, qui contra eas fecerit, Ioui Opt. Max. fit sacrum, quo quidem pertinet illud Vergilij, Fas mihi Graiorum sacrata resoluere iura. Fœdera sunt conuentiones, quę fiunt[c] per pacem, quoties duces belli inter se paciscuntur, admotis sacris, & iurisiurandi religione, exstantque eorum exempla, apud Homerum in Iliade, & Maronem in duodecimo Æneidos. Quæ ad funeralia sacra pertinent, sunt conclamationes, euerricationes, nęniæ, exequiæ, parentalia, ludi, viscerationes, anniuersaria, cum nõnullis alijs, de quibus longum esset pluribus hoc loco tractare.

c l. conuentionũ. ff. de pact.

DE APPENDICIBVS SACRORVM.



QVÆ de appendicibus sunt rerum sacrarum, vel pertinent ad personas, vel ad res. Personas distinguit Diuus Hieronymus[a], his verbis: Duo sunt genera Christianorum: Est autem vnum genus quod mancipatum diuino officio, & deditum cõtemplationi & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare conuenit, vt sunt clerici, & Deo deuoti, videlicet conuersi. Cleros enim Græcè, Latinè sors. Inde huiusmo

a c. duo 12. q. 1.

huiusmodi homines vocantur Clerici, id est sorte electi, omnes enim Deus in suos elegit. Hi nanque sunt reges, id est, se & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent, & hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ, in signum regni, quod in Christo exspectatur. Rasio verò capitis, est temporalium omnium depositio: illi enim victu & vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia communia. Aliud verò genus est Christianorum, vt sunt laici: λάος enim Grçcè est populus Latinè: his licet tẽporalia possidere, sed non nisi ad vsum. Nihil enim miserius est, quàm propter nũmum, Deum contemnere: his concessum est vxorem ducere, terram colere, inter virum & virum iudicare, causas agere, oblationes super altaria apponere, decimas reddere, & ita saluari poterunt, si vitia tamen benefaciendo euitauerint. Hactenus Hieronymus. Cohærent autem cum personis, sponsalia, matrimonia, diuortia, quæ etsi inter laicos celebrantur: tamen sunt eius conditionis & naturæ, vt inauspicato fieri non debeant, habeturque in illis non solum ratio consanguinitatis & affinitatis: verùm etiã cognationis, quam vocant, spiritalis [b]. Res omnes, vel sunt prophanæ, vel sacræ. Prophanas voco, in quibus nulla, nec religionis, nec diuini officij ratio habetur. Sacras verò, quę vel sunt in vsu sacrorũ, vel in pecunia eorũ qui sacra tractãt, vel mediæ. Primi generis sunt, quæ ad ministerium sacrificiorum cõsecrantur, vt vestes, calices, vrceoli, & si qua sunt alia ministratoria. Secundi, possessiones, fundi, reditus, & similia, ex quibus victus & cultus quotidianus reficitur ijs, qui templo & altàri seruiunt. Tertij denique, decimæ, oblationes, primitiæ, præbendæ, beneficia, quæ vel cum [c] dignitate sunt coniuncta, vt Episcoporum, Præpositorum, Decanorum, & similium: vel cum animorum curatione, vt Pastorum, Parochorum: vel media, quæ simpliciter beneficia vocantur siue præbendæ; cuiusmodi sunt canonicorum, vicario-

b *tot. tit. extr. de cognat. spiri.*

c *extr. de præ. & dig.*

rum,& aliorum : de quibus passim nimis multa. Nam nos nunc eò rerum redacti sumus, vt vix leuiter degustatis primis illis & præcipuis Iuris pontificij partibus, in his adiectitijs & parergis cognoscendis, præcipuã laudem & operam ponamus : quod quidem, quàm rectè fiat, relinquo alijs cogitandum. Illud rectius ex istis annotari potest, eam esse sacrorum vim & naturam, vt homo, non solũ se ipse diuinis cõtemplandis & colendis dedere possit : verùm etiam omnia, quæ cœlo & mari terraque continentur, quæque suprà sunt & subtèr, ad diuini numinis cultum & ministerium traducere.

DE REBVS HVMANIS, SIVE DE IVRE CIVILI.



RERVM humanarum & Ciuilium distinctio, proximè ad naturam accedit humanam : estque, vt sæpe diximus, ad illius imitationem, præclara quadam & propè diuinã ratione constituta. Quemadmodum enim alia sunt in corpore humano membra, quæ ad totius sustentationem pertinent, vt caput, cor, iecur: alia, quæ certum quendam & definitum speciatim præbent vsum, vt brachia, manus, & pedes : ita etiam rerum ciuilium, quædam publicæ [a] sunt, & ad totius Reipublicæ statum pertinentes: quædam verò priuatæ, quæ ad singulorum vtilitatem referuntur. Et rursum, quemadmodum animus, tum ratione continetur, tum animositate, tum cupiditate: ita etiam in ciuitate, alij sunt principes, penes quos est dominatus : alij milites, quibus defendendæ ac tuendæ rei cura committitur: alij denique quæstores, qui pecuniam populi quærunt, & administrant. Estque ex his duabus diuisionibus natum, vt aliud sit Ius Ciuile, aliud Fœciale, aliud Quæstorium, aliud Priuatum,

a §. huius. inst. de Iust. & Iur.

uatum, de quibus ſingulis eſt explicandum. In Iure Ciuili, cum partim hominum, partim locorum, partim temporum, partim rerum habeatur ratio: primum diuiduntur homines quinque ferme modis: pro loco: pro facultatibus: pro ordine: pro iure: pro dignitate. Pro loco quidem, veluti cùm totam vrbem, certis quibuſdam regionibus diſtinguimus, & in tribus aliquot ac curias partimur. Nam ea diuiſio, tum ad populi conuocationem eſt neceſſaria, tum ad ſuffragiorum collectionem, tum verò ad ſtationum deſignationem. Pro facultatibus, alij ſunt qui vocantur claſſici, vt qui aliquem in cenſus profeſſione locum obtinent: alij proletarij, ſiue capite cenſi, qui vel liberis operam dando, proſunt Reipublicæ, vel numerum & multitudinem ciuium auctiorem faciunt. Eſtque eius diſtinctionis vſus in illo poſitus, vt conſtet, quæ ratio tributorum, exactionumque haberi poſſit, quæ non. Ordines in Romana Republica fuêre tres. Senatorius, Equeſtris, & Plebeius. Senatorius eſt, Patriciorum, qui à primoribus centum patribus, quos Romulus elegerat, & ab ætate Senatores vocauerat, profecti ſunt. Equeſtris, equitum, quem ordinem primum ſtabiliuit, in Conſulatu ſuo M. Cicero, ex eo ſe natum & prouectum dicens. Et diſtinguimus Equites in Tribunos æris, Selectos, & Iudices. Plebeius, agricolarum eſt, opificum, & mercatorum, & eorum, qui publicis ſumendis operam nauant. Nam quemadmodum Senatores & Patricios tunica ſeparat ab Equitibus: ita rurſum Equites à plebeis, annulus, qui primò ferreus erat, mox aureus, vnde ius aureorum annulorum [b] deſcendit. Et ſanè, quemadmodum inter eiuſdem generis animalia contingit, vt alia generoſa ſint, & alto animo prædita: alia contrà, humilia & abiecta. Ita etiam inter homines naturaliter euenit, vt alij heroicum, nobilem, & omnibus virtutum generibus exaggeratum animum, habeant: alij contrà, demiſſum, ignobilem & humi ſem-

b *toto tit. ff. de Iur. aur. ann.*

per repentem: estque valde necessarium in omni Republica, eorum inter ipsos distinctionem haberi, & eximiarum præstantiumque virtutum præmia quædam & honores constitui. Pro Iuris ratione ac diuersitate, quidam sunt domestici, quidam externi [c]. Nam vt distinguatur, qui quorum munerum sint capaces, qui non, qui legittimas nuptias [d], conuentiones, actiones, instituere possint, qui non: apprime vtile est, vt videamus: quomodo ciues à peregrinis: hostes ab amicis: fœderati à socijs: discernantur. Et quantum quidem ad domesticos attinet, eorum nonnulli sunt, qui vocantur incolæ: nonnulli, qui municipes & ciues: nonnulli denique, qui eximij. Incolæ sunt [e], qui nullum ciuitatis ius habentes, domicilium solùm in eam contulerunt, quique intantũ debent ijs magistratibus parêre, apud quos incolæ sunt, vt cum per se, capessendorum munerum ius non habeant: necessitate tamen, si imponantur, ea debeant subire [f]. Nec tantùm qui in oppido morantur, incolæ sunt, sed & qui in alicuius oppidi finibus ita agrum habent, vt in eum se, quasi in aliquam sedem recipiant. Municipes [g] proprio nomine sunt, qui munerum & honorum sunt participes, etiam si alibi degant: sed per abusionem, ciues omnes, vocantur municipes, & fiunt vel natiuitate, vel manumissione, vel adoptione, vel priuilegio. Eximios vocamus eos, qui legibus municipalibus hactenus sunt soluti, vt munera sui municipij sufferre non cogantur, licèt ibi domicilium habeant. Atque hoc est [h], quod dicitur, eum, qui senatoriam dignitatem adeptus est, municipem desinere esse, quantum ad munera, licèt quantum ad honorem pertinere creditur, originem retineat. Externorum populorum: alij sunt coloni: alij bello victi: alij clientes: alij peregrini: alij hostes. Coloni sunt, qui ex maioribus vrbibus, in minores vrbes, quasi quædam examina populorum, mittuntur: à quibus & Colonicæ leges, vt author est Varro, nomen habent. Et sunt ex ijs nonnulli, quantum

c l. quidam ff. de pœn.

d § 1. Inst. de nup.

e l. pupillus §. incola. ff. de uerb sing.

f l. incola. ff. ad munic.

g l. i. ff. ad mun.

h l. municeps. ff. municipal.

quantum quidem ad Romanorum attinet colonos, quibus Ius Italicum est collatum [i], vt Phœnices, Veronenses, Heliopolitani, Pacenses, Lugdunenses, Agrippinéses, in Germania, vt inquit Paulus, inferiori. Estq; eius Iuris illa vis ac potestas, vt immunes eos tributis faciat, cùm reliqui omnes, tam pro capitibus suis, quàm pro possessionibus, certas pensiones annuas præstare compellantur. Qui bello victi, in potestatem Romanorum & ditionem concedunt, vel sunt serui, vel dedititij [k], vel Latini, vel ciues Romani. Serui sunt, qui iuregentium dominio alieno contra naturam subijciuntur: appellati ex eo, quòd Imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solent, qui etiam mancipia dicti sunt ab eo, quòd ab hostibus manu capiantur [l]. Nec absunt ab ijs longè, qui adscriptitij, coloni, inquilini, addicti glebæ nominantur, quanuis eorum paulò melior sit conditio. Dedititij dicuntur, quibus propter deditionem, postquàm semel victi rebellarunt, vita seruatur, si armis positis, ad Imperatorum fidem confugiant: & relinquitur quidem illis imaginaria quędam libertas, sed tamen infamiæ labe aspersa, lege lata, vt ad veram libertatem propter perfidiam nunquam possint peruenire. estque deditionis forma huiusmodi: Estísne vos legati oratoresque missi à populo Collatino, vt vos populumque Collatinum dederetis? Sumus: Estne populus Collatinus in sua potestate? Est. Deditísne vos populum Collatinum, vrbem, agros, aquam, terminos, delubra, vtensilia, diuina, humanaque omnia in meam populi Romani ditionem? Dedimus. Et ego recipio. Atque huiusmodi deditis, imponit victor leges, quas vult. Latini sunt, qui tributis imperatis, suis legibus relinquuntur, & reuerà liberi manent, sed Iura ciuium Romanorũ non adipiscũtur: sic dicti, quia Romani primùm omniũ exercuerunt hanc liberalitatem in Latinos, quia scilicet ipsa Roma pars est Latij, quos pòst deinde ciuitate quoque donauerunt, seruata differentia inter prouinciales [m] &

i l.1.ff.de cen sib.

k §.ult. Inst. de libert.

l §. seru. Inst. de Iur pers.

m §.1. Inst. de usucap.

Latinos tantùm. Ciues Romani ſunt, quibus Ius ciuitatis conceditur, vt eſt patriæ poteſtatis, teſtamenti factionis, adoptionis, gentilitatis, agnationis, Legionariæ militiæ, adipiſcendorum Romæ honorum, Togæ ferendæ, & ſimilium. Clientes ſunt, qui ſua ſponte, vel nunquam captis, vel vltro poſitis armis, ad fidem Romanorum cõfugiunt, qui & liberi populi vocantur. Nam quéadmodum [n] clientes noſtros intelligimus, liberos eſſe, etiam ſi neq; authoritate, neque dignitate, neque iure nobis pares ſunt: ſic & eos, qui maieſtatem noſtram communiter conſeruare debent, liberos eſſe intelligendum eſt. Et ſunt horum, alij fœderati, alij ſocij, alij amici, alij municipes, alij ciues Romani, qui & fundi populi, (vt ego quidem interpretor) dicuntur. Peregrini ſunt, quibus nulla cum Romanis iura ciuilia ſunt communia, ſed gentium ſolummodo: & ideo qui deportantur [o], ad peregrinitatem redigi dicuntur, vt ſcilicet ea quidem, quæ Iuris Ciuilis ſunt, non habeant: quę verò Iuriſgentiũ, habeant. Hoſtes definiuntur [p], quibus bellũ publicè populus Romanus decreuit, vel qui ipſi populo Romano. quáuis tamen recentiore Iure, omnes, qui Romano imperio ſubditi non ſunt, Barbari, pro legitimis hoſtibus habeantur: ita vt non ſolùm prohibitum ſit aurum illis præbere, verum etiam, ſi apud eos fortè inuentum fuerit, ſubtili ingenio auferre, præcipiatur [q]. Quæ ad dignitatem populi maieſtatemq; defendẽdam fit diuiſio, facit, vt partim ſint principes, partim magiſtratus, partim ciues & ſubditi. Ac principum quidem & ſubditorum cùm nulla ſit differentia, niſi quod ſubinde vnius arbitrio rebus conſulatur, ſubinde optimatum, ſubinde omnium, in quibus cunctis diligenter eſt prouidendum, vt cuiq; formæ Reipublicæ, ſuæ quæq; leges accommodentur: tantùm opus eſt, vt magiſtratuum deſcriptionem paucis faciamus. Nam ex eorum præcipuè compoſitione, quod cuiuſque in Republica genus ſit, intelligitur. Primus igitur ordo magiſtratuum eſt eorum, qui in aula principis militiam aliquam

n *l. non dubito. ff de capt. & poſt l. reuerſ.*

o *l. ſed & ſi hac. ff. de in ius uo. d. l. quædam ff de pœn.*

p *l. hoſtes ff. de capt. & poſt l. re.*

q *l. non ſolum. C. de commerc.*

aliquam obtinent [r]. Nam vt eos omittam, qui vel hanc, vel illam professionem sustinent, cuiusmodi sunt Medici, Grammatici, Tabularij, Scribæ, logographi, Fabricenses, Nauicularij, Metallarij: reliqui omnes, tum publica obeunt, tam militiæ, quàm domi, vt magistri scriniorum, Legati, Comites consistoriani, Silentiarij, Primicerij, Comites qui prouincias regunt, Magistri equitum, Comites in militia: tum rei priuatæ curam gerunt, tam intus quàm foris, vt præpositi sacri cubiculi, Comites largitionum, Metatæ, Cursores, Stratores, cum similibus. Secundus ordo magistratuum est eorum, qui populi plebisue tuitionem & quasi curationem suscipiunt, quique principis vehementiam & ardorem, suis intercessionibus temperant ac restinguunt: Hi sunt qui apud Lacedæmonios Ephori, apud Romanos, tum magistri celerum, tum tribuni plebis olim sunt vocati.

r de his vid. tres post. lib. Cod.

De his habet Plato in hæc verba: θεός οἶμαι κηδόμενος ὑμῶν τις. ὃς τὰ μέλλοντα προορῶν, δίδυμον ὑμῖν φυτεύσας τὴν τῶν βασιλέων γένεσιν, ἐκ μονογενοῦς εἰς τὸ μέτριον μᾶλλον συνέστειλε, καὶ μετὰ τοῦτο ἔτι, φύσις τις ἀνθρωπίνη μεμιγμένη θείᾳ τινὶ δυνάμει καθοροῦσα ὑμῶν τὴν ἀρχὴν φλεγμαίνουσαν. ἔτι μιγνύσι τὴν κατὰ γῆρας σώφρονα δύναμιν, τῇ κατὰ γένος αὐθάδει ῥώμῃ, τὴν τῶν ὀκτὼ καὶ εἴκοσι γερόντων ἰσόψηφον εἰς τὰ μέγιστα τῇ τῶν βασιλέων ποιήσασα δυνάμει, ὁ δὲ τρίτος σωτὴρ ὑμῖν, ἔτι σπαργῶσαν καὶ θυμουμένην τὴν ἀρχὴν ὁρῶν, οἷον ψάλιον ἐνέβαλεν αὐτῇ τὴν τῶν Ἐφόρων δύναμιν, ἐγγὺς τῆς κληρωτῆς ἀγαγὼν δυνάμεως, καὶ κατὰ δὴ τοῦτον τὸν λόγον, ἡ βασιλεία παρ' ὑμῖν, ἐξ ὧν ἔδει σύμμικτος γενομένη, καὶ μέτρον ἔχουσα, σωθεῖσα

αὕτη, σωτηρίας τοῖς ἄλλοις γέγονεν αἰτία;

Constituit eius pulcherrimum exéplum, optimus princeps Traianus: nã cùm tribunatum militum Sirę traderet, parazonium, quo pro dignitate cingendus erat, nudũ ei porrexit: At talē, inquit, ensem accipe, quē pro me ita demũ strinxeris, si iustè imperauero: quòd si perperàm quicquam per me fieri cognoueris, eo in perniciē meam vtaris, velim. Tertius ordo magistratuũ est eorũ, qui in ipsa Republica moderãda ac gubernanda versantur, idq́;[t] vel domi, vel in prouincia. Domi sunt, Consules, Senatores, Præfecti vrbi, Nomothetæ, Nomophylaces, Viri Reipublicæ constituendæ, Iureconsulti, & omnes, qui totius ciuitatis curam gerunt: item Centumuiri, Duumuiri rerum capitalium, Ædiles, Latrunculatores, Prętores, tum peregrini, tum vrbani, tum fideicommissarij, & alij, qui rebus iudicandis præsunt: Adhæc, Præfecti vigilum, annonæ, viarum, Censores, Ædiles, Monetarij, Gynæconomi, Ænoptæ, Curatores fori, Episcopi, Deductores coloniarum: & reliqui, qui particulam aliquam Ciuilis administrationis obtinent. In prouincijs sunt, Præfecti prætorio, Proconsules, Legati, Præsides prouinciarum, cum suis officialibus & ministris. Præter hæc tria genera magistratuum, vix est vt vllum aliud (quantum quidem ego iudico) reperiri possit, quod non ad vnum ex istis, accommodari queat. Cæterùm, quia multi sunt in ciuitate præter magistratus, qui publicis commodis & vtilitatibus prospiciunt: prodita est, & alia quædam publicarum personarum distinctio, quæ omnes omnino complectatur. Alij enim sunt, qui honores dicuntur gerere: alij qui onera: alij qui munera. Honores sunt[v], in quibus plus est dignitatis, quàm vexationis corporis aut animi: quales sunt Illustriũ, Venerabilium, Superillustriũ, Spectabiliũ, Clarissimorum, Perfectissimorum, Honoratissimorum hominũ, sic enim distinguuntur. Onera autē[a], solam curam & diligentiã continent

t de his li. prim. digest. & Cod.

v l. honor ff. de mun. & hon.

a l. 1. ff. de mu. & hon.

sine

fine vlla dignitate:qualia ſunt Tabulariorũ,Logographorũ,Maſtigophororũ,& ſimiliũ.Mun⁹ ex vtroq; [b] ſimul cõſtat,& eſt officiũ priuati hominis, ex quo cõmodũ ad ſingulos vniuerſoſq́ue ciues, remq́; eorũ imperio Magiſtratus extraordinario peruenit. Et eſt quidẽ ſubinde publicũ,ſubinde priuatũ, itẽ ſubinde perſonale, qđ animi prouiſione,& corporali laboris intẽtione,ſine aliquo gerẽtis detrimento exiſtit:vt tutela,cura, defenſio ciuitatis,Calẽdarij curatio,quęſtura in aliqua ciuitate,Legatio ad cenſus accipiendos , Angariarũ prębitio: ſubinde patrimonij,in quo ſumptus maximè poſtulatur , quodq́; cum damno adminiſtrãtis expeditur, vt rei vehicularis munus, Nauicularis,& Decẽprimatus : ſubinde denique mixtũ, quod partim animo laboreq́;,partim ſumptu, conficitur: vt Decaprotiæ , & Icoſaprotiæ:nam illi tributa exigentes, & corporale miniſterium gerunt,& pro muneribus defunctorum,fiſcalia detrimenta reſarciunt. Verùm hæc hactenus de perſonis,& earum diuiſionibus in Republica.Nam quòd per ætates etiam ſubinde diſtinguitur populus,nihil attinet hîc pluribus cõmemorare. Iam loca publica ſunt,theatra,porticus,forum,baſilicæ, pomeria, templa,viæ,flumina,de quib⁹ interdicitur ſub titulo DE LOCIS ET ITINERIBVS PVBLICIS: Item, NE QVID IN LOCO PVBLICO VEL ITINERE FIAT. Tum autem , DE LOCO PVBLICO FRVENDO: DE RIVIS: DE FONTE: DE CLOACIS: DE FLVMINIBVS . Nam publici loci appellatio, quemadmodum Labeo [c] definit,ſic accipitur, vt & ad areas,& ad inſulas, & ad agros,& ad vias publicas,itineraque publica pertineat. Cæterùm viarum [d] , quædam ſunt publicæ, quædam priuatæ , quædam vicinales . Publicas dicimus , quas Græci Baſilicas,noſtri Prætorias,alij Conſulares & Militares appellant. Priuatas,quas agrarias quidam dicunt. Vicinales,quæ in vicis ſunt,vel quæ in vicos ducunt, quæ quidem ita publicæ ſunt, ſi non ex collatione priuatorum conſtituantur. Temporum ciuilium & pu-

b *l. munerum. l. bonor. §. 1. ff. de mun. & hon.*

d *l. prætor. §. publico. ff. ne qđ in loc*

c *d. l. prætor. §. ſi quis nemine.*

& publicorum, ea eſt ratio, vt dies omnes profeſti, (nam de feſtis ſuprà eſt expoſitum) vel ſint comitiales, vel faſti, vel comperendini, vel ſtati, vel præliares, vel iuſti. Comitiales ſunt, quibus fas eſt cum populo agere, & calata comitia celebrare, ſiue ea ſint tributa, ſiue curiata, ſiue centuriata. Solentq; iſtis potiſſimùm diebus, teſtaméta conſcribi, & ea quæ vocantur publica iudicia, exerceri. Faſti ſunt, quibus fas eſt lege agere, quibuſque certa verba legitima: DO, DICO, ADDICO, quæ maximè conueniunt actionibus in perſonam, prætoribus ſine piaculo licet fari. Et contrà, nefaſti ſunt, quibus ea fari ius non eſt, & ſi fata ſunt, piaculum faciunt. Comperendini dicuntur, in quos vel vadimonium iubetur, vel ſtipulatio, ſiue iudicio ſiſti, ſiue de iudicato ſoluendo, concipitur. Nam comperendinare propriè eſt, in diem tertium iudicium differre, quemadmodum diffindere vel diffundere diem, in poſtridianum vel pomeridianum tempus reijcere. Stati ſunt, qui iudicij cauſa peregrino cõdicuntur, à quibus illæ actiones, quę condictiones dicuntur, nomen accipiunt: Nam eò pertinet, quod dicitur in legibus Duodecim tabularum: SI STATVS DIES SIT, CVM HOSTE VENITO. Præliares appellantur, quibus fas eſt res ablatas repetere per vindicationem, vel hoſtes bello laceſſere. Iuſti denique ſunt, qui dantur iudicatis, ad ſoluendum iudicatum, ſic appellati ab eo, quòd ius tantiſper ſtet, nec procedatur ad executionem. Rerum ciuilium, nonnullæ pertinent ad vtilitatem ciuitatis, nonnullæ ad voluptatem. Ad vtilitatem pertinet, primò res annonaria, canonque frumentarius, cum omnibus ijs quę exportantur & importantur. Secundò, res nummaria, cum ponderum & menſurarum tam ſiccorum, quàm liquidorum ratione, cumque agrorum & finium, & omnium rerum quæ in longum & latum patent, dimenſionibus. Tertiò, res aquatica, cum qua tractatur, de cloacis, de fontibus, de riuis, de aquæductibus & alijs ſimilibus. Ad voluptatem referũtur, ludi, pancratię, pentatlę, maiumę, certami-

tamina, porticus, ambulationes, & ſi quæ ſunt alia illius generis. Nunc verò ad rem militarem.

DE RE MILITARI.



VEMADMODVM ad domeſticas rationes rectè ſtabiliendas, inteſtinumq; bellũ prohibendũ, comparata eſt ciuilium rerum ſcientia: ita iuris fœcialis, & rerum militarium tractatio, ad hoc inuenta & excogitata eſt, vt libertas defendi, & externus hoſtis à ceruicibus noſtris arceri ac ſubmoueri poſſit. Et quidem, licèt veræ ſolidæque laudis & glorię, plus proficiſcatur ex vrbanis domeſticiſque rationibus: tamen bellicę illæ virtutes & triumphi, neſcio quo pacto, plus videntur habere ſplendoris & applauſus popularis. An hoc ſic ideo fieri dicemus, quia capitaliora præſentioraque videntur illa pericula, quæ diſciplina rei militaris amouet? illa verò, quæ ciuilis, tacita magìs & occulta, & in ipſis Reipublicæ viſceribus & medullis hærentia? vtut res eſt illud clarum & apertum eſt, antiquiſſimam eſſe rem bellicam, & cum ipſis ciuitatibus & Rebuſpublicis, exortam. Nam vt à feris animātibus & beluis tuti eſſent homines, non dubium eſt, quin ſtatim ab initio, ſe muris & foſſis includere, arma expedire, venationum varia genera excogitare, ſint coacti. Idque ſatìs & maiorum inſignia ſignificant, in quibus, aut leonẽ, aut vrſum, aut elephantem, aut draconem occiſum ferè videas: & ipſum quoq; belli nomẽ, præ ſe fert, quod à beluis ductum eſſe, & Varro teſtatur, & ſuis quiſque ſenſibus comprehendere poteſt. Verùm ipſi homines, ad bellum inter ſe faciendum, tunc primùm ſunt commoti, cùm ſecundum Prouerbium, Homo homini lupus eſſe cœpit, cumque tam præfracti & obſtinati ſunt effecti, vt non verbis amplius & iuſtis rationibus acquieſcerent, ſed ſola vi ac minis, in officio

officio retineri possent. Et est quidē omne bellū, vel nauale, vel terrestre, pro numero eorum, in quibus hominum commercia celebrantur. Et terrestre rursum, vel oppidanum, vel campestre, pro vitæ rusticæ & vrbanæ differentia. Nam partes eius, quibus explicatur, sunt partim homines, vt inquit Vegetius, qui bellum gerunt: partim res, quibus vel oppugnando, vel propulsando geritur. Idque aiunt significare Maronem, cùm statim in exordio sui operis, se arma simul & virum cantaturum pollicetur. Et quantum quidem ad homines attinet, exercitus omnis, cui ab exercendo nomen est impositum, tum auxiliarias fœderatorum ac sociorum copias complectitur, tum legionarias, id est, proprias ac domesticas. Auxiliariorum quidem, qui extraordinarij dicuntur, circa Imperatoris ministerium versantur: qui verò ordinarij, in dextro cornu & sinistro constituuntur. Legionariorum autem, alios beneficiarios, & principes ponunt, alios munifices. Principum tres fermè sunt ordines, Vnus est ipsius Imperatoris vel Consulis: item Legati, Præfecti castrorum, Magistri legionis, Iudicum, quibus adsunt, scribæ, primicerij, spiculatores & curiosi. Alter Tribunorum & præpositorum, chiliarchorum, primipilorum, ducenarionum, centurionum, primorum hastatorum, siue decanorum, quaternionum, in quorum comitatu sunt, accensi siue supernumerarij, qui se illis præbent, donec locus fiat. Vltimus tandem, reliquorum omnium beneficiariorum, cuiusmodi sunt Augustales, Aquiliferi, Imaginarij, Signiferi, Draconarij, Optiones, Tesserarij, Campigeni, Metatores, Mensores, Stratores, Hippocomi, Tubicines, Cornicines, Buccinatores, Duplares, Torquati, Candidati, Liminarchæ, Librarij, de quibus pluscula apud rerum militarium scriptores. Munifices[b] sunt, qui munera militaria obire coguntur: cuiusmodi sunt excubiæ, angariȩ, gestationes in vsum belli, decursio campi, erectio valli, atque id genus similia. Estque horum non vna & eadem condi-

b *l. munus. ff. de uerb. sig.*

conditio : nam præter hoc, quod alij ſunt equites, alij pedites, diuidūtur etiam in anteſignarios, haſtarios, principes & triarios. Et ſunt anteſignarij, leuis armaturæ adoleſcentes, quales ſunt ſagittarij, baliſtarij, funditores, pilani, ferentarij, proletarij, expediti, deſultores, velites, velones, rorarij, gregarij, & omnes qui vno nomine præcurſores appellantur & tumultuarij. Haſtati verò, illi, qui marciobarbuli nominantur, quique verutis ac plumbatis armiti, ſtant ſcutati ante ipſum agmen. Principes autem, qui primum hoſtium impetum excipiunt, quique cataphracti, & quantum fieri poteſt, vndiquaque muniti ſunt, in quibus ferè omnes citrati, dupliciarij, & veterani. Triariorum verò ordo vltimus eſt, & pro muro ſiue vallo poſitus, quia nec cedere illi, nec inſequi fas eſt. Illud breuiter admonendum, exceptis fabris, lixis, calonibus, & alijs qui gratia militum ſunt, reliquos omnes, qui in expeditione verſantur, quique ſacramentum militare præſtiterunt, ſiue auxiliarij ſint, ſiue legionarij, ſiue beneficiarij, ſiue munifices, vno communi nomine milites appellari, quibus id nominis eſt collatum, aut à mollitia, id eſt duritia, quam pro nobis ſuſtinent: aut à multitudine: aut à malo, quod arcere ſolent: aut à numero mille[c] hominum. c *l. 1. ff. de teſt. milit.* Et ſunt nonnulli tyrones, qui in prima militiæ rudimenta ingrediuntur, qualia ſunt greſſus, curſus, natatio, lucta, cum ſimilibus. Nonnulli, veterani[d], qui non ſunt tyrones, & primos annos militiæ iam egreſſi. d *l. 1. ff. de priuil. veteran.* Quanquam & eorum, alij ſunt voluntarij, alij dati, alij caligati, alij electi, alij ordinarij, alij ſuccenturiati. Rerum ad militiam pertinentium [e] nonnullæ ſunt hominum, nonnullæ rerum, nonnullæ ipſius quaſi militię. e *de his. ff. de re milit.* Hominum ſunt, quibus homines, tum aluntur & exhibentur, vt annona militaris, & comeatus: tum veſtiuntur & teguntur, vt paludamenta, ſaga, ſupellectilia, quæ à pellibus dicuntur[f], tentoria, papiliones: tum conducuntur, vt ſtipendia, quæ à ſtipe nomen inuenerunt; f *l. labeo. ff. de ſupell. leg.* tum denique armantur, tam ad pro-

ad protectionem,vt galea,ſcutum,thorax,armillæ,lorica,balteus, ocreæ, perones, quàm ad nocendum, vt enſis,gladius,ſpatha, dolon,ſica,pugio,verutum,pilum,haſta,funda,telũ.Rerũ ſunt quibus loca muniuntur:vt mœnia,muri, portę,arces, turres, cataractę,quę ad ciuitates pertinent.Itẽ vineæ,aggeres, foſſę, portæ, quę ad caſtra. Denique remi, ſchaphę, vela,bipennis, aſſer,falx,quę ad naues.In his quę ad ipſam militiam pertinent,ſunt,tũ arma,vt cataractę,turres ambulatoriæ,ſcorpiones, arietes, plutei,telones, ſambucę, exoſtra, pontes, muſculi, ſcalæ, cum ſimilibus:tum ſigna,ex quibus vocalia dicuntur,quę voce humana pronunciantur,ſicut in vigilijs, vel in prælio, pro ſigno dicitur: ſemiuocalia, quę per tubam, aut cornua,aut buccinam, dantur: muta,quę ad oculos referuntur, cuiuſmodi ſunt Aquilę,Dracones,Vexilla,Flammulæ, Rufę, pennę. Sed de his iam ſatis.Nam de Sacramẽtis militum de iure triumphandi, de cõmeatu,& miſſionum varijs generibus: itẽ de caſtrẽſibus & quaſi caſtrẽſibus peculijs: de ijs qui militare poſſunt,vel nõ: de delictis: de iudicijs: de toto denique iure militari, hoc loco tractare:non eſt præſentis inſtituti.Nam id ſolum eſt nobis hìc propoſitum, vt capita quędam cuiuſque rei, quæ in Republica verſetur, annotemus. Et ipſa iura militaria, tam ſunt libera,& à communibus iuris regulis,propter fauorem ſoluta, vt vix in artem cadere, & generali cognitione comprehendi poſſint. Enimuerò, ſi de beneficijs & feudis aliquid dixerimus, nihil videbimur, vt puto, præter propoſitum noſtrum facere. Nam tota ratio beneficiorum,quę ſcilicet fidelis obſequij gratia dantur, nullas alias habet oportunitates, nec ad vllum præterea vſum eſt excogitata:quàm vt ſint generoſi homines & prętantes in Republica,qui ad belli & armorum tractationem, totiuſque adeò Reipublicæ defenſionem, inſtituantur.Horum[g] ergo quoniam plures & inſignes ſunt differentiæ, Primùm alia ſunt Regalia, alia Nec regalia. Regalia,quę cum regali aliqua dignitate,vt Marchiæ,Ducatus,

g *de his paßim in uſib.feud.& ijs quæ ibi tractantur.*

catus, Comitatus, sunt coniuncta: quæque à regia manu & liberalitate proficiscuntur. Nec regalia, quę vel ab alio quàm ipso Principe conferuntur, vel à Principe quidem, sed sine vllo dignitatis & splendoris decôre. Præterea quædam sunt, quę vocantur nobilia, quædã quæ plebeia. Nobilia, quę possessorem suum, in numerum & ordinem nobilium reponũt, vel si aliàs est nobilis, tum sine vlla dubitatione, talem significant. Plebeia, quę à paganis conceduntur, & præter munus & onus militare quod adferunt, nullam alioqui nominis claritatem pariunt. Quod autem nonnulli, ea quæ nobilia sunt, propter varios nobilitatis gradus, in totidẽ quoque species distribuunt, reprehenditur à quibusdã, & nec ego id probandũ censeo: quoniã aliud est mediocritate differre, aliud specie[h]. Iam verò, & alia sunt beneficia ordinaria, siue recta: alia extra ordinaria, siue imperfecta. In rectis requiritur, vt pura sint, & in curia possessa, sine potestate reuocandi. Reliqua omnia, quę vel tẽpore, vel certo seruitij genere finiuntur, quęúe pecunia data impetrãtur, aut aliquo deniq; alio modo recedũt à verà & genuina natura beneficiorũ, degenerãtia dicũtur & imp̃fecta. Sunt preterea quædam, quę personalia nominãtur, quę scilicet cũ persona intereunt. Nã cũ ob bene merita, veterano alicui certa quędam pẽsio, in singulos annos apponitur, eã, planũ est, cum ipso homine extingui, & eũ q obnoxius est, ad illationẽ ei⁹ nõ ampliùs cuiq mortaliũ teneri. Quòd nõnulla sunt beneficia, quę ecclesiastica vocãtur, nouã etiã eorũ speciẽ efficit: nã sunt vel eius cõditionis & naturæ, vt à nullo alio, quàm clerico possideri possint: vel eius, vt à nullo alio conferri & concedi: vel denique, vt nec obtineri à profanis, nec dari aut irrogari possint. Planè quòd subinde fœmininorum beneficiorum fit mentio, id satìs significat regulariter solos masculos eorum esse compotes: nec ad fœminas vllo alio modo deuolui, quàm si id nominatim in lege, siue in conuentione prima, sit comprehensum. Nouum beneficium, non alio nomine differt ab anti-

h *l. ul. ff. de fund. inst & inst leg.*

antiquo siue paterno, quàm quòd hoc à maiorihus profectum, & per manus traditum, ad nostram tandem peruenit possessionem: illud in nostra primum persona constituatur, & à nobis, ortus sui principatum, ducat.

DE RE QVÆSTORIA.



VNC abeo ad rei questorię explicationem: quę quidem licèt suprascriptis duabus partibus, nobilitate cedat & pręstantia: tamen cōmuni vitæ vsu & commoditate, nulla ei parte est inferior, facitque copiosam & locupletem ciuitatem, & rerum omnium, quibus vita paratur, abundantia circunfluentem. Equidem, quemadmodum humana vita constare nequit, nisi ventriculi, intestinorum, iecoris, venarum & aliarum partium beneficio, cibus & potus per totum corpus deuehatur: ita nec illa ciuitas incolumis esse potest, quæ rei frumentariæ, pecuariæ, sagarię & aliarum similium copia destituitur. Idque siue fiscum Principis spectemus, siue ęrarium populi. Et ideo, quanuis nonnulli ex ijs, qui rem quęstoriam tractant, sine publica sint dignitate ac honore, vt mancipes, publicani, cohortales, discussores, arcarij, sygostatæ, decaproti, cartularij, tractores, & alij: tamen plerique omnes eorum magistratum & honorem gerere dicuntur, vt tribuni, ærarij, procuratores[a] Cæsaris, fisci, patrimonij, rationis priuatæ, tamiaci, rationales, antigrapharij receptores, magistri rationum, cum similibus. Omnia verò illa, circa quæ versatur res quęstoria, sunt duûm generum: res scilicet, & pecuniæ. Res quidem ad vsum, vt frumentum, vinum, oleum, triticum, lignum, lana: Pecunia verò, ad commodam permutationem. Nam quia non semper[b] nec facilè concurrit, vt cùm tu habeas quod ego desiderem, inuicem ego habeam quod tu accipere velis: electa materia est, cuius publica ac perpetua

a *tit. de off. procurat. Cæsar. & rat.*

b *l. i. ff. de contrahend. empt. & uend.*

tua æstimatio, difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis, subueniret: eaq; materia, forma publica percussa, vsum dominiumq; non tam ex substantia præbet, quàm ex quantitate, nec vltrà merx vtrumq; est, sed alterum pretium vocatur. Planè si quis in his rebus cum laude versari velit: scire debet, inquit Aristoteles, quãtus sufficiat ciuitati sumptus, quantum copiarum sit, quod ex agro redeat, quantum quod aliunde inuehatur. Præterea quænam sint res, quæ importari exportarique debeant, vt de ijs pacta conuenta & quasi fœdera, cum finitimis & cæteris populis constituãtur. Qui de pecunijs cõciliandis est dicturus, primum nosse debet, quales & quot sint redditus ciuitatis atque prouentus: deinde qua ratione vectigal, si quod non videatur constitutum, addi præstarique possit: & si quod parum reddere dicatur, quo pacto reformari augerique debeat. Et sunt ad eam rem perdiscendæ atque indagandæ omnes impensę ciuitatis, vt quæ superuacuæ erunt, tollantur, & quæ superfluæ videbuntur, amputentur: neque enim vna tantum ratione crescit opulentia ciuitatum, si nouus quęstus accedat: sed etiam illa, si minuantur impendia. Et ad videnda hæc atque cognoscenda, non modò requiritur ea prudentia atque is vsus rerum, quem de moribus nostræ ciuitatis, nostro ingenio, studioque comparauimus: sed vt quàm instructissimi, paratissimique ad hanc partem deliberationis videamur accedere: necessarium est, rationes quoque alias tenere, atque consilia, quæ ab alijs aliàs ad huiusmodi causam inuenta & excogitata fuêre. Ratio autem tam rerum, quàm pecuniarum conficiendarum in Republica est triplex: vel ex patrimonialibus sacrę domus, vel ex vectigalibus & tributis: vel ex causis priuatis. Patrimonialia sacræ domus sunt, quæ ita sunt Principis, vel Reipublicæ, quemadmodum patrimonia singulorum, siue per veterem occupationem, siue per traditionem ac mancipium. Verum ea quæ ex his proueniunt, non sunt in vna & eadem causa. Subinde dat ita sua

colenda Princeps, quemadmodum prædia nostra vulgò dare solemus colonis nostris, & ea dicuntur merè patrimonialia. Subinde sic, vt tam diu is qui accipit fundum, habeat eum, quàmdiu annuum vectigal soluat, & ea bona appellantur vectigalia [c], siue emphiteuticaria. Subinde sic, vt is qui suscipit, officium aliquod & ministerium exhibeat tam ipse, quàm hæres eius, tum in genere, tum in specie, veluti vt limites custodiat, quo casu prædia limitropha dicuntur [d], & generali nomine beneficiaria. Subinde denique ita, vt in totum quodammodo abscedat res à Principe, vel Republica, paucis quibusdam exceptis: veluti cum agri bello capti assignantur militibus, qui quòd certis finibus & limitibus diriguntur, limitati vocantur [e]. Item cum ea quæ post illam assignationem supersunt, quæ cum subcisiua tum extraclusa dicuntur, vt est apud Agennium Vrbicum vel per auctionem sub hasta fiscali distrahuntur, vel in publicum addicuntur, vel certis negotijs aut collegijs destinantur. Atque in istis hoc manet adhuc publicum, vt neque vsucapi, neque per alluuionem crescere possint. Vectigalia, sunt omnia illa, quę Princeps percipit ex alia causa, quàm sui patrimonij, vt annona, canon, pensio, functio, vectigal, collecta, largitio, tributum emphiteusis, locarium, solarium capitatio, portorium, officium, census, munus, commissum, exactio, decuma, stipendium, collatio, salarium, indictum. Quia enim Princeps non potest terra omnia & mari pacata reddere, aggeres munire, pontes extruere, vias reficere, portus aperire, pilas in mare iacere, hostes amouere sine sumptu & impensis: conueniens est, & rationi consentaneum, vt in eos vsus aliqua illi à subditis conferantur. Horum quędam petuntur extra ordinem propter repentinas aliquas & magnas necessitates, quæ postulata dicuntur veteribus: quædam ordinariè, quæ vel personis imponuntur, vel rebus, vel negotijs. Personarum fiunt, capitatiões, cùm in singula hominum capita, quę à Principe defenduntur, aliquid exsoluitur: quibus accedunt ea quæ

c l. 1. ff. si ag. uecti. uel emphyt. pet.

d C. de fund. limitrop.

e uid. l. in agris ff. de aquir. rerum. dom.

quæ commiſſa [f] dicuntur, cùm ob delicta, vel alias cauſas, bona in fiſcum rediguntur, vel in publicum addicuntur. Rerum propriè ſunt, tributa, ſolaria, cenſus, decumæ, munera: nam omnia bona ſiue ea ſint mobilia, & ſe mouentia, ſiue ſoli, in cenſum & profeſſionem [g] venire debent, niſi immunitatem fortè habeant: quo caſu nihil planè penditur ex ijs, niſi quòd ſubinde certo pretio conſtituto, fructus eorum vendi iubeantur Reipublicæ. Cæterùm alia, quæ tributaria [h] dicuntur & ſtipendiaria, vel certam inferunt penſionem pecuniariam quotannis, vel decumas, quę cenſoria locatione in ſingulos annos elocantur. Sunt tamen nonnulli agri ſecundum Frontinum, qui tutelati vocantur, qui nec immunes ſunt, quoniam ius Italicum non habent: nec tributarij, quia non ſunt bello deuicti: ſed quoniam ſe vltro dederunt in clientelam & tuitionem Reipublicæ Romanæ, æquum eſt, vt aliquid pro defenſione inferant. Negotiorum obuentiones ſunt, portoria, vectigalia, collectę, locaria, quæ penduntur ob mercatus [i], nauigationes, euectiones, inuectiones, tranſuectiones, commutationes, & alia de genere eodem. Quę priuatim ciuitati neceſſaria ſuggerunt, ſunt agricultura, coniuncta cum reliquis artibus manuarijs, & mercatura. Artium & agriculturę eſt, ea prębere ciuitati, quę domeſticum ſolum profert, ſiue frumentariam rem, ſiue pecuariam, ſiue hortenſem reſpicias, illaque ſic parare, vt non ſolùm neceſſitatibus noſtris & vſibus, ad cultum, victum & habitationem inſeruiant: verùm etiam, vt ſi modo luxuries abſit & lautities, voluptatem & iucunditatem adferant: ſuntq; ad eam rem promouendã conſtituta iura, quę Georgica [k] dicuntur: & collegia ſiue corpora piſtorũ, fabrorum, piſcatorum, & aliorum porrò artificũ, quorum vſus neceſſarius eſt in Repub. Mercaturę primũ & maximum munus eſt, vt illa, quę ſuperflua ſunt, exportẽtur ijſq; permutatis, rurſum inuehãtur, & per propolas & venalitiarios diuẽdantur ac diſtribuãtur ea, quibus nos caremus.

f ff. de public. vectig. & cõmiſ.

g l. forma ff. de cenſ. b.

h ff. per traditionem. Inſt. de rerum diuiſ.

i l. cotem. l. ult. § diui ff. de pub. & uectig.

k vid. ll. georg. Iuſt.

Nam ſic per rerum naturam comparatum eſt, vt non ſolùm ſinguli homines, ſine aliorum ope ac præſidio ſibi non ſufficiant: verùm etiam, vt ne vna quidem toto orbe regio, gens, aut natio reperiatur, quæ ita rebus & artibus abundet, vt ab omni parte per ſe beata ſit, & aliarum regionum opem & auxilium non deſideret. Quæ quidem res manifeſtè argumento eſt, non ad feram illam & immanem vitam nos fabricatos, & in lucem proditos eſſe, ſed ad participationem vltro citroque faciendam, & ad communem tranquillamque ſocietatem colendam. Atque hinc adeò factum eſt, vt tota res nautica ſit excogitata, vt nundinæ foraque conſtituta, vtque certa quædam ſint condita, & deſcripta iura, quæ mercatus vocantur [l], & apud omnes vbiq; nationes valent, quemadmodum illæ olim Rhodię leges, quæ nauticę dicebantur [m], in quarum hodie locum ſucceſſerunt Visbeiæ, ex nobiliſſimo Gothorum emporio Visbu, quod à Danis, Vandalis, Ruſſis, Saxonibus, Freſijs, Pruſſis, Eſtonibus, maximo confluxu frequentari ſolebat, profectæ. Et ſanè ſi iuſto res humanas iudicio ponderare velimus, reperiemus negotiationem, non ſolùm nõ repudiandam, aut exterminandam, ſed omnibus potiùs modis, tanquam apprimè neceſſariam [n] colendam & exercendam eſſe, maximè cum multos ſummos viros, in quibus eſt Solon, Lycurgus, Plato, Ariſtoteles, mercatum exercuiſſe memorię proditum ſit. Verùm q̃ tanta laborat vt plurimũ inuidia, & quadam quaſi nota infamię aſpergitur: ex eo accidit, quòd, ſi modum egrediatur, luxum ferè pariat & infundat in Rempub. & eos qui mercatum exercent, in inexplebilem ferè auri & opum cupiditatẽ deducat. Atque ex ea quidẽ parte, quę merces tractat, exſiſtunt ſępe Monopolia [o], & alij illiciti conuentus mercatorum, qui magnam peſtem & cladẽ adferunt ciuitatibus. Ex ea verò, quę in pecuniarũ permutatione cõſiſtit, (nam has duas partes [p] habet tota negotiatio) naſcitur vtplurimũ fœnus, quo nihil neque fœdius, neque turpius excogitari poteſt. His

l *L. ex hoc iure. ff. de Iuſt. & Iur.*

m *uid. ff. ad. l. Rhod. de iact.*

n *arg. l. quod priuilegiũ. ff. depoſit.*

o *uid C. de monopol.*

p *uid. l. in lege cenſoria. ff. de uerb. ſignif.*

His duobus vitijs sublatis, nihil video, cur non mercatus in rebuspublicis, in precio haberi & coli debeat, præcipuè cùm summæ prudentię & authoritatis apud Græcos Plato, vt inquit[q] Callistrat', cũ institueret, quemadmodũ ciuitas bñ & beatè habitari possit, imprimis negotiatores necessarios esse dixerit, cui' verba hæc sunt: Δεῖ δὲ πλειόνων ἄρα γεωργῶντε καὶ τῶν ἄλλων δημιουργῶν, καὶ δὴ καὶ τῶν ἄλλων διακονούντων τῶν τε εἰσαξόντων ἕκαστα καὶ ἐξαξόντων, οὗτοι δέ εἰσιν ἔμποροι, κομίσας δὲ ὁ γεωργὸς εἰς τὴν ἀγοράν τι, ὧν ποιεῖ ἤ τις ἄλλος τῶν δημιουργῶν ἐὰν μὴ εἰς τὸν αὐτὸν χρόνον ἥκῃ τοῖς δεομένοις τὰ παρ' αὐτοῦ ἀνταλλάξασθαι ἀργήσει τῆς αὐτοῦ δημιουργίας καθήμενος ἐν τῇ ἀγορᾷ; οὐδαμῶς. ἀλλ' εἰσὶν οἱ τοῦτο ὁρῶντες, ἑαυτοὺς ἐπὶ τὴν διακονίαν τάττουσι ταύτην.

q l. 2. ff. de nũd.

DE RE PRIVATA.



RESTAT vt de iure priuato transigamus. Pertinet autẽ omne ius priuatum, vel ad personas, ex quibus cõstat[a] Respublica: vel ad res, quibus homines exhibentur: vel ad obligatiões, quę tum personarum sunt, tum rerum. Ac personæ quidem affectæ sunt inter se, & respiciunt se mutuò, quinque ferme modis: Vel enim considerantur vt vir & vxor, vel vt pater & filius, vel vt dominus & seruus, vel vt tutor curatórue, & pupillus adultúsue, vel vt cognatus & cognata. Prima & arctissima secundum naturam cõiunctio, est maris & fœminę, quę sobolis procreandæ, & communis conuictus causa, coalescit. Nam nuptię nihil sunt aliud, quam viri & mulieris coniunctio, consortium omnis vitæ, diuini & humani iuris communicatio[b]. Verùm non omnium vxorum eadem est for-

a l. 1. ff. de stat. ho.

b l. 1. ff. de rit. nupt.

c l. si uxor. ff. de adulter.

est forma. Quędam sunt quæ cõmunes in iure[c] dicuntur, eò quòd non iustis nuptijs, secundũ nostræ ciuitatis iura, copulatæ sunt, sed iure gentium solũmodo: quędam verò legitimæ, quę secundũ obseruationem iuris Romani ducuntur, quæq; aut matresfamiliarũ sunt, aut tantũmodo vxores. Matresfamiliarum quidem, si in manum conuenerint, ac mancipiũ viri, per coëmptionem, quæ coëmptio certis solennitatibus peragitur. Nam in coëmendo interrogant se inuicem: Vir ita: An sibi mulier materfamilias esse velit: Illa respõdet, velle. Itẽ mulier: An vir sibi pater familias esse velit, cui ille respõdet, velle. Itaq; conuenit mulier in manũ, & fit virò loco filię. Quę verò vxores tantũmodo sunt, aut fiunt per confarreationem, quæ solis Pontificibus cõuenit, & initur certis verbis, & testibus decem præsentibus, & solenni sacrificio facto, in quo panis quoq; farreus adhibetur: aut per vsum & vsucapionem, ad certũ tempus, quę omnibus cõpetit. Et est generaliter iustũ matrimonium, si inter eos qui nuptias contrahunt, connubiũ sit, & tã masculus pubes, q̃ fœmina potens sit, & vtrique consentiant si sui iuris sunt, aut etiam parẽtes eorũ si in potestate sunt. Nec debet mirũ videri, quòd in nuptijs cõtrahendis, quædam quasi emptionis & venditionis species intercedit: quia & apud Noruagos antiquos, Danos, & Fresiones, & passim apud omnes Barbaros, solent nobiles raptione, plebei mercatu, sibi vxores cõparare. Planè concubinatus[d], etsi apud patres nostros toleratus est, non fert tamẽ verecundia nostrorum temporũ, nec religionis ratio, vt ampliùs sufferatur. Sunt autẽ de appendicibus nuptiarũ, sponsalia, dotes, repudia, diuortia, exhibitiones liberorũ, q fruct⁹ sunt matrimonij. Sed sunt liberorũ, nã de ijs secundo dicere proposuimus, alij legitimi, alij illegitimi. Legitimi, qui ex iure contracto matrimonio nascuntur, quod quidẽ si cõmuni omnium gentiũ iure constitutũ est, facit tantũmodo filios, si etiã Romanorum, filiosfamiliarũ, qui in potestate nostra mãcipioque & sacris nostris sunt cõstituti. Nã ius patriæ

d ff. de concub.

potesta-

potestatis proprium est ciuium Romanorum:nec vlli alij sunt homines,qui talẽ in liberos habent potestatẽ, qualẽ nos habemus. Excepto quod in potestate parentum sunt etiam ij liberi, quorũ causa probata est, per errorem contracto matrimonio, inter dispares condignis personas. Nam seu ciuis Romanus Latinã,aut peregriuam, vel eam quæ dedititiorũ numero est, quasi per ignorantiã vxorẽ duxerit, siue ciuis Romana per errorem, peregrino, vel ei qui dedititiorũ numero est,aut etiam si Latino ex lege Aelia Sentia nupta fuerit:causa probata, ciuitas redditur, tam liberis quàm parentibus, præter eos qui dedititiorũ numero sunt, & ex eo fiunt in potestate parentũ liberi. Nec sunt tantũ in potestate naturales, sed etiam adoptiui[e], idque siue per populũ sint arrogati, siue per prætorem, siue per præsidẽ. Illegitimi liberi sunt, qui sine parentum matrimonio nascuntur, quorũ tam est diuersa conditio, vt alij naturales tantũ sint, qui ex consuetudine duorũ liberorũ & quorũ inter se matrimonium non est legibus prohibitũ, edũtur: alij spurij, qui ex nefario & scelerato coitu procreantur[f]. Seruorum quorum tertius est locus, secundũ Hesiodũ, in familia, quidã sunt manui & potestati nostræ suppositi, quidã liberi. Eorũ qui dominij nostri sunt, etsi alij primi sunt actus:alij medij: alij infimi, Item alij ordinarij: alij vicarij, Denique alij vrbani: alij rustici:alij Topiarij, Dietarij Aquarij, Supellecticarij, Hostiarij, Balneatores, Cellarij, Muliones, Venatores, Vestigatores, Monitores, Villici, Atrienses, Scoparij, Saltuarij: tamen quantùm ad ius attinet, vna est omnium atque eadem conditio. Eorum verò qui liberi sunt, nonnulli ingenui, qui statim vt nati sunt, liberi sunt, & vel operam suam mercede locant, vel in clientelam alicuius se dedunt: nonnulli libertini, qui ex iusta seruitute manumissi tum ad dedititiorum, tum ad Latinorum, tum ciuis Romani statum perueniunt: nonnullli denique statuliberi, qui sub conditione testamento liberi esse iussi sunt. Tutores dicti sunt, quasi tuitores, & dantur anti-

e §. 1. Inst. de adopt.

f l. ex complexu. C. de incest. nupt.

tam masculis quàm fœminis . Sed masculis quidem impuberibus duntaxat, iure veteri , propter ætatis infirmitatem: fœminis autem, tam impuberibus, quàm puberibus, & propter sexus infirmitatem, & propter forensium rerum ignorationem. Sunt verò tutores , aut legitimi, aut Senatisconsultis constituti, aut moribus introducti, authore Vlpiano. Legitimi imprimis & per eminentiam sunt, qui ex lege duodecim tabularum introducuntur, seu propalam, quales sunt agnati: seu per cōsequentiam, quales sunt patroni. Deinde fiduciarij: nam qui liberum caput mancipatum sibi, vel à parente, vel à coëmptore, manumisit, per similitudinem patroni, tutor efficitur, qui fiduciarius appellatur. Adhæc cessici, quibus in iure tutela cessa est à legitimo tutore. Denique testamento nominatim dati: nam & illi, lege duodecim tabularū confirmantur his verbis: Vti legassit super pecunia tuteláue suę rei, ita ius esto, qui tutores datiui appellantur. Senatusconsultis dātur tutores, vt cū ex lege Attilia, Iunia, Iulia de maritādis ordinibus pupillis , mulieribúsue non habētibus, dantur tutores, de quibus latiùs apud Vlpianū. Moribus tutor datur, mulieri, pupillóue, qui cum tutore suo lege, aut legitimo iudicio agere vult, vt authore eo agat, (ipse enim tutor in rem suam author fieri nō potest) qui Prætorianus tutor dicitur, quia à Prætore vrbis dari consueuit. Curatores inquit Vlpianus, aut legitimi sunt id est, qui ex lege duodecim tabularum dantur, aut honorarij, id est, qui à Prætore constituuntur. Lex duodecim tabularum furiosum, itemque prodigum, cui bonis interdictum est, in curatione iubet esse agnatorum. A Prætore cōstituitur curator, quem ipse Prętor voluerit, libertinis prodigis, itemque ingenuis, qui ex testamento parentis hæredes facti, malè dissipant bona: his enim ex lege curator dari non poterat, cùm ingenuus quidem nō ab intestato, sed ex testamento hęres factus sit patri: libertinus autē nullo modo patri hęres fieri possit, qui nec patrem habuisse videtur, cùm seruilis cognatio nulla sit. Prætereà

dat

dat curatorem ei etiam, qui nuper pubes factus, idoneè negotia sua tueri non potest. Coniuncti omnes aut sunt affines, aut cognati. Affines [g] sunt, viri & vxoris cognati, dicti ab eo, quòd duæ cognationes, quæ diuersæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. Nanque coniungendæ affinitatis causa, fit ex nuptijs, quod etiam fit ex sponsalibus: nam Seruius rectè dicebat, soceri & socrus, & generi & nurus appellationem, etiam ex sponsalibus acquiri. Nomina eorum hæc sunt: socer, socrus, gener, nurus, nouerca, vitricus, priuignus, priuigna. Cognati ab eo dici putantur, quòd quasi vnà communitérue nati, vel ab eodem orti progenitíue sint, vnde & consanguinei [h] appellantur, Græcis συγγενεῖς. Et cognationis substantia bifariàm intelligitur: nam quædam cognationes iure constituto, quædam naturali connectuntur. Iure constituto, veluti cùm Iure Ciuili per adoptionem consistit, & copulatur cognatio. Item, cùm iure pontificali per baptismum. Iure naturali, cùm per liberorum procreationem, augentur capita familiæ. Sed hoc habet differentiam: nam alia est cognatio naturalis per se sine ciuili, qualis est, quæ vel per seruos, vel per fœminam descendit, quæ vulgo liberos peperit: alia coniuncta cum ciuili, quæ iustis nuptijs contractis copulatur. Gradus autem cognationis sunt, vel superioris ordinis, vel inferioris, vel à transuerso siue à latere. Superioris ordinis sunt parentes, quæ vsque ad tritauum apud Romanos proprio vocabulo nominantur, sed vlteriores qui non habent speciale nomen, maiores appellantur. Inferioris, liberi, qui vsque ad trinepotem quidem suis nominibus vocantur, sed vltra semper posteriores. Ex transuerso, siue à latere fratres, siue sorores, liberique eorum, qui varijs vsque ad septimum gradum nominibus notantur. Primo [i] gradu sunt, pater, mater, filius, filia: Secundo, suprà auus auia, infrà nepos neptis, ex transuerso (nam in primo gradu nulli sunt à latere coniuncti) frater soror.

g *l. non facile. l. seruus. l. Iureconsultus. ff. de gradib. aff.*

h *l. 1. ff. de suis & legit.*

i *l. 1. 2. & 3. ff. de gradib. aff.*

Tertio, suprà proauus, infrà pronepos, ex transuerso fratris filius, & conuenienter patruus. Quarto, suprà abauus, infrà abnepos, ex transuerso fratris nepos, & conuenienter illi, qui eandem (vt dictum est) cum illis habent rationem. Quinto, suprà atauus, infra atnepos, ex transuerso fratris pronepos. Sexto, suprà tritauus, infrà trinepos, ex transuerso fratris abnepos. Septimo, suprà tritaui pater, infrà trinepotis filius, ex transuerso fratris atnepos. Vltra hos septem gradus, vix est, vt q̃tũ ad ius nostrũ attinet, quicq̃ tractetur, quoniã vltra septimũ ferè gradũ, q pfectus & expletus est, rerum natura, cognatorum iura cõsistere non patitur. Illud non est ignorandũ, ex cognatis eos, qui per fœminas cõiunguntur: cognatos tantùm vocari, eos verò qui per marem: agnatos, quod quidem nomen Iuris Ciuilis est, & tollitur per capitis deminutionem, id est prioris status commutationem, quæ pro numero capitum, quæ quis habet, vt est libertas, ciuitas, & familia, est triplex: Maxima, cùm & ciuitas & libertas amittitur: Media, cùm ciuitas quidem amittitur, libertas verò retinetur: Minima, cùm status hominis tantùm immutatur. Atque hæc de personis. Rerum, quæ priuatim in Republica versantur: Prima diuisio est, secundum partes: nam in his vel adspicitur substantia, quantùm ad earum dominium: vel superficies, quantùm ad possessionem: vel vtilitas, quantùm ad vsumfructum, vsum, & habitationem attinet. Secunda verò, secundum species, quæ varijs modis procedit: nam imprimis rerum: aliæ sunt corporales, vt domus, fundus, seruus: aliæ [k] incorporales, vt seruitutes, quæ vel sunt personales, vt vsusfructus, vsus, habitatio: vel prædiales, vtiter, actus, via, aquæductus, & similes, tam vrbanorum prædiorum, quàm rusticorum. Nam quantum ad corporales [l] res attinet, tria sunt genera corporum, vnum quod continetur vno spiritu, & Græcè ἡνωμένον vocatur, vt homo, lignum, lapis, & similia: Alterum, quod ex continentibus, hoc est ex pluribus inter se cohærentibus constat,

k §.I. Inst. de reb. corpo. & incorp.

l L. rerum. ff. de usucap.

constat, quod συνημμένον appellatur, vt ædificium, nauis armarium: Tertium, quod ex distantibus constat, vt corpora plura non soluta, sed vni nomini subiecta, veluti populus, grex, legio. Præterea, rerum aliæ sunt mácupi, aliæ nec mancupi: Mancupi res sunt, prædia in Italico solo, tam rustica, qualis est fundus, quàm vrbana, qualis domus: item iura prędiorum rusticorum, veluti via, iter, actus, & aquęductus: Item serui & quadrupedes, quæ dorso collóue domantur, veluti boues, muli, equi, asini. Cæteræ res, nec mancupi sunt. Elephanti & cameli, quanuìs collo dorsóue domẽtur, nec mancupi sunt, quoniam bestiarum numero sunt. Adhæc aliæ res sunt vniuersales, vt hæreditas siue successio in alicuius ius: aliæ generales, vt tutela: aliæ speciales, vt Stichus, fundus, domus. Porrò, aliæ sunt in patrimonio, vt quæ singulorum esse possunt: aliæ extra patrimonium, vt quæ communes sunt, vel publicæ, vel nullius: aliæ neque in patrimonio, neque extra patrimonium, vt seruitutes: nam hactenus sunt in patrimonio, quatenus sunt personarum, vel prædiorum: hactenus extra, quatenus propriè possideri non possunt, & ideo quasi possideri dicuntur. Iam verò rerũ, aliæ sunt iure naturali communes, aliæ publicæ, aliæ vniuersitatis, aliæ nullius, aliæ singulorum. Communia sunt, aër, aqua profluens, mare, & per hoc littora maris: Publica, flumina, portus: Vniuersitatis, quæ in ciuitatibus theatra, stadia: Nullius, sacræ res, sanctæ, religiosæ, de quibus pluribus est expositum. Singulorum, quæ cuiusque dominio subijciuntur: Nam tanta est hodie naturæ humanæ peruersitas, vt sine discordia rerum communio seruari non possit. Verùm pleni perfectiq; dominij tres sunt omnino partes, possessio, proprietas, & fructus, idq; pro numero eorum, quę in quaq; re inueniri suprà diximus. Possessio appellata est, vt & Labeo ait, à pedibus, & est quasi pedum positio. Et est possessio vna naturalis [m] tantùm, qualis est apud colonũ & commodatarium, quæ subinde nuda detentio vocatur,

m l. stipulatio. §. hac ff. de verb. obl l. 1. §. dencere ff. de vi & vi. armat. l. si cũ qui ff. de donat. inter uir. & ux.

& nunquam adspirat ad dominiũ: Altera ciuilis tãtùm, quæ commentitia magis est, quàm reuerà constans. Nam quòd seruus qui in fuga est [n], quòd pignus apud debitorem possideri dicitur, propter vtilitatem receptum est, vt procedat vsucapio. Tertia Ciuilis & naturalis simul, cùm quis rei insistit, tanquam dominus, vel saltem dominij acquirendi animo, & ea demum vera perfectaque possessio dicitur, longè differens ab ea, quam quis obtinet causæ rei seruandæ, cùm in bonorum possessionem à prętore mittitur [o]. Proprietas siue dominium subinde plenum est, & omnibus suis partibus absolutum: subinde verò minùs plenum. Plenum est, in quo nihil desideratur: minùs plenum, quod non est perfectum, veluti directum: quale est apud dominium rei emphiteuticariæ vel beneficiariæ: Vtile, quale apud eum qui beneficium vel emphiteusim possidet: Quasi dominium, quale est apud eum, qui agit Publiciana: Cõmutabile, quale apud maritum, qui dotem tenet: Superficiarium, quale apud eum, qui in alieno solo, volente domino ædificauit: Prædiale, quale eius, qui certos redditus ex aliquo agro percipit: Nam ager, præs siue prædium est, qui oppignoratus est: Ager fundus, qui liber est, & cuius dominium plenum haberi potest. Fructus rerum consistit, tum in vsu earum, cuiusmodi est calcei; vt induatur: domus, vt inhabitetur. Tum in perceptione alicuius ex ijs, veluti cùm ex fundo frumentum, ex horto poma percipimus. Sed non omnium fructuum qui percipi solent, vna & eadem est natura. Quidam enim sunt Ciuiles, quidam Naturales. Ciuiles sunt, qui ex mercatu & commercio rei proueniunt, cuiusmodi est pretium, vsura, fœnus, locarium, id quod interest, pœna [p]. Naturales trifariàm æstimantur: aut enim suapte sponte constant, aut industria hominis, aut vtroque simul. Sua spontè proueniunt poma, salicta, syluæ: sola hominis industria, omnia quæ arte constant, veluti cùm ex ligno fit statua: ex materia, domus: ex auro, annulus. Natura simul & industria, quæ

n *l. 1. §. per seruum 1. & 2. ff. de acqui. poss.*

o *l. 3. in fi. ff. de acquir. poss.*

p *l. usura ff. de usur.*

quæ curam & culturam requirunt, licèt terræ fœtu vel animalium proueniant, vt triticum, oleum, vinum, mel. Acquisitio, vel est singularum rerum, vel alicuius vniuersitatis. Singulæ res acquiruntur, adiectione, occupatione, donatione, mancipatione, traditione, vsucapione, in iure cessione, adiudicatione, lege. Adijci dicuntur ea quę vel ex animalibus nostris nascuntur, vel per alluuionem accedunt, vel per inædificationem, implantationem, inscriptionem, immistionem, cum rebus nostris coalescũt. Occupationis species sunt, venatio, inuentio, & captiuitas hostilis. Donatio, est doni datio, & cernitur in liberalitatibus inter viuos, in donationibus causa mortis, dotibus, donationibus propter nuptias, legatis, fideicommissis & precario. Mancipatio est propria species alienationis rerum mancupi, & fit certis verbis, libripende & quinque testibus præsentibus. Traditio propriæ est alienatio rerum: nam nec mancupi rerum dominia ipsa traditione apprehendimus, scilicet si ex iusta causa traditæ sunt nobis. Et per nudam traditionem in eo casu videtur transire dominium, in quo nascitur vsucapio pro suo [q]. Vsucapio autem est, dominij adeptio per continuationem possessionis anni vel biennij: rerum mobilium anni: immobilium biennij. In iure cessio quoque communis alienatio est & mancupi rerum, & nec mancupi, quæ fit per tres personas: in iure cedentes, vindicantes, addicentes. in iure cedit dominus, vindicat is cui ceditur, addicit prætor. Adiudicatione dominia nanciscimur per formulam Familiæ herciscundæ, quæ locum habet inter cohæredes: & per formulam Communi diuidundo, cui locus est inter socios, & per formulam Finium regundorum, quæ est inter vicinos. Nam si iudex vni ex hæredibus, aut socijs, aut vicinis rem aliquam adiudicauerit, statim illi acquiritur, siue mancupi, siue nec mancupi sit. Lege nobis acquiritur, veluti caducum, vel ereptitium ex lege Papia Poppeia. item legatum ex lege duodecim tabularũ, siue mãcupi res sint, siue nec mãcupi.

q vld. tit. pro su. ff.

Per vniuersitatem acquirimus. Primò, si alicuius hęredes facti sumus, aut ab intestato, aut testamento: siue per scripturã, siue per nuncupationem facto, nã quantum ad codicillos attinet, nõ potest illis hæreditas, nec dari, nec adimi, sicut nec per aliam minùs solennem volũtatem. Secundò, si alicuius bonorũ possessionem à Prætore petierimus, siue cõtra tabulas, siue secũdum tabulas, siue ab intestato, idq; vel vt liberi, vel vt agnati, vel vt cognati, vel vt ex familia, vel vt patroni, vel vt vir & vxor. Tertiò, si quem arrogauerimus: nã cum is in leges & potestatẽ nostram transit, simul etiam transfundit in nos suarũ rerum omnium dominium. Quartò, si alicuius bona, libertatum cõseruandarum causa, nobis addicta fuerint, eo scilicet casu, quo alius non inuenitur hæres. Quintò denique, si succedamus per bonorum venditionem ex Senatuscõsulto Claudiano, quod nũc sublatum est. Dictũ est de rebus, sequitur de obligationibus. Obligatio est iuris vinculũ, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ, secũdum [r] nostræ ciuitatis iura. Nascitur autẽ omnis obligatio, aut ex contractu vel quasi, quod propter rerum vltro citroq; commercia cõstitutum est: aut ex delicto vel quasi, quod propter hominum securitatem, & facilem conuictum introductum est. Contractus omnes, vel re contrahuntur, vel voluntate, vel vtroque simul. Re contrahuntur, cum res intercedens, parit ex se obligationem, vt in mutuo, commodato, deposito, pignore. Voluntate, cum negotiũ animo peragitur & consensu, idq; tum tacitè, vt cum res inuectæ, & illatæ in prædium conductum pignori opponi intelliguntur ipso [s] facto: tum propalam & expresse, quod fit subinde, nullo tractatu habito, per pollicitationem [t], quę est solius offerẽtis promissio: subinde intercedente pacto, siue conuentione, quæ est duorũ pluriũmue in idem placitum & consensus [v]. Sed pactorum, alia sunt nuda, alia stipulatione siue iureiurando cõstitutóue confirmata, alia literis comprehensa. Nuda sunt, quę vel solo nutu, vel nuda narratione sine vlla solẽnitate concipiuntur,

r §.1. Inst. de oblig.

s l. 4. ff. de pact.

t l. pactum. ff. de pollicitat.

v l. 1. ff. de pact.

tur,& nõ pariunt obligationem, litium vitandarũ causa, nisi nominatim sint approbata, vel in certùm aliquod & speciale nomen transeant, vt emptio, locatio, mãdatum, societas [a]. Stipulatio est verborũ conceptio, quibus is qui interrogatur, daturũ facturúmue se id, quod interrogatus est, respondet [b]. Ideo proculdubio inuenta, vt ne temere vagetur populus in negotijs contrahendis: sed habeat aliquid, in quo acquiescere & pedem suũ figere possit. Et habet quoq; locum in obligatione debitoris, si aliquis fideiussor accedat: nam ille, qui personam fideiussori tradit, interrogatur: istum fidem tuam esse iubes? & ille respondet: fidem meam esse iubeo. Literarũ obligatio habet locum in translationibus debitorum: nam si quis nobis pecuniam debeat, possumus debitorẽ nostrum compellere, vt pecuniam, quam nobis redditurus erat, alteri se caueat redditurum. Neq; potest ei, cui pro nostro debito cauet, de cauto & non numerato, sicut fieri solet, aliquid disputationis adferre, cùm id quòd à nobis accepit, alteri cauerit redditurum: nec potest ei, nisi literis obligatio fiat, aut à re in personam, aut à persona in personam, dari. A re in personam, veluti si id, quod ex emptione aut conductione, aut societate debes, alij reddas. A persona in personam, veluti si id, quod mihi alter debet, alteri personæ delegem, vt mihi reddere debeat: & hoc illud est, quod apud Terentium dicit Phormioni Demipho. Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi argentum iube rursum rescribi Phormio. Cui ille respondet. Quod? Næ ego perscripsi porrò illis quibus debui. Tunc re simul & voluntate dicitur contrahi, quando nec rei interuentus per se sufficit, neq; etiam sola voluntas: quod quidem fit, cum neque stipulatione, vel literis, res est cõfirmata, neq; proprium aliquod nomen conuentionis & contractus habet. Nam tunc [c] nascitur extraordinarius contractus: do vt des: facio vt facias: do vt facias: facio vt des. Iam verò, quod ex nonnullis contractibus res transit, vt ex empto vendito: Ex nonnullis tantùm vsus eius

a l. Iurisgent. ff. de pact.

b l. 5. ff. de uerb. obl.

c l. naturalis. ff. de præscript uerb.

conceditur, vt in commodato, locato conducto. Ex nõnullis, rei custodia committitur, vt in deposito: Ex nonnullis, procuratio, vt in mandato: non est opus multis verbis prosequi. Quemadmodũ nec illud, quod quidam sunt contractus principales, vt emptio, depositum: quidam accessorij, vt pignus, fideiussio. Item quòd in quibusdam, ambo contrahentes æquè principales sunt, tam re, quàm nomine, vt in societate: in quibusdam re quidem, sed non nomine: vt in empto vendito, locato conducto: in quibusdam nomine quidem, sed non re, vt in mandato, deposito, commodato, pignore: in quibusdam neque re, neq; nomine, vt in stipulatione, literarum obligatione, mutuo. Quasi contractus sunt, in quibus neque versatur delictum, neq; propriè cõtractus: sed subest tamen causa quædam obligationis: vt in negotijs gestis: in tutela: in ijs, quæ impensa sunt circa rẽ vel hæreditatẽ cõmunem: in indebito soluto [d]. Maleficia omnia sunt vnius generis, & ex re cõsistunt, id est ipso maleficio: versantur verò vel circa res, vel circa personas, vel circa res & personas simul. Circa res quidem si auferantur, vt in furto: vel si ledantur, aut corrumpantur, vt in damno iniuria dato, quod vindicatur per legẽ Aquiliam: Circa personas, in iniurijs & conuitijs, quæ tũ verbis, tũ rebus cõtrahuntur: Circa res & personas simul, cùm per vim aliquid rapitur: vnde nascitur actio, quæ vocatur, vi bonorum raptorum. Quasi delictum intelligitur, in iudice qui litem suam fecit: in eo qui effudit vel deiecit aliquid: & in domino deniq;, in cuius naui vel taberna damnũ datum est. Præter istos constituendę obligationis modos, obligamur adhuc lege, iure honorario, necessitate, facto, de quibus apud Modestinum [e] latiùs. Nã lege obligamur, cùm obtẽperantes legibus, aliquid secundũ præceptũ legis aut cõtrà, facimus. Iure honorario obligamur, ex his quæ edicto perpetuo, vel à magistratu fieri pręcipiuntur, vel fieri prohibẽtur. Necessitate obligãtur, quibus non licet aliud facere, q̃ quod præceptũ est, quod euenit in necessario

d l. ex maleficijs. ff. de act. & obl.

e l. obligamur. ff. de act. & obli.

cessario hęrede. Ex facto obligamur, cùm in facto summa quęstionis consistit. Sed de rebus diuinis & humanis & earum summis capitibus hactenus: Restat vt de medijs dicamus.

DE REBUS MIXTIS SIVE DE IVRE AVGVRVM.


IVS augurum, medium est inter diuinas & humanas res interiectum. Nam quemadmodum ius Pontificale à sacerdotibus, Ciuile à magistratibus, ita istud à sapientibus, prudentibus, & diuinis hominibus sustinetur. Cicero putat omnium, quæ in Republica versantur, esse maximum ac pręstantissimum, si modò authoritati sit coniunctum. Et quidem non immeritò: nam si (vt inquit ipse) de iure quęrimus, quid maius, quàm posse à summis imperijs, & summis potestatibus comitia tollere? concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? quid grauius, quàm rem susceptam dirimi, si vnus augur aliter dixerit? quid magnificentius, quàm posse decernere, vt magistratu se abdicent consules? quid religiosius, quàm cum populo, cum plebe agendi ius aut dare aut non dare? quid legem, si non iure rogata est, tollere? Pręterea nulla est gens, nullus toto orbe populus, apud quem non floruerit semper & in magno pretio sit habitum istud ius, cuique non & maximè saluti aliquando fuerit, vt ex omni vbique memoria, tam sacra, quàm profana licet colligere. Partes verò eius sunt tres. Vna politica, Altera sancta, Tertia diuina. Politica est, à qua graues & prudentes viri siue politici dicuntur, qui de rebus in ciuitate gerendis, & tota Reipublicę forma constituenda deliberant: qualis fingitur apud Homerum Nestor, & quales reuerà fuerũt septẽ illi Grecię toto orbe celebres sapientes: qualesque philosophi vbique omnes, qui cogitationes & curas suas ad commune aliquod

quod

quod Reipublicæ bonum retulerunt. Nam omnes illi ob præstantē & insignē sapientiā, diuini vulgò vocari solent. Et si verū fateri volumus, certè rectissimè: nā aut me fallit animus, aut nihil est in humanis rebus, quod ad Deorum vim natura mortali propiùs accedat: q̄ talis quędam pręsensio, & sciētia rerū futurarū, quę cū mēte ac sapientia sit coniuncta. An potest quicquam monstrari diuinius, quàm in magnis Reipublicę tēporibus, aptè ac cōuenienter de bello & pace in senatu sententiā dicere? de custodia & munimētis regionis cōsulere? de comeatus importatione, exportationeq;, deq; pecuniarū cōciliatione rationē expedire? de omnibus denique negotijs, quę in Republica versantur, tū adductis causis & rationib⁹, tum propositis antiquitatis & externorū populorū exemplis, quid in ijs metuendū, quid sperandū sit, cogitatione præcipere, & fusa latiùs oratione perpetua, explicare posse? Quid? an non hoc reuerà diuinare est? & non solùm quæ ante pedes sunt, verùm etiā quę longè absunt, prospicere? & rebus præsentibus adiungere atque annectere futuras? Pulchrè me hercule Cicero sic probauit illā diuinatricem iuris augurū partem, de qua mox dicemus, vt hác, quæ ad agendi consilium pertinet, certiorē, & in vsu frequentiorem esse arbitretur. Et est quidem ab hac parte profectum, quòd in ciuitatibus, magistros, doctores, oratores, senatores, & alios, qui Rempublicam re & consilio iuuant, habemus. Sancta huius iuris [a] pars est, in consecrationibus, precationibus, & sacrificijs. Nam quòd certæ leges & ritus præscribuntur, quibus Reges & Principes inaugurantur: quibus sacerdotes, pontifices, & magistratus creantur: quibus ciuitatum & templorum fundamenta iaciuntur: quibus nuptiæ, fœdera populorum, & Regum icuntur: quorum euidentissima passim exstát in sacris literis exempla: cui dubium, quin ab hoc augurum iure proficiscatur? Præterea, quòd liberis nostris morituri bene precamur: quòd rem aliquam arduam & difficilem accessuris, felicem processum & exitum optamus:

[a] *De consecrat. in Decretal. de sacramē. unct. extre.*

mus: quòd hostibus nostris, & male merẽtibus dira omnia,& aduersa imprecamur, quæ & ipsa multis sacrarum historiarum testimonijs conuinci possunt: nónne ex eodem quoque fonte oritur & emanat? Quemadmodum & illud quoque, quòd pro minis deprecandis, próque tristibus omnibus auertendis, sacrificia nonnunquam & supplicationes, ac lectisternia celebramus. Diuina huius Iuris pars, tota consistit in rerum futurarum præscientia, quæ apud prophetas, Iudæis: apud collegium augurum, Romanis semper fuit. Nam hoc à prima natura nobis est insitum, vt ea aueamus cognoscere, quæ à communi cuiusqne sensu remotiora, & paulò longius posita videntur. Nec est vlla omnino gens, neque tam humana atque docta, neque tam immanis atque barbara, quæ non significari futura, & à quibusdam intelligi prædicique posse, sentiat. Sed sunt in vniuersum, prædictionum tres species siue gradus, Diuina, Naturalis, & quæ est contra naturam. Diuinitus fiunt rerum futurarum significationes, subinde per somnum & quietem, subinde vigilantibus. Per somnum quidem, veluti cùm afflatu diuini numinis, vel sine vllis integumentis, tum narratione rei facta, tum re ipsa, vtì accidet, repræsentata: vel contrà, sub inuolucro quodam & ambiguo, quasi ænigmate, quid futurum sit, accipimus. Vigilantibus vero, veluti cùm vel sensibus se offerunt diuinæ voces aut species, tum dubiæ, tum manifestæ: vel animo à corporis obsequio abducto, idque per furorem, vt loquitur Plato, & alienationem mẽtis: quę quatuor, vt ipse tractat in Phædro, constat gradibus, Dionysij, Musarum, Apollinis, & Veneris. Naturales prædictionum rationes, quædam ab homine ducuntur, quędam ab ipso vniuerso, quædam ab vtroque simul. Ab hominis natura proficiscitur, naturalium somniorum interpretatio, lineamentorum corporis & habitus oris inspectio, cum alijs eiusdem modi. Ex vniuerso adnotantur, syderum in res inferiores contagia: quatuor primo-

primorum corporum Ignis, Aëris, Aquæ, Terræ, variæ significationes: animalium, & præcipuè auium incessus, volatus, garritus: Ab vtroque simul manant, sortes & sortilegia. Quę contra naturam mouentur, malo aliquo dęmone impellente procurantur: qualis est falsa prophetia: peruersorum somniorũ iniectio: Goitia: Pharmacia: Necromantia: Schyomantia: Magia, cum similibus: quæ omnia damnata sunt, non solùm in hac nostra Christianorum Republica, verùm etiam in illa Platonis, quæ secunda Socratis dicitur, & partim etiam in antiquis: sed plenius tamen in nouis Romanorum legibus, in quibus Mathematici, & plerique omnes, qui etiam naturalibus prædictionibus operam nauant, grauibus iudiciorũ supplicijs subijciuntur[b]. Licèt enim fortasse, quod non abnuo, pertineant quædam à rebus cœlestibus ad humanas, quæ futurorũ significationẽ præ se ferant: tamen tãta est propter varietatem in illis difficultas, vt vix quicquam veri & explorati, quodque certò affirmari queat, elici, aut vllis temporum & euentuum obseruationibus reperiri possit. Ne igitur ad illas artes, tanquàm ad Sirenum scopulos, affixa sese frustra torqueant & consumãt bona ingenia, néue ciuitates integras & populos, falsis sæpe vanisque rumoribus impleant: salubriter constitutũ & cautum est, tã sacris quàm prophanis legibus, pœnis omnibus & supplicijs obligari eos, qui in huiusmodi sese inanibus & inutilibus studijs collocant & acquescunt. Maximè cùm ipsi etiam genethliaci fateantur, nullas è sydesrum cursibus & traiectionibus, tam ratas haberi posse vel in hanc vel in illam partem notiones, quæ non sapientis mente, ratione, tanquàm supra stellas posita, & ex pręstantiori quadam natura decerpta, reprimi, & apertè refelli possint. Cui & illud porrò accedit, quòd cũ diuitiæ, bella, honores, artes, de quibus quotidie præsagiunt, pręter naturam sint: à syderum motibus, qui naturales sunt, fluere & originem trahere, dici non possint, quæ quidem res omnem eorum disciplinam peruertere videtur. Vt iam

b *vid. C. de mathe. & extr. de sortil.*

iam illud interim ſubticeam, quòd facilimus ſit in ijs lapſus ad ſuperſtitionũ & curioſitatem, quodq́; nunq̃ animum liberum ac tranquillũ relinquãt, & ad rerum diuinarũ contemplationẽ aſſurgere patiantur: quod quidem vel ſolum debet tanti apud Chriſtianos eſſe, vt etiam ſi alioqui magnũ adferrent rebus noſtris adiumentũ (quod ſanè tantùm abeſt, vt etiam ſummum detrimentum importent) nihilominus reijci & exterminari deberent: idque videlicet propter periculum. Nam quòd iuſiurandum priuatum, quòd vindicta priuata, prohibentur, propter ſolam hominum imbecillitatem comparatum eſt: ne ſcilicet facilè in periurium incidant, & in vindicando, cùm ſe tenere non poſſunt, iuſtum modum & rationem egrediantur. Exceptis igitur prædictionibus medicis, & alijs nonnullis, quæ à rerum naturalium curſu certa quadam ratione colliguntur: nullas profectò video, quæ in populo Chriſtiano probari debeant. Sed ſi quid eſt, quod diuinitus oſtenditur aut ſignificatur, id ſolùm animos noſtros commouere, & fidem apud nos inuenire debet. Atque hac quidem re, vt puto, factum eſt, vt ius iſtud augurum, apud omnes olim populos honoratum, minùs hodie ſit in celebri, & non tam in prædictionibus ampliùs, quàm in magiſtris, doctoribus, ſapientibus, conſecrationibus, & alijs, quæ ſunt de eodem genere, conſiſtat. Verùm hæc de diuinis, humanis, & medijs rebus, totaque adeò iuris materia, ſummatim dixiſſe ſufficiat: nam quòd circa vnumquodque caput, certæ aliquot quæſtiones tractari poſſunt, veluti quid ſit, quotuplex ſit, qualis ſit, quas cauſas habeat, quos effectus, quod principium, quem finem, quæ contraria, quæ coniuncta: non pertinet ad noſtrum inſtitutum latiùs proſequi, ſed ſufficit obiter admonuiſſe.

DE IV-

DE IVSTITIA PER RES DIFFVSA.



VNC porrò ſequitur vt videamus, quomodo ius & iuſtitia, per res ſuprascriptas diffundi, & eas tanquam animus regere ac moderari debeat. Nam ſi de hominis natura diſputaturi, non ſatis habent, de oſsibus, neruis, arterijs, venis, deque tota corporis figura, dicere, niſi ſimul etiam animi vires & officia perſequãtur: non ſufficit quoque ei, qui ciuilem ſapientiam profeſſurus eſt, rerum diuinarum & humanarum genera, parteſque conſectari, niſi iuſti etiam & iniuſti vias ac rationes teneat. Quæcunque igitur verſantur in Republica, & ad boni æquique normam exiguntur: aliâs inſolubilia ſunt & aſyſtata: veluti cùm[a] is qui quadringẽta habet, poſtquam trecenta legauit, fundum centum aureorum legat, ſub ea conditione, ſi legi Falcidiæ in ſuo teſtamento locus non ſit: aliâs & quidem regulariter, eiuſmodi, vt certis iuris & iniurię regulis, includantur. Verùm ex his iterum, quædam ſunt finita, quæ propriè ſuis temporibus, locis, rebus, perſonis accommodantur: vt cùm tractatur, an[b] prę ſes in ſua prouincia fœnus exercere poſsit: quædam infinita, quæ generalia ſunt & abſoluta, & nec vllis omnino circunſtantibus rebus alligata. Quorum rurſum ea eſt differentia, vt alia excogitentur, & vt ita dicam, condantur ac fabricentur à legumlatore: cuiuſmodi eſt adoptio, vſucapio, teſtamentum, ſtipulatio, actio: alia, vel natura, vel hominũ ſolertia iam cõſtituta explicentur, idq́; partim an ſint, partim quę ſint, partim qualia ſint: Nam cùm agitur, an omni argento legato, etiam pecunia numerata cenſeatur legata: Si pater & filius in eadem naui perierint, vter eorum priùs putandus ſit expiraſſe: totum negotium eſt coniecturale[c]. Cùm verò quęritur, quid tutela, quid teſtamentum, quid adoptio, quotuplex obli-

a *l. qui quadringenta. ff. ad leg. falcid.*

b *l. præſes. ff. ſi cert. pet.*

c *l. qui duos §. 1. & 2. ff. de reb. dub.*

obligatio, quotuplex capitis diminutio, quotuplex rerum diuisio & acquisitio, quid quodq; sit, in quæstionem venire dicitur. Cum tandem ambigitur, concubinatus bonúmne an malũ sit: fœnus iustúmne, an iniustum: honestum, an inhonestũ: licitum, an illicitum: de illo solo tractatur, quale aliquid sit. Atque ex eo fit, vt quædam legibus imperentur[d], quę videlicet factu necessaria sunt: vt parentibus & patrię obedire: quędam prohibeantur, quæ omnino perniciosa: vt violentas manus adferre socijs: quædam permittãtur, vt quę sui natura media sunt, & proprio cuiusque iudicio relinquenda, veluti habere vel non habere[e] cõtractum: quędam deniq; suadeantur, dissuadeantur, aut conniuentibus oculis tolerentur[f], quę neque hoc, neque illo modo constitui, nisi ex affectione iudicis, rectè possunt[g], licet vel in hanc, vel in illam partem magis propendeant: veluti, vt ne patris sponsam ducas: vt ne vinum venditum cum iure[h] posśis, effundas: vt ne fœnus exerceas: vt ne in concubinatum te dedas. Sed è re est, vt videamus ordine de singulis, & reiectis ad calcem circunstantijs & asystatis, dispiciamus, tum de ijs quę à legislatore fiunt, tum quę ille interpretatur, an sint, quid sint, & qualia sint, & quomodo in ijs versetur. His enim bene cognitis & perspectis, puto nisi fallor futurũ, vt ipsam veram germanamque legum condendarum artem & rationem, cuius gratia omnia hactenus dicta sunt, cognoscamus: & quomodo suprascripta principia, rebus omnibus accommodari posśint, si non plenè, perfectè, ac cumulatè, saltem aliquo rudi & inchoato modo, videamus.

d *l. legis ff. de ll.*
e *l. sicut C. de act.*
f *l. 4. ff. de manumiss.*
g *l. 3. ff. de testib.*
h *l. 1. ff. de peric. & cõmod. rei uend.*

DE FICTIONE IVRIS, ET IIS, QVÆ LEGVMLATOR IPSE DE INTEGRO FACIT.

QVAN-



VANTVM ad primum attinet, duo ſunt in legibus & Republica, quorum non interpres, ſed author eſt legiſlator. Vnum eſt, cùm fingit aliquid, & ponit eſſe id, quod reuerà non eſt: veluti cùm vita functus ſupereſſe [a] creditur: cùm is qui in vtero eſt, pro iam nato habetur. Alterum, cùm facit & quaſi condit aliquid, quod ad communem vitæ foríue vſum pertineat, cuiuſmodi eſt tutela, literarum obligatio, acceptilatio, cęremonia. Ac FICTIO QVIDEM, vt de ea priùs dicam, NIHIL EST ALIVD, QVAM CONSTITVTIO IVRIS, QVA ID QVOD NON EST, NEC ESSE POTEST IN SPECIE, LICET IN GENERE POSSIT, HABETVR PRO EO, AC SI ESSET, IDQVE ALICVIVS MAIORIS ABSVRDI VITANDI, VEL BONI CONSTITVENDI CAVSA. Et qd' primo dicitur CONSTITVTIO: ſignificat, non à naturali, ſed à commentitio iure proficiſci fictionem. Et verbum IVRIS eam habet vim, vt excludat priuatos homines, quibus non eſt permiſſum fingere, niſi legis authoritate fulciantur. Quòd verò id tantùm verſari dicimus in fictione, QVOD NON EST: ad præſumptionem iuris remouendam pertinet, quæ [b] ex ijs ſolùm, quæ reapſe conſiſtunt, enaſcitur: cùm fictio ex ijs, quę apertè falſa ſunt, conſtet: veluti cùm eum pro hęrede furis conuenimus, qui ipſe contraxit furtum [c]. Quanuìs tamē in nonnullis ſpeciebus, tam anceps & ambigua eſt ſupputatio, vt non facilè diſcernas fictionem à pręſumptione: veluti cùm dicimus illata [d] & inuecta in fundum conductum tacitè obligari: reſtituto chyrographo, tacitè remitti debitum: data vel numerata dote, ſemper pręſumi, interceſsiſſe ſtipulationem de dote reſtituenda [e]. Iam verò quod additur, illud demum rectè fingi QVOD NEC EST, NEC ESSE POTEST IN SPECIE, LICET IN GENERE POSSIT: continet propriam fictionis naturam

a §.i.Inſt.de excuſat. tut. & curat.

b argum. §. 2. Inſt.qb.ex cauſ ma.no.licet.l.ſi ue poſsidetis.C. de probat.cum ſimilibus.

c l.ſi duo.§.idē ff.de iureiu.

d l.item.ff.de pact.

e l.unic. C.de cad.toll.

naturam : nam vti ſurdus & mutus ſtipuletur, vt plures quis mortes obeat, vt is qui in vtero eſt, iam natus ſit, neque verum eſt in ſua ſpecie, neque per rerum naturam poteſt obtineri. Ideo tamē in fictionem rectè cadit, quoniam in genere non eſt ἀδύνατον: & poteſt fieri, vt is qui nunc in vtero eſt, in lucem aliquando edatur. Sed vt filius, quàm pater [f], natu ſit grandior: vt operas quis exhibeat poſt mortem : vt duos patres vel matres quis habeat: neque eſſe poteſt, neque expectari, & ideo nec in fictionem vllo modo deduci. Oportet enim artem non peruertere naturam ac corrumpere, ſed veſtigijs eius inſiſtendo, ſolerter eam imitari. Nam quod ſubijcitur in definitione, HABETVR PRO EO AC SI ESSET, ſatìs oſtendit, fictionem quidem nunquam tantùm poſſe, vt aliquid reuerà producat : ſed tamen vt pro eo etiam atque etiam habeatur, ac ſi eſſet, efficere : quæ res ad hoc proficit, vt idem in ficto iuris ſit, quod in ijs quæ reuerà conſiſtunt. Planè quod tandem adijcimus definitioni, ALICVIVS MAIORIS ABSVRDI VITANDI, VEL BONI CONSTITVENDI CAVSA, complectitur cauſam & originem fictionum: non enim poteſt legumlator pro ſua voluntate ac libidine fictiones conſtituere: ſed ita demum, ſi cum inſigni aliqua vtilitate ſint coniunctæ. Sic Publiciana in rem actio, quæ fingit eum vſucepiſſe, qui non vſucepit, introducta eſt à Prætore, iuuandi primi poſſeſſoris gratia contra ſecundū: licèt enim nullum ſit Iure Ciuili proditum remedium, quo ei ſubueniatur: tamen æquitas ſuadet, vt ex duobus poſſeſſoribus præferatur ille, qui prerogatiuà temporis eſt ſubnixus [g]. Sic etiam, ſi is quem cōſtat furtum commiſiſſe, iurauerit deferente actore, ſe furem non eſſe: ceſſat quidem propter religionem iuriſiurandi, directa in eum actio: ſed ne tamen dominus re ſua temere priuetur, & fur ex ſua perfidia periurioq; lucrum [h] ſentiat: effectum eſt, vt tanquam hæres furis, fingi & conueniri debeat, Sic denique, quod creditoris mei creditori adnumero, reuerà nō poſſum dici credi-

f §. minorē. Inſt. de adopt.

g l. potior. ff. qui pot. in pig. hab.

h l. 1. ff. de dol. mal.

ei creditori meo adnumerare: ſed tamen ne in fraudem & damnũ incidam, fingor, breui manu creditori meo pecuniam dediſſe, & ille rurſum ſuo creditori numeraſſe: fitque ita, vt celeritate coniungendarũ inter ſe actionum, vna actio occultetur [i]. Diuiditur autẽ omnis fictio, in ciuilem, & prætoriam. Ciuilis eſt, quæ ipſo iure cõpetit, qualis eſt in iure Poſtliminij, per quod fingitur, ſemper in ciuitate fuiſſe, qui captus ab hoſtibus redijt [k]. in ſtipulatione [l] de dote, quæ ſemper putatur interceſſiſſe cõtracto matrimonio, licèt de ea neq; cogitatum neq; dictum ſit. in contractu habito cum eccleſia, cui ſemper fingitur acceſſiſſe traditio: in lege Cornelia, per quam fingitur ab initio mortuus ille, qui hoſtium potitus, nunquam redijt. Prætoria eſt, quæ ab æquitate naſcitur, & in iure tãtummodo exercetur, veluti cum quis ſe dicit vſucepiſſe, quod [m] non vſucepit: cùm is qui abfuit [n], contendit, cõtra ſe vſucaptum non eſſe, cùm tamen vſucaptum ſit. Verſatur verò fictio, ſubinde circa ipſas ſubſtantias, ſubinde circa ea quæ inhærent & adijciuntur ſubſtantiæ. Circa ſubſtantias, veluti cùm fingimus eſſe, quod nõ eſt: vt cùm is qui in vtero eſt, iam natus [o]: aut miles qui in acie occubuit, per gloriam viuere creditur: vel contrà, non eſſe, quod eſt, vt cum eum in mortuis reputamus, qui tamen ſecundum rei veritatem ſupereſt, qualis eſt ſeruus [p], deportatus, & pœnæ addictus. Circa ea quæ accidunt ſubſtantiæ verſatur fictio, veluti cum minus ſoluere dicitur, qui nihil ſoluit: cùm pro puro habetur id, quod impoſſibili conditione ſuſpenſum [q] eſt: cùm propter neceſſitatem exhibitionis, agnoſcitur ad tempus pro filio, qui nõ eſt: cùm abſens Reipublicæ cauſa, fingitur pręſens, compendij ſui & commodi gratia: cum exſtante conditione, negotiũ retrotrahitur: cùm quis id ipſe intelligitur facere, quod facit per procuratorem ſuum: cum pater putatur contumeliam accipere ex iniuria inflicta filio: cùm aduerſum impuberem nulla fingitur procedere vſucapio: cùm deniq; illam rem habere videor, ad quam tantũmodo ha-

i l. certi condictio. §. ult. ff. ſi cert. per. l. 3. §. ult. ff. de don. inter uir. & ux

k §. ſi ab hoſtib. Inſt. quib. mod. ius pat. pot. ſol.

l § fuerat Inſt. de act.

m l. 1. & toto tit. ff. de public. in rem act.

n §. item ſi quis. Inſt. de act.

o l. qui in utero, ff. de ſta. hom.

p l. ſeruitutẽ ff. de reg. Iur.

q l. factus. §. ſi ſub conditione. ff. ad trebell.

do habeo actionē. Caput autē in omni fictione est, vt ne quid fingamus sine vtili ac necessaria causa. Deinde, vt ne impossibilia & à natura abhorrentia introducamus. Denique, vt ne duas fictiones ex vna & eadem re eliciamus. Nam quemadmodum nulla seruitus seruitutis: ita nec fictio fictionis esse potest [r], nisi fortè sui natura, vna fluat ex alia: vel ex vna causa, duæ simul & æqualiter emergant: nam alioqui & ipsa natura recusat, ex ijs plantis & animalibus semen præbere, quę arte humana, non natura propagata sunt. De illo fortè addubitari potest, cur in Publiciana, & alijs omnibus fictionibus, quoniam æquitas exigit, vt is præponatur, qui tempore potior est: cur, inquam circuitio fiat, & non potiùs recta via detur illi actio sine vlla fictione, quę quidem fictio suspicionem quádam turpitudinis præ se fert. Verius est, id semper operam dare legumlatores, vt ne quicquá contra legum suarum maiestatem & authoritatē faciant, & vt priùs quàm veteres leges tollant, nouum aliquod remedium adinueniant, quo ius vetus vel suppleatur, vel corrigatur, vel emendetur, vt in bonorum possessione, quæ hæreditati opponitur, est manifestum. Quando igitur aliqua se offert species, in qua ius aliquod singulare, præter communes legum regulas, versatur, eam non simpliciter definiunt, quippe ne sibiipsi aduersari & sua propria edicta elusoria reddere videantur: sed fictione facta, conciliant eam cum ijs, quę sub regula continentur, vt sic non nouum aliquod ius constituere, sed in veteri permanere, sublato tamen vitio, dici possint [s]. Nec est, quòd turpis & improba videatur eiusmodi fictio, quoniam in ea non agitur aliud, & aliud simulatur, decipiendi alicuius gratia: sed formandi constituendique iuris ac legis causa: nam id rectè iusteque fieri posse, non solùm Chrysostomi & Platonis authoritate, verum etiam ipsius rationis, & permultis ac propè infinitis sacrarum literarum exemplis cōuincitur. Illud quęsitum scio, an omniū rerum rectè sit fictio. Et est verū eorū quę iuris sunt, esse quidem:

r *l. si vero non remunerādi. §. 1. ff. mandat.*

s *argū. d. l. f. §. 1 ff. ad trebell. §. 1. Inst. de except. §. cōstituitur. Inst. de vsufruct.*

ſed quæ facti, minimè. Nam & indè quoque fit, vt reuerſus poſtliminio poſſeſſionem [t] non recuperet, quemadmodum nec matrimonium, quod animorũ potiùs libero cõſenſu, quàm ſtricti iuris vinculo cõtineri, & poſſeſſionis magis eſſe, quemadmodũ eſt in Andria Terẽtij, q̃ iuris, apud veteres probatũ eſt. Hæc ergo de fictione. Iã illa verò quę conduntur à legũlatoribus, varijs ex cauſis & neceſſitatibus conſtituuntur. Stipulationes inuentæ ſunt, vt id quiſq; ſtipuletur quod ſua intereſt [v]: Vſucapiones, vt ne rerum dominia ſint in indiſtincto: Adoptiones, ad ſolatium eorum, qui liberos non habent: Teſtamẽtorum factiones, in fauorem morientiũ, quorum arbitrium non eſt reuerſurum [a]. Chyrographorum ac ſignaculorũ vſus, propter hominum in fraudes procliuitatem. & ſic porrò de alijs omnibus, quę in Republica verſantur. Quę quidem ſunt trium generum: nam aut ſunt certæ res ciuiles, vt pecunię, pondera, menſuræ: aut facta hominum, vt mercatus, emptiones, ſocietates, emphiteuticarij cõtractus: aut deniq; ex vtriſque mixta, vt teſtamenta, codicilli, actiones, chyrographa. Ipſe autẽ modus & ratio, qua quæq; res conficitur, tripartia eſt. Vel enim cogitur ex ſolis naturalibus in vnum confluentibus rationibus, vel ex ciuilibus & legitimis tantùm, vel ex vtriſque ſimul iunctis & copulatis. Primi generis eſt, Tutela, quę tuendorum pupillorum gratia, qui parentibus orbi ſunt, & per ætatem ſe defendere nequeunt, qui appetitus naturalis eſt, publicè primum eſt conſtituta [b]. Item rerum permutatio, per quam vltrò & citrò cõmunicantur ea, quæ ad naturam conſeruandam & propagandam pertinent. Dominiorũ quoq; diſtinctio, quæ propter lites & diſcordias euitandas, quas communionis materia ſolet excitare, naturaliter primũ eſt inuẽta. Secũdi aũt generis eſt, Adoptio, cuius origo non tam à naturalibus neceſſitatibus, q̃ indulgẽtia quadã ciuili manauit. Patria poteſtas illa vetus, quæ imperij potiùs & authoritatis, q̃ ratiõis & naturæ principijs eſt fulta. Vſucapio & lõgi tẽporis prę-

ſcri-

t l. in bello. §. facti. §. medio ff. de capt. & poſ. reu.

v l. ſtipulatio §. alteri. ff. de uerbor. obligat.

a l. 1. C. de ſacroſanct. Eccleſ.

b §. tutela Inſt. de tutel.

ſcriptio, cuius ille propriè finis eſt, vt negligẽtes dãmo & multa, diligẽtes, præmio & honore afficiat. Tertij tandẽ, Stipulatio, quæ hactenus naturalis eſt, quatenus pactũ & conuentionem in ſe [c] continet: hactenus ciuilis, quatenus verborum proprietatibus & figuris eſt incluſa. Præterea, Literarum obligatio, quæ ab illa parte naturalis eſt, qua conſenſu & voluntate peragitur: ab illa verò ciuilis, qua certis verborum conceptionibus continetur. Item teſtamentum, quod eouſque meritò naturale dicitur, quò mentis & voluntatis teſtationem in ſe habet: eouſque contrà ciuile, quò certas obſeruationes ac ſolennitates requirit. Eorum, quæ his tribus rationibus conficiuntur, alia antecedunt ipſam rem principalem, alia verò ſequũtur, alia coniunguntur cum ea, alia deniq; illã ipſam propriè veréque continent. Antecedunt nuptias ſponſalia [d], donationes, dotes: Litem, admonitiones, citationes, editiones: Vſucapionem, iuſti tituli, poſſeſſiones, bona fides: Acceptilationem, Aquiliana ſtipulatio. Sequuntur obligationem [e], nouatio, delegatio, conſtitutum: Matrimonium, diuortium, repudium, repetitio dotis: Stipulationem, conteſtationes, chyrographa, epiſtolæ. Coniungitur cum contractu pupilli [f], authoritas tutoris: Cum filijſfamilias matrimonio, conſenſus patris, cuius in poteſtate manet. Cum alienatione dotalis prædij, voluntas mulieris, à qua profectum, & doti datum eſt prædium. Quæ ipſius rei naturam & qualitatẽ continent, nunc ad ſubſtantiã eius pertinẽt, nunc ad adminiculantia, nunc ad externa, nunc ad nomen, nunc ad effectum. Subſtantiam ſtipulationis inducit Imperator, cùm iubet eam per interrogationem & reſpõſionem [g] celebrari. Acceptilationis, cũ præcipit interrogari hoc modo: Quod ego tibi promiſi, habéſne acceptum? Et reſponderi hoc modo, Habeo. Nuptiarum, cũ dicit, Nuptias non concubitum facere, ſed conſenſum. Adminiculantium [h] quædam, tam arctè copulateque cohærent cum ipſa ſubſtantia, vt ſine ijs nec eſſe nec omnino ſubſiſtere poſſint: quædam verò ſunt huiuſmodi, vt

ſine

c l.ff.de pact.

d l.i.ff.de ſponſ.

e ſub.tit.quib. mod.toll.oblig.

f Inſt.de.auth. tut.

g §.1.de uerb.ob lig.

h l.pacta.ff.de cõ trah. empt. & uend.

ſine vllo vitio demi & ſeparari poſſint. In emptione ac vẽditione: etſi eius ſubſtãtia exſiſtit è pretio, tamẽ ſine re quę veneat, nec emptio, nec vẽditio poteſt intelligi: quia res eſt ex ijs adminiculantibus, quę inſeparabilia[i] ſunt. Cęterùm, ſi conueniat ne cautio dupli pręſtetur, nihil eſt impedimẽto cõtractui[k]. In cõtrahendis & conſeruandis matrimonijs, nihil pertinet ad rem, dotata ne mulier in manũ viri cõueniat, necne: ſed ſi alter coniugũ ſit frigidus, probatũ eſt, non ſolùm impediri contrahendũ, verùm etiã diſſolui contractũ matrimoniũ[l]. Externa ſunt, quę ad ritus, ſolẽnitates, cęremonias tam diuinarũ, q̃ humanarum rerum pertinent. Et ſunt eorum pleraq; talia, vt ſine ijs res quidem conſiſtãt, ſed non aptè, commodè, concinnè conſiſtãt. Nam quis eſt qui ignorat, licèt per ſe teneat, clandeſtinum matrimoniũ, multo tamen id eſſe honeſtius, quod propalã & apertè ſecundũ pręſcripta eccleſiæ ſit copulatum[m]? Idem accidit & in teſtamentis condendis, in votis & pollicitationibus faciendis, in iudicijs & actionibus exercendis. Planè nonnullę ſunt ſolennitates, quę non ſolùm ad ornatũ & elegantiam ſunt quęſitæ, verùm etiam ad ſubſtantiam & propriam rei naturam adinuentę[n]: ſed illę non poſſunt à ſubſtantia ſeparari, & ſunt propriè ad formam cuiq; rei dandã, comparatę. Nomina rerum variè ſe habent, vt latiùs dicetur in inferioribus: nam haud parũ intereſt, receptitiámne[o] actionem an conſtitutoriam: donationem ante nuptias, an propter nuptias: rei vxorię actionem, an ex ſtipulatu: furtum, an[p] amotionem: coniugium, an contubernium dicas. Quantùm ad effectum attinet, ſæpe fit, vt manẽte re, vis eius & effectus immutetur, vt in patria & dominica poteſtate, de cuius effectu multùm hodie detractum eſt[q]. Item per contrariũ, vt permanẽte vi & effectu, res ipſa in aliam quandam formam & ſpeciem transformetur, vt in tractu vſucapionis transformatę[r]: in effectu receptitię actionis, quę transfuſa nũc eſt & tranſlata: in conſtitoriã. Deniq;, vt vtriq;, tam rei, quàm illius effectui

i l. nec emptio. ff de contrah. empt.

k d. l. pacta.

l extra de frig. & mal.

m vid. extr. de cland. deſpon.

n exempla habes in ſtipulat. & teſtament.

o uid. l. 2. C. de conſt. pec.

p tot. tit. ff. rerũ amot.

q §. pen. Inſt. de his que ſui uel al. Iur. l. in ſuis ff. delib. & poſth.

r uid. C. de uſu. trã ſformat.

effectui, noui aliquid inijciatur: nam nouissimo iure legatorum, non modò species & figura mutata est, verùm etiam virtus & effectus [s]. Cùm autem legislator ad huiusmodi aliquid conficiendum & introducendum accedit, vna cautio est, vt diligenter in finem iuris & principia inspiciat, & ex ijs, quod rebus suis commodũ & idoneũ viderit, decerpat. Illud, antequã aliò proficiscamur, minimè negligendum est: esse quędam in iure, quæ vocantur imaginaria, qualia sunt, quæ in emancipationibus, testamentis, & alijs intercedunt. Sed ea cùm partim ad fictionẽ, partim ad ea quę ius fabricat, referantur: non est operępretium, vt specialem habeant tractatum.

s §. sed olim Inst. de legat.

DE IVRIS CONIECTVRA ET AN ALIQVID SIT.



NVNC videndum, quomodo in coniecturis & interpretationibus, in quibus præcipuè quæritur, an aliquid sit, oporteat versari. Nam subinde obscuritas voluntatis, tũ contrahentiũ, tum testantiũ facit, vt animus ambiguitate distrahatur, vt cum nummis legatis [a] oritur quæstio, de quibus nam testator cogitarit: subinde facti, cùm de eius qualitate ambigitur. Sed siue fuerit quęstio voluntatis, siue facti, vtrobique prodita est duplex ratio, qua veritas probabiliter indagari & erui possit. Vna est, quę inartificialis dicitur, veluti cùm ex pręiudicijs, rumoribus, tormentis, tabulis, iureiurando, testibus, discimus, quid quis aut fecerit, aut dixerit. Altera, quę artificialis vocatur, quęq; via quadã & ratione, se quasi insinuat in animos hominum, & solerter indagat, quid factũ sit, quid non sit. Huius prior pars est, (nam de inartificialibus nihil opus est tractare) interpretatio, de qua priùs explicabim⁹. Posterior, pręsumptio, de qua secũdo loco dicem⁹. Interpretationẽ siue coniecturam, tam factorũ, quàm cogitationum

a l. nummis. ff. de leg. 3.

num, partim facimus ex rebus ipsis, partim ex verbis. Ex rebus, veluti cùm ex taciturnitate cõsensum colligimus[b]: ex vultus & coloris mutatione, facinoris conscientiam. Sed sunt rerum quædam directæ, puta cùm ex nutu[c], præsentia, scriptione, subscriptione, subsignatione, silentio, mentem ac voluntatem cuiusq; colligimus: Quędã obliquæ, vt cùm ex [d] antegressis quibusdã, vel subsequutis signis, vel etiam connexis, facta pariter ac cogitata dijudicamus: Quędam denique mediæ, quæ ex re subiecta, & eius circunstantijs emergunt. Nam si scriptum est fideiussisse aliquem, omnia præsumuntur solenniter[e] acta: si quis concedat iurisdictionem[f], intelligitur etiam ea cõcedere, sine quibus iurisdictio, exerceri non potest: si quis legat insciens rem alienam personæ coniunctæ, putatur etiam si scisset alienam, legaturus[g] fuisse: si legatum est vinum in genere, ad exquirendum, quale vinum voluerit legato cedere testator, inspicimus in locum, tempus, personam [h], consuetudinem, cum alijs eiusmodi. Ex verbis sumitur interpretatio, veluti cum dicimus, supellectili legata, de illis sensisse testatorem, quæ supellectilis nomine veniunt [i]. Sed hic tum verba intuemur, tum mentem, tum verba simul & mentem. Verborum significatio, alia est propria, quę communi loquentium vsu est frequentata: alia impropria, quæ vel noua est, vel vetus, vel translatitia: alia lata, vt cum omnes res[k] & possessiones, pecunię appellatione significamus: alia stricta, vt cum actionẽ eam definimus, quę in personam[l] infertur. Mentem & sententiam loquentis, demonstrat materia subiecta, cum suis antecedentibus, consequentibus, cõiunctis, relatiuis: vt cùm dandi verbum in emptione ac venditione, pro pręstatione[m] accipimus. Item ex personis, locis, temporibus, negotijs, vt cùm is, qui demonstrandi intellectus gratia stipulatur, intelligitur non velle obligationem cõtrahere[n]. Item ex ipsorum verborum positu, flexu, cõnectione, transpositione, distinctione cũ nonnullis alijs[o]. Tam verborum, quàm mentis est, totum ipsius orationis quasi

b *l. qui tacet. ff. de reg. Iur.*

c *l. obligamur. ff de act. l. Caius ff. de pign. act.*

d *l. titia. §. 1. ff. de uerb. oblig.*

e *l. sciendum. ff. de uerb. oblig.*

f *l. 2. ff. de. Iurisd. om. Iud.*

g *§. non solum. Inst. de leg.*

h *uide not. in l. cum certum. ff. de uin. tritic. & ol. leg.*

i *l. Labeo. ff. de suppell. leg.*

k *l. 2. §. ult. ff si cert. pet.*

l *l. actio. ff. de act.*

m *l. datio. l. ex empto. ff. de act. emp.*

n *l. obligationum substãtia iũcta. l. non solum. ff. de act. uide. §. plane. Inst de milit. test.*

quasi corpus. Nam quemadmodum in homine necessarium est, vt membrorum quædam conuenientia sit & cõspiratio inter sese: ita etiã orationis partes omnes, communi quodam vinculo cõtineri, & ad idem respicere debent: fitq; sæpenumerò, vt quod per se solum inspectum, obscurum est, & intricatum: id, si cum alijs partibus orationis, testamenti, legis, componatur, clarum euadat & facile. Et est inciuile, vt inquit [p] Celsus, nisi tota lege perspecta, vna aliqua eius particula proposita, iudicare vel respondere velle. Iam autem ad faciendam coniecturam ex verbis, caput & summa est, vt in hæc tria simul, verba scilicet, sentẽtiam, & totam orationem inspicias. Nam si conueniunt, id est, si neque sententia refragatur, neque contextus orationis, quo minus proprietas verborum obseruetur: regulariter probandum est, id velle eum qui loquitur, quod propria verborum significatio [q] demonstrat. Cæterum, si vel sententia diuersum suadet, vel sermonis continuitas, propiùs est, vt rerum gratia à propria verbi significatione recedamus: & sumptis [r], vel improprijs, vel latis, vel strictis significationibus, verba cum rebus conciliemus. Sic enim cum dicitur in lege, mutuum constare in pecunia, facile videmus, non esse sententiam legislatoris, vt propriè capiatur verbum pecuniæ, pro numis, propter naturam contractus: nec etiam vt latè, pro omni possessione, propter eandem rationem. Sic in emptione, cùm dicitur, vẽditorem ad dandum teneri, res subiecta facit, vt verbum dandi, non pro translatione dominij, sed pro præstatione accipiatur. Planè si tanta est vel verborum, & sententiarum, vel partium orationis inter se pugna, vt neque per diuersas significationes vocabulorum, neque per vllas circunstantias rerum, conciliatio fieri possit: magìs probatum est, vt totum cadat. Nam in ambiguo sermone, non vtrumque dicimus, sed id duntaxat quod volumus: itaque qui aliud dicit quàm vult, neq; id dicit quod vox significat, quia non vult, neq; id quod vult, quia id non loquitur [s]. Scio

o *exemplo potest esse tractatus de legatis & legationibus.*

p *l. inciuile. ff. de l.*

q *l. Labeo. ff. de supell. leg.*

r *l. si seruus legatus. § qui quinque. ff. de leg. i.*

s *l. 3. ff. de reb. dub.*

de interpretatione verborum multa passim in vnũ congeri, sed nisi me fallit opinio, hæc nostra paucula, cuicuimodi tandem illa sint, facile sufficiunt ei, qui ex arte facturus sit interpretationem. Nihil enim aliud opus est, quàm vt imprimis diligẽter explicemus, quæ sit propria verbi functio: deinde, quæ verisimiliter sententia, & an cum ijs reliqua omnia, quæ toto testamento, iure, lege dicuntur, conueniant: nam si nulla est eorum dissensio, prompta est interpretatio ac facilis. Si prima facie nonnihil discrepent, tam diu inquirendum est, vel in rei circunstantias, vel verborum significationes, donec aptè inter se quadrent ac conueniant. Quòd enim alibi dicit Ireconsultus, pupillum naturaliter [t] obligari, non est simpliciter verum: tum quoniam id recta ratio non patitur, tum quia sunt multæ passim leges, quibus contrà [v] respondetur. Restat igitur, rem ita temperandam esse, vt alia atque alia obligatio naturalis esse dicatur, & hęc quidem huic, illa verò, illi legi accommodetur. Huc vsque ergo de iuris cõiectura siue interpretatione. Pręsumptio definitur in hunc modum: Præsumptio est probabilis suspicio, iuris vel iudicis, qua creditur id alicui adesse vel abesse, quod naturaliter vel vtplurimùm adesse vel abesse solet. Verbum SVSPICIO, loco generis est, significans præsumptionem ex eorum esse numero, quæ coniectura magìs quàm certa scientia constant. Et quod adijcitur: PROBABILIS, significat, nec necessarijs eam, nec temerè collectis, sed medijs quibusdam niti argumentis, ijsq; publicè lege lata, vel iurisdictione, probatis ac receptis. Nam quod post deinde sequitur: QVA CREDIMVS ALICVI, vel personæ scilicet vel rei ADESSE VEL ABESSE, duplex eius officiũ ostẽdit. Vnũ, vt cùm dicimus: Cui iurisdictio data est, ea quoq; concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potest. Alterum, vt cum in generali concessione non credimus venire ea, quę quis specialiter nõ esset concessurus [a]. Et quod vltimo loco ponitur, QVOD NATVRALITER VEL

VTPLV-

t l.1.ff.de nouat.

v l.pupillum. ff. de act.

a l. obligatione. ff. de pignoribus.

VT PLVRIMVM ADESSE VEL ABESSE SOLET, principium ac originem præſumptionis continet, quaſi hominis ſit, non modò ea, quæ ſenſu percipiuntur, attendere: verum etiã, quid quamq; rem ſequatur, quid antecedat, videre: & ex ijs, quæ pręſentia ſunt, præterita pariter, & futura colligere. Quia enim ſuæ poſteritati quiſq; potiùs fauere ſolet, quàm extraneis: cur non in omnium bonorum donatione facta ab eo, qui liberos non habet, præſumimus ſub illa conditione donari, vt ſi liberi naſcantur, reuocetur donatio [b]? Quia ſtipulationes nõ aliter fieri poſſunt, quàm per interrogationem & reſponſionem: cur, ſi ſcriptum eſt ſpopondiſſe aliquem, non pręſumemus omnia ſolenniter acta? Quia nemo facilè amittit rem ſuam à ſe ſine cauſa: cur, ſi quis non hæres ea teneat, quæ alium conſtat poſſediſſe, non pręſumimus, tam diu in bonis prioris poſſeſſoris manere, donec alius iuſtum titulum, & cauſam ſuę poſſeſſionis [c] attulerit? Certè magno Reipublicę bono conſtituuntur huiuſmodi præſumptiones. Nec poteſt fieri, vt ſine præſumptionibus, vlla certa iura, aut vllæ certæ leges deſcribantur. Species verò earum ſunt duæ. Vna, quæ legitimis probationibus regulariter refutari poteſt, quam cõmunem licebit appellare: Nam ſi quis chirographo ſcripto, confeſſus eſt mutuam pecuniam, hactenus ſtatur ſcripturæ, ſi non contrà probetur [d]. Altera, quæ reprobari non poteſt, quæ & ſpecialis rectè fortaſſe dicetur: vt ſi quis ſeruũ ſuum hęredem inſtituerit, adeò videtur & libertatẽ ſimul illi reliquiſſe, ne, quod abſurdum eſt, teſtando inteſtatus decedere voluiſſe videri poſſit, vt ſi quis contradicere velit, non audiatur [e]. Niſi ſi fortè tam ſint claræ & manifeſtæ atteſtationes, vt nulla ijs ratione reſiſti aut contradici poſſit. Nam in huiuſmodi ſpecie, ne veritas rerũ occultetur, & plus valeat quod ſimulatur [f], quàm quod agitur: receptius eſt, probationes magìs, quàm pręſumptiones etiam vehemẽtiſſimas, ſequi. Regularũ verò, quibus omnis pręſumptio dirigitur, prior eſt, vt id quod naturaliter, vel

b *l. ſi unquàm. C. de reuocand. do.*

c *l. cum de poſſeſſione C. de proba t.*

d *l. generaliter. C. de nõ nu. pec.*

e *§. 2. Inſtit. quib. ex cauſ. ma. non lic.*

f *C. plus ualere quod agitur quã quod &c.*

vtplurimum, vel adeſt vel abeſt, ſemper præſumamus vel adeſſe vel abeſſe. Sic enim parentes ſemper præſumuntur liberos ſuos amare: coniuncti gratiores eſſe, quàm extranei, vel alieni: communis conuictus amorem parere: propria quemque negotia, quàm [h] aliena magis curare. Poſterior, vt id quod vel contra naturam eſt, vel contra communem vitæ curſum, neque adeſſe, neque abeſſe intelligatur. Nam ſic nemo intelligitur ſalutis ſuæ immemor: nemo ſuum iactare [i]: nemo ſanæ mentis, in ſolennibus & arduis ludere. Etſi autem multæ ſpeciales leges poſſunt adduci, quibus præſumptionum ratio contineatur: tamen nihil eſt in omnibus ſpecialibus regulis, quod non ad iſtas duas generales reuocari poſſit. Illud, antequàm aliò proficiſcamur, explicandum, quo tandem modo fiat interpretatio, ab ijs quæ expreſſa ſunt, ad ea, quæ neque dicta, neque cogitata ſunt. Nam cùm neque leges, neque Senatuſconſulta ita ſcribi poſſint, vt omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendantur: neceſſarium eſt, vt quæ deſunt, interpretatione ſuppleantur [k]. Fit autem hæc interpretatio tribus modis. Vnò, cùm ex generalibus regulis, de certa aliqua ſpecie propoſita iudicamus. Altero, cùm ex vna aliqua ſpecie, vel pluribus, generales quaſdam regulas elicimus. Tertio, cùm regulam cum regula, vel ſpeciem cum ſpecie componimus. Primi modi exemplum eſt huiuſmodi. Pupillus ſine tutoris authoritate mutuum accepit, & locupletior factus eſt: pubes effectus ſoluit, quæritur an repetat? reſpõdetur, non repetere: ratio generalis eſt: Nam hoc natura æquum eſt, neminem cum alterius detrimento locupletari [l]. Atq; hæc quidem interpretatio, princeps eſt omnium interpretationum, vtpote quæ proficiſcatur à primis naturæ datis, & principijs generalibus, & progrediatur ad ea, quę inferiora ſunt, & ad ſpeciem directa. Secundi exemplum eſt huiuſmodi. Video vno loco mulierem à poſtulando prohiberi: alio, à cura tuteláue arceri: item alio, ne pro quoquam interueniat, vetari, & ſic porrò de ma-

h l. præſens. C. de ſer. & aq.

i l. cum de indebito. ff. d probat.

k l. neque leges ff. de legib.

l l. nam hoc naturæ. ff. de cond. indeb.

de magiſtratu, de iudicijs, de muneribus. Ex illis pluribus in vnum coniectis, facio regulam: mulierem nullum officium rectè gerere[m] poſſe. Adhæc, video apud Imperatorem tractari, non fuiſſe à primordio naturę manumiſſionem, quia ſeruitus eſſet incognita: elicio ex eo quod vulgò traditur: priuationem præſupponere habitum. Atque hoc genere interpretationis indigemus in his rebus, quę naturaliter inſitæ non ſunt, ſed ex diuturna obſeruatione tractationeque deprehenduntur. Eſtque regula nihil aliud, quàm plurium rerum ac ſpecierum, in vnam quaſi ſummam coniectio[n]. Tertij modi exemplum eſt huiuſmodi. Patronus fit tutor impuberis ſerui manumiſſi, inde colligo, & patrem oportere filij impuberis emancipati tutorem fieri. Datur curator furioſo, ex eo concludo: debere & ei dari curatorem, cui ſuorum bonorum adminiſtratio eſt interdicta: ratio verò eſt, quia eadem eſt natura manumiſſionis & emancipationis: parum intereſt, furioſus quis ſit, an bona ſua dilapidando, furioſum rerum ſuarum faciat exitum[o]. Atque hæc interpretatio[p] communis eſt, & in vſu frequens: verſatur enim circa duorum pluriúmue inter ſeſe collationem. Et ſi quidem ea, vel ſimilia reperiat, vel paria, vel eadem: definit eodem etiam iure teneri, propter regulam: vbi eadem eſt ratio, ibi & idem ius eſſe[q] debet. Si verò per contrarium, vel diuerſa, vel diſſimilia, vel repugnátia inueniat: definit diſſimilium, diſſimilia, cõtrariorum, cõtraria eſſe obſeruãda iura: eſtq́; frequens, & vſitatiſſimum argumentum, quod à contrario ſenſu aut ſpecie ducitur[r]. Sed adhibenda eſt diligens cautio, ne erremus: nam in ſimilibus & omnibus, quæ inter ſe componũtur, facilimus eſt vtplurimùm lapſus, & non eſt eadem ratio eorum omnium, quæ vel ſimilitudine quadam, vel diſſimilitudine componuntur. Quæ enim eadem ſunt, aut ſunt eadem re, id eſt vel genere vel ſpecie, vt legatum & fideicommiſſum: aut effectu, vt actio directa & vtilis: aut cauſa, vt pupillus, furioſus: aut ſimilitudine qua-

m *l. 2. ff. de reg. Iur.*

n *l. 1. ff. de reg. Iur.*

o *l. 1. ff. de cura. fur.*

p *l. non poſſunt. ff. de ll.*

q *l. illud ff. ad l. aquil.*


r *l qui teſtamẽto §. cũ qui ff. de teſtament.*

dam, vt commodatum, precarium: refertque multùm in omni iure, vtrùm hoc an illo modo res inter ſe conueniant: & eſt aliud per [s] cõſequentiam facere: aliud propter ſimilitudinem [t]: aliud ad exemplum. Quę diſſimilia ſunt, vel ſunt diuerſa, vel diſparia, vel oppoſita, vel repugnantia, vel alijs atq; alijs modis differentia. Debetq; diligenter circunſpicere, tum iudex, tum conſultus, vt horum omnium rationem habeat, & pro cauſarum inter ipſas diuerſitate, diuerſas quoq; iuris collationes faciat.

s §.1. Inſt. de legit. pat. tutel.

t §.1. Inſt. de legit. parent. tutel.

DE IVRIS DEFINITIONE, ET QVID QVIDQVE SIT.



IAM in ſubſtantijs rerum & proprijs cuiuſque naturis tradendis, tria ſunt potiſſimùm propoſita. Primum, vt res definiatur: deinde, vt in ſpecies ſuas & partes tribuatur: proſtremo, vt ſuo proprio certoq; nomine deſignetur. Definitio eſt oratio, quæ id quod dicitur, explicat, quid ſit. vt cùm dicimus: Libertas [a] eſt naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, niſi quod vi aut iure prohibetur. Seruitus, eſt cõſtitutio iuriſgentium, qua quis domino alieno, contra naturam ſubijcitur. Sed hîc non oportet ignorare, vniuſcuiuſque rei quædam interna eſſe, quæ ſcilicet ſubſtantiam illius, vel conſtituunt, vt differentia, proprium, totum, & partes: vel attingunt, vt actus, adiacentia, ſubiecta. quædam externa, quæ vel cognata ſunt, vt cauſę & effectus: vel applicita, vt locus, tempus: vel accidentia, vt ſimilia, paria: vel repugnantia, vt oppoſita, cõtraria. Nam in homine quòd ratione præditus eſt, quodq; ad ridẽdum aptus, & certa forma figuraq; circunſcriptus, item quòd ſermonis & orationis facultatem, & diuinarum, humanarumq; rerum cognitionem poſſidet, propriè debet ad internam eius naturam referri: quòd verò communem ſocietatem: & Rempublicam colere, quòd non in terris,

a §.2. Inſt. de Iur. perſ.

ſed in

ſed in cœlo propriam ſuam patriam ac ſedem habere, q, cum Dijs immortalibus cognatione iunctus eſſe, quòd deniq; ab immani ac ſolitaria vita naturaliter abhorrere dicitur: exteriora quædam, & quę ab eo ſeparata ſunt, reſpicit. Atque pro horum quoq; differentia factum eſt, vt varia ſint definitionum & deſcriptionum genera. Nam illa demum plena, & omnibus ſuis numeris abſoluta eſt definitio, quæ omnia illa ſimul complectitur, vel ſi id longum fortè videatur, ſaltèm veram ipſam & propriam rei ſubſtantiam exprimit. Reliquæ omnes, cùm imperfectę ſint, & minùs plenæ, deſcriptiones potiùs, quàm definitiones vulgò appellantur. Ea quæ à propria rei nota ſumitur, hoc fermè fit modo. Dolus, eſt machinatio fraudoloſa, cùm aliud agitur, aliud ſimulatur. Stipulatio, eſt verborũ conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum facturúmue ſe id, quod interrogat⁹ eſt, reſpõdet. Vſucapio, eſt adiectio dominij, per [b] continuationem poſſeſſionis, temporis lege definiti. Quæ à proprio, hoc modo: mutuum eſt, in quo res ita datur, vt de meo tuum fiat. Quę à toto & partibus, ita: Ius ſcriptum eſt, quod conſtat, Lege, Plebiſcito, Senatuſconſulto, Principum placitis, Prætorum edictis, Reſponſis prudentum. Quæ ab ijs quę circa rei ſubſtantiam ſunt, iſthac forma. Iuriſprudentia eſt, quę verſatur circa diuinas & humanas res, priuatas & publicas. Bonorum poſſeſſio, eſt ius perſequendi retinẽdiq; patrimonij, ſiue rei, quæ cuiuſque cùm is moritur, fuit. Quæ à cognatis, hoc modo: Ius naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit: Senatuſconſultum, quod Senatus conſtituit. Depoſitum, quod cuſtodiendum alicui datum eſt. Quę ab applicitis, ita: Littus eſt, quò maximus fluctus hybernus excurrit. Vſucapio, triennalis poſſeſſio. Quę ab accidentibus, ſic: Subſtitutio eſt ſecunda inſtitutio. Precarium eſt commodatum, pro arbitratu concedentis reuocabile. Quę à repugnantibus deniq;, hoc modo: Argentum factum eſt, quod neque in maſſa, neque in lamina, neque in ſignata, neque in ſuppellectili, neque in

b l. 3. ff. de Vſucap.

mundo, neque in ornamentis eſt. Mutuum eſt, cum non eadem ſpecies redditur, quemadmodum in commodato & depoſito: ſed idem genus. Iam verò illud ſciendum eſt, definitionum in iure, alias eſſe ſolennes, alias ſimplices, alias medias. Solennes ſunt, quæ tum rei naturam & ſubſtantiam explicant, tum vſum eius & effectum, tum denique ciuilem authoritatem, qua publicè probatæ, & in vrbem quaſi receptæ ſunt. Sic cùm dicitur: tutela [c] eſt vis ac poteſtas in capite libero: explicatur eius natura: cùm ſubijcitur: ad tuendum eum qui per ætatem ſe defendere nequit, declaratur vſus & vtilitas: cùm tandem additur: iure ciuili data ac permiſſa: ſignificatur approbatio ciuilis. Totidem partes ſunt in definitione obligationis, quæ eſt Iuris vinculum, quo quis neceſſitate adſtringitur, alicuius rei ſoluendæ, ſecundum noſtræ ciuitatis iura. Contingit verò nonnunquam, vt non apertè, ſed abſconditè, omnes ille partes ponantur. Simplices definitiones ſunt, quæ nudam tantum rei naturam exponunt: veluti: Ingenuus eſt, qui ſtatim vt natus eſt, liber eſt: Libertini ſunt, qui ex iuſta ſeruitute manumiſſi ſunt. Manumiſſio eſt, datio libertatis. Mediæ denique, quæ ex vtraque ſimul iunctæ ſunt ac compoſitæ, vt, teſtamentum eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia, de eo quod quis poſt mortem fieri velit. Nuptiæ ſunt, maris & fœminę coniunctio, conſortium omnis vitę, diuini & humani iuris communicatio. Actio nihil aliud eſt, quàm ius perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur. Hęc ergo de definitione. Diuiſio nihil eſt aliud, quàm vnius in plura deductio: vt cum adoptionem aliam dicimus iuſſu principis fieri, aliam permiſſu magiſtratus. Libertinorum alios eſſe dedititios, alios Latinos, alios ciues Romanos. Fit autem diuiſio tribus ferme modis. Vno, cùm genus in ſpecies tribuitur: Nam quòd tutela diuiditur, in teſtamentariam, legitimam, & datiuam: Stipulatio in Iudicialem, Prætoriam, Communem, & Conuentionalem: Teſtamentum, in ſcriptum

c *§. tutela, Inſt. de tutel.*

ptum & nuncupatiuum:non pertinet aliò quàm ad illum modum, cui diuisionis nomen peculiariter est collatum. Altero,cũ totum in partes dissecatur,quę partitio dicitur. Nam dominij partes sunt, proprietas,vsusfructus,superficies:Stipulationis,interrogatio,responsio:Legis, procemium,constitutio, sanctio. Tertio, quum id quod vnum est,distinguitur in gradus . Sic enim, capitis diminutio alia est maxima, alia media, alia minima: Sic seruorum, alij sunt primi actus, alij infimi,alij medij. Sic munerum publicorum, alia sunt cum dignitate, alia sine dignitate, alia media. Loci diuisionum planè sunt ijdem cum locis definitionum . Nam quemadmodum earum, alię ducuntur ab internis, alię ab externis locis:ita etiam diuisionum, quędam petuntur ab ijs,quę in substantia rei hęrent, aut circa eam versantur , quædam ab ijs, quę cognata sunt,& applicita. Sanè cùm nonnunquam vsu veniat,vt vna facta diuisione,alterum membrũ,in alia iterum duo insignia membra abeat : sępe fit , vt breuitatis gratia , ex duabus diuisionibus,vna fiat. Ita enim accipiendum est , quod Iureconsultus[d] Vlpianus dicit : " Conuentionum tres sunt species: aut enim ex publica causa " fiunt: aut ex priuata.Priuata,aut legitima, aut iurisgen- " tium. " Nec est quòd imperitiæ Consulti hoc adscribas, quemadmodum nonnulli faciunt : quoniam idem & apud Ciceronem, M.Varronem,Platonem,Aristotelem, ac alios idoneos authores licet inuenire . De nominibus multum quæritur apud veteres , ex arbitrió ne nostro pendeant , quod Aristoteles censuit : an verò ex cuiusque rei natura,quod Plato. Et certè Iustinianus existimauit [e] decere, vt nomina sint conuenientia rebus, quod & verum est. Nam naturaliter in condendis nominibus ad hoc propensi sumus , vt rei naturam quàm proximè, quoad eius fieri potest, exprimamus. Sic enim testamentum dicitur , quasi testatio [f] mentis: Possessio , quasi pedum [g] positio : Tutor, quasi tuitor, cum alijs similibus. Et si quæras, Cur igitur alię

d *l. conuentionũ. ff. de pact.*

e *§. penul. Inst. de testam.*

f *l. 1. ff. de acqui. poss.*

aliæ atq; aliȩ gẽtes, easdem res diuersis nominibus notẽt ac designent? respondebo, id partim ex eo fieri, quòd ab integritate pristina, ac vero germanoque iudicio sit recessum: partim ex eo, quòd in vna & eadem re, alij hoc, alij illud intueantur, secundum quod, nomen ei affingãt. Idem fundus, & vectigalis dicitur, ab eo quod pẽditur: & emphiteuticarius, à causa propter quam in perpetuum elocatur. Eadem res, & pignus dicitur, à pugno, quo traditur: & hypotheca, respectu principalis debiti, cuius loco ponitur. Planè, quemadmodũ definitiões & diuisiões ducuntur, vel ab interioribus locis, vel exterioribus: ita etiam nomina induntur, vel eorum intuitu, quæ propiora sunt cuiusque naturæ, vel eorum quæ absunt longiusculè. Obligatio inuenit nomen suũ à vinculo, in quo substantiam habet[h]. Mutuum verò, ab eo, quòd de meo tuũ fiat: quod quidẽ, non illi solum cõuenit, verum alijs etiã contractibus, ex quibus dominium transfertur. Atq; ex his quoq; perfacilè est ȩstimare, quod tamen multos multum torquet, qualia tandem, & cuius ponderis argumenta duci possint à notatione nominis. Nam si propè accedit nomen ad substantiam, planum est, multum momenti & ponderis habere: Si contrà recedit longiùs, parum. Verum de definitione, diuisione, & nomine rei, deque locis, per quos indagantur, hactenus.

h *l. obligationũ substantia. ff. de act.*

DE IVRIS DECISIONIBVS, QVALE QVID SIT



VM autem quærimus, quale quid sit, nihil aliud videtur venire in quæstionem, quàm, bonúmne sit, an malum, an neutrum id, de quo agitur: prȩter illa tria, nihil video, quod circa rerum qualitates à iureconsulto tractari possit. Sed quoniam horum ratio & supputatio initur, nunc simpliciter & per se, nunc verò comparatè: operȩptetiũ mihi facturus vide-

rus videor, si breuiter & strictim prius exposuero, quæ bona, quę mala, quæ neutra sint per se, & quomodo legisslator in ijs versari debeat: deinde quomodo inter sese, & cum alijs componantur. Bona dicimus, nonnunquam ea, quæ ipsa rebus humanis conferunt, & vtilitatem ex sese pariunt: nonnũquam verò tantum illa, que malis depellendis & auertendis noxijs, suum nobis ministerium & officium exhibent. Quæ ipsa per se prosunt, aut vtilia sunt, aut honesta, aut ex vtrisque coniuncta, pulchra. Vtilia vocamus ea, quæ ad vitæ conseruandæ degendæque rationem, & ad opes, copias, ac facultates pertinent. Nã quod pupillus sibi potest stipulari, quòd acceptum petere, quòd donatum acquirere, quòd possessiones suas augere, non diminuere: id omne, propter vtilitatem, vel ipso iureconsulto authore [a], comparatum est: cuius etiam gratia constitutum, ne ad Barbaros aurum deportetur: vt certus artificum & medicorum numerus in ciuitate habeatur: vt ab ijs, qui suis rebus superesse non possunt, procuratores dentur: vt alia denique atque alia, quorum euidẽs sit vtilitas, in Rempublicam infundantur. Horum, primò quędam sunt necessaria, quędam verò commoda. Necessaria dicuntur, sine quibus res, vel omnino salua esse non potest, vel admodum difficulter. Nam quod argentarij, numularij, trapezitę, & si quę sunt alia genera fœneratorum, tollerantur in ciuitate [b], quòd concubinatus non aufertur, quod in summa rerum indigentia, omnia in cõmune rediguntur [c]: cui tandẽ alij oportet imputare quàm necessitati? cui ne Deus quidem resistere posse, vulgo creditur. Commoda sunt, quæ rem augent, & meliorem sua præsentia faciunt. Nam quòd dotis causa semper [d] & vbique præcipua est, ideo receptum est, quia Reipublicę interest, dotes mulieribus conseruari: cùm dotatas esse fœminas, ad sobolem procreandum, replendamque liberis ciuitatem, maximè sit necessariũ. Quòd numus primum publicè percussus est, ideo est introductũ, quia cum nõ semper nec facilè concurrebat, vt cùm tu haberes, quod ego deside-

a *l. 1. in fi. ff. de act. & obl.*

b *l. quod priuilegium. ff. deposit*

c *l. 2. ff. ad l. Rhod. de iact.*

d *l. 1. ff. solut. mat.*

desiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia est, cuius publica ac perpetua æstimatio, difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis subueniret, eaque materia forma publica percussa, vsum dominiumque non tam ex substantia præbet, quàm ex quantitate, nec vltra merx vtrumque est, sed alterum pretium vocatur. Sunt etiam vtiliũ alia externa, vt nobilitas, amicitię, facultates, liberi, clientelę, honores, quarum subinde habetur ratio in tutelis, & honoribus deferẽdis, inque ineundis vectigalibus, in alienationibus iudicij mutandi causa factis, in satisdationibus[e]. Alia corporis, vt ætas, robur, forma, valetudo, quæ quidem spectantur in tutorum & curatorum excusationibus, in seruorum emptionibus & vẽditionibus, in sacerdotibus, in vacationibus munerum[f]. Alia denique animi, vt artes, scientię, doctrinæ, mores, virtutes, eloquentia, dexteritas, quę & ipsa quotidie veniunt in considerationem[g], vt cùm de testium fide[h] quęritur, de legendis magistratibus, de artificibus, & alijs consimilibus. Quod autem prętereà, quędam publicè vtilia sunt, quędam priuatim, quędã simpliciter, quędam comparatè, quędam directè, quędam per consequentiam: nihil attinet hoc loci prolixiũs disputare. Honesta sunt, quæ ad bene beateque viuendum pertinent, idq; tam populariter, & ciuiliter, q̃ diuiniore quadam & præcellentiore ratione. Quòd Senator eam vxorem habere nõ potest, quę libertinę[i] conditionis est, aut artem ludicram exercuit: quòd nuptię propalam & publicè contrahi debent: quod sponsam patris ducere dissuadetur: quòd nemo testamento suo cauere potest, vt cineres in mare spargantur: propter solam publicam & popularem quandam honestatem tuendam, est quęsitum. Quòd vigilantibus[k] & non dormientibus iura subueniunt: quòd is qui in acie mortuus est, per gloriam viuere creditur: quòd pœnę sontibus, & bene merentibus præmia proponuntur: quòd ea quę dolo malo, vel metu administrantur, certis suppliciorum & tormentorum generibus adhibitis, vindi-

e l.2. ff. qui satisd.cog.

f l.semper ff.de uacat. mun.

g l.iter artifices ff.de solut.

h l.3.ff.de testib.

i l.lege Iul. ff. de ritu nupt.

k l.pupill. in fi. ff.de his qui in frau.cred.

vindicantur,à nullo alio proficiſcitur, quàm ciuilis honeſtatis ratione. Quòd religionem & pietatẽ colere: quòd non ſolum manus & oculos, verumetiam cogitationes domitas habere iubemur: quòd extra ordinem ius reddimus ijs, qui liberales & ingenuas artes [l] exercent: quòd diuinos honores adhibemus ad eos, qui vel rerum geſtarum gloria, vel vitę morumque ſanctimonia, vel diuinarum & humanarum rerum ſcientia, cæteros antecedunt: quam quęſo aliam habet cauſam & originẽ? quàm excellentis cuiuſdam, & eximiæ naturæ rationem? Sed eſt honeſtum, aliud in ratione poſitum & intellectu: aliud in moribus. In intellectu eſt, ſcientia, prudentia, ſapientia, ſolertia, calliditas, de quibus etiam aliàs meminimus. In moribus verò, fortitudo, temperantia, iuſtitia, cum quibus cõiũcta ſunt, magnitudo animi, liberalitas, magnificẽtia, obediẽtia pudor, verecundia, cum nõnullis alijs. Et q̃ tot ac tanta ſunt priuilegia [m] militum, quòd in deſertores, emanſores, transfugas grauiſſimè animaduertitur: à præceptis proculdubio fortitudinis manauit. Quemadmodum & illud: quòd adulteria, ſtupra, luxus, pœnis legum coërcentur: quodque vitę ſobrietas & modeſtia laudatur, à temperantia: quòd fures, raptores, prædones, falſarij, vltimis ſupplicijs afficiuntur: quodque certi modi contrahendi, commutãdi & negotiandi præſcribuntur: à iuſtitia. Pulchrum eſt quod ad decus rerum ac ornamentum pertinet, proficiſcens nonnunquã ex vtili, nonnunquam ex honeſto, nonnunquam ex vtroque ſimul. Ex vtili naſcitur id, quod ornatum quidẽ ſuum habet, ſed cum eo cautiones ſuas & oportunitates. Ex honeſto, quod ſimulachra quędam & adumbrationes virtutum continet, licèt decòris magìs & ſolennitatis ſit, quàm virtutis. Ex vtroq; ſimul emergit, quod vtile pariter eſt, & honeſtum. Primi generis exempla ſunt, in condendis teſtamentis, quę vno contextu, ſeptem præciſè teſtibus adhibitis, & ad hoc rogatis, celebrantur. Nam etſi ſolennitatis & cæremonię cauſa præcipuè interueniunt; tamen poſſunt ad confir-

l l.1. ff. ſi menſ. falſ. mod. dix.

m tot. tit. ff. de re milit.

confirmationem etiam & ſecuritatẽ, aliquo modo comparata videri: & ſunt eiuſdem exempli, omnes actus publici, qui neque diem, neque conditionem recipere poſſunt: itẽ actiones ordinarię, quę ſuis formulis, & verborũ proprietatibus, includi ſolent. Poſterioris generis exempla ſunt: quòd mulier poſtulare nõ poteſt, q̀ per vicos diſcurrere, & inſanorum more deridenda loqui, turpe ducitur &[n] leue: quòd ſacerdotibus, nec venari, nec militariter veſtiri, nec ludicras artes tractare conceditur, cuius etiã generis ſunt omnia illa, quæ dicis cauſa, vel à magiſtratibus, vel à põtificibus, nonnunq̃ fieri conſueuerũt. Ad tertium genus pertinet: q̀ nuptias certis cæremonijs celebrari: quòd iudicem, pro tribunali ſententiã ferentem, ſedere, non ſtare[o]: q̀ leges certis ritibus ſanciri oporteat: quo pertinent etiã omnes illę cæremonię, quę ſub exteriorum rerũ inuolucris, myſteria quædam cõdita tenent, & abſcondita. Quæ ob id in bonis numerãtur, quòd malum arceant & depellant, vel conſeruant nos à noxijs, vel pręmuniũt, vel repellũt ea. Cõſeruare dicũtur illa, quę bene conſtitutę fundatęque rei, vtì firmior ſit & munitior, proſpiciũt. Sic enim ſtipulationes ſunt repertę, vt ea, quę aliàs legitimè firmeq́; debentur, arctiori quodã & firmiori vinculo contrahantur, ſic chirographorũ, pactorum, fideiuſſorũ obligationes ſunt introductæ: ſic furem pluribus alligamus actionibus: ſic ei, cui res aliqua legata eſt, tres dam' actiones, quo ſcilicet vltima volũtas, promptiùs & faciliùs ad exitũ perducatur[p]. Præmuniunt illa, quę impẽdentibus malis, vtì ne noceant, vel ſaltẽ minùs officiant, obijciuntur. Ad illum enim vſum ſunt repertæ ſubſtitutiones, fideicommiſſa, inuentaria, conteſtationes, cum ſimilibus. Donatio etiã cauſa mortis ideo fieri conſueuit, q̀ quis magìs ſe vult habere, quàm eum, cui donat: magiſque eum, cui donat, q̃ hæredem[q] ſuum. Repellẽdi & amouendi mali naturã habent, quę malũ, quod iam adeſt, quodq́; pręſens eſt, auferunt. Nã quòd actiones & iudicia ſunt conſtituta: q̀ nocturnum furem occidere[r]: quòd vim vire-

n l. ob quæ vitia. ff. de ædilit. edict.

o l. 2. C. de ſententi. ex breuic. recit.

p l. vlt. C. de ſacr. eccleſ.

q §. 1. Inſt. de don.

r l. ſed etſi. ff. ad l. Aquil.

vi repellere licet: quis tandem neſcit à nullo alio profectum eſſe, quàm à naturali depellendi, arcendique mali cupiditate? Hactenus de bonis. De malis verò nihil eſt opus, vt pluribus verbis & fuſiùs agamus. Nam quòd rerum alia ſunt inutilia, alia inhoneſta, alia turpia: Item quòd nonnulla vitio rationis contrahuntur, nonnulla morum. Prætereà, quòd quædam aduerſus Deum committuntur, quædam aduerſus communem hominum ſocietatem. Ad hæc, quòd alia, vel ſola perpetrantur attentatione, vt conſtuprationes [s] virginum: alia factis ipſis, vt furta, rapinæ: alia verbis, vt iniuriæ. Porrò, quòd nonnulla dicuntur attrocia, vt parricidia, crimina læſæ maieſtatis: nonnulla communia, vt homicidia, plagia, peculatus: item, quòd alia cogitata & præmeditata inferuntur, alia repentino quodam motu & calore [t]: denique, quòd ſubinde verſutia, ſubinde vi, ſubinde negligentia, ſubinde conſilio admittuntur: quòd, inquam, hæc omnia ſic ſe habent: partim ex ijs luculenter percipi poteſt, quæ de bonorum differentijs & naturis explicuimus: nam contrariarum eadem eſt, vt vulgò dici ſolet, ſcientia: partim verò ex ijs, quæ de iuſtorum & iniuſtorum diſtinctionibus, latiùs à nobis in ſuperioribus, & vberiùs ſunt expoſita. Illud fortè non eſt alienum admonere, reperiri quædam, quæ mala quidem rectè proprieque dici non poſſunt, ſed quæ damnum tamen adferant, tanquam non bona. Sic enim communitatem hominum deſerere, & ad ſolitariam vmbratilémque vitam confugere, tam eſt in vitio, quàm violentas manus adferre. Sic intempeſtiuam [v] miſericordiam exercere, tam cadit in reprehenſionem, quàm crudelitas. Sic multa ſunt & propè innumerabilia in Republica, quæ non tam ex eo quòd mala ſunt, quàm quòd non bona, peſtem adferunt. Eorum, quæ nec bona ſunt nec mala, ſed neutra, multæ ſunt & variæ qualitates. Sed illæ fluunt, vel ex rebus ipſis, vel imponuntur ab hominibus. Ex rebus ipſis effluunt, quæ ab earum natura

s *l. unic. C. de rap. uirg.*

t *l. quidquid calore. ff. de reg. Iur.*

v *l. ſi hominem. ff. depoſ.*

natura emergunt. Nam quòd digito cœlum attingere impossibile [a] est: quòd rerum fungibilium, vt vini & olei, non est vsus, salua manente [b] substantia: quòd Stichum aut Pamphilum promittere, alternatiuũ [c] est: quòd in rebus & negotijs, alia diuidua, alia indiuidua: alia continua, alia interrupta: alia plura, alia vnum quid: alia perpetua, alia temporaria: alia corporea, alia incorporea: alia conditionalia, alia pura: alia simplicia, alia mixta: alia principalia, alia accessoria: alia obscura, alia plana: alia denique alijs qualitatibus ac formis distincta: non proficiscitur aliunde, quàm ex diuersis naturæ dotibus, quibus ad vnguem legislator inseruire debet. Ab hominibus imponuntur ille qualitates, quæ vel moribus introducuntur, vel legibus. Nam quòd stipulationis ea est natura, vt certis & conceptis verbis fieri debeat: quòd testamentorum tot sunt, & tam anxiæ obseruationes: quòd vsucapio suis legibus adstringitur: quòd actiones suis formulis & proprietatibus ac figuris alligantur: solis hominum & legislatorum voluntatibus, iustis quidem illis, & à natura tractis, sed voluntatibus tamen & iudicijs, est imputandum. Et quidem, cum illa quæ bona sunt & salutaria, imperentur, contra quę mala sunt & pestifera, vetentur: hęc tamen neutra, nec in hanc, nec in illam rationem cadunt. Hoc tantũ est, quod in ijs agitur, vt quomodo secundum alias atque alias qualitates affecta sint, quasi cum authoritate exponatur. Ita genus dicimus non [d] interire: In alternatiuis sufficere [e] alterum adimpleri: debitorem speciei, interitu eius [f] liberari: Impossibilium nullam esse obligationem: In stipulationibus, in quibus dies non ponitur, pręsenti die [g] deberi. Nihil enim in huiusmodi apparet, nec vetiti nec iussi: sed sola est & nuda, cum authoritate coniuncta, expositio. In bonis verò ac malis, longè aliter se habet. Quædam enim tam arctè pręcipiuntur, vt omissa, pœnis omnibus & supplicijs vindicetur: Quędam sic imperantur, vt nulla quidem in eos, qui secùs fecerint, aperta pœna, sed tacita tamen in honestorum hominum consci-

a l. Impossibilis. ff. de uer. oblig.

b §. constituitur. Inst de usufruct

c l. i. §. si Stichũ. ff. de uerb. obligat.

d l. incendium. C. si cert. pet.

e c. in alternatiuis, de reg. iur. in 6.

f c. impossibilium de reg. iur. in 6.

g l. eum qui §. ult ff. de uerb. oblig.

conſcientijs, ſtatuatur: quædam nec iubentur quidem, ſed cohortationibus, tam publicè, quàm priuatim factis, ſuadentur [h]: quædam denique liberæ cuiuſque voluntati & iudicio relinquũtur. Atque hæc non eſt difficile æſtimare, ex bonorum & vtilium differentijs, quemadmodum contrà, quæ prohibenda ſunt, ex malorum & inutilium gradibus. Nam illorum, quædam maximis propoſitis multis & pœnis prohibentur: quædam fieri quidem vetantur, ſed tamen facta tenent, nec vindicantur [i]: quędam, vtì ne fiant, diſſuadentur [k]: quædam, etſi non optima ſint, tamen propter vitioſos hominum mores, proprio cuiuſque ſtudio [l] permittuntur. In omnibus autem, ſiue ea bona ſint, ſiue mala, ſiue neutra, id potiſſimum eſt ſpectandum, quod tum recta iuſtaque ratio demonſtrat, tum communis vſus & tractatio, quæ magiſtra eſt actionum humanarum, expoſtulat. Quoniam verò dictum eſt de qualitatibus ſimpliciter & per ſe inſpectis: videndum, quomodo inter ſe componi & comparari debeant. Et quidem, ſubinde fit, vt ipſorum inter ſe generum ſit contentio: vt cum tractatur, vtilitatémne potiùs, an honeſtatem, naturámue ſequi oporteat: ſubinde verò, vt illorum, quæ ſub vno eodemque genere continentur: veluti cum ex duobus aut pluribus vtilibus, quæritur, vtrũ vtiliùs: ex duobus honeſtis, vtrum honeſtiùs: ex duobus naturalibus: vtrum magìs ſecundum naturam. Prioris collationis exemplum eſt huiuſmodi. Si vino vendito, certus ad menſurã faciendam dies præſtitutus ſit, & per emptorem fiat, quo minùs ad diem menſura peragatur: an permittendum ſit venditori, vinum ſine fraude effundere [m]? Ab vna parte vrget damnum venditoris ex mora, & eſt regula: Non debere alteri per alterum, iniquam conditionem inferri [n]. Ab altera verſatur honeſtas, quia ſcilicet inhumanum videtur, tam euidenti emptorem damno multare. Poſterioris generis exemplum eſt huiuſmodi: vtile eſt Reipublicæ, vnumquemque rei ſuæ moderatorem eſſe ac arbitrum [o]: vtile quoque, ne quis re ſua

h *l. ult. ff. de rit. nupt.*

i *l. ult ff. de diu ort. & rep.*

k *§. mariti. Inſt. de nupt.*

l *l. quod priuilegium. ff. de poſ.*

m *l. 1. ff. de peric. & commo. rei uend.*

n *l. non debet ff. de reg. iur.*

o *l. in re C. mand.*

p §. ult. Inst. de his qui sui uel alien. iur.

malè vtatur [p]. Iam dominus parat ſine cauſa ſeruum ſuum occidere, dubitatur, vtrùm ne huic potiùs an illi regulæ, ſit acquieſcendum. Ad electionem in generibus faciendam, certum eſt, primas partes, honeſtati: ſecundas, naturæ: tertias, vtilitati: quartas, pulchro cedere. Si in eum quis fortè deductus ſit locum, vt vel religio prodenda ſit, vel capitis periculum ſubeundum, nemo eſt qui ambigit, quin religionum ſanctitas potiùs cõſeruari debeat quàm vita. Si vita pariter & pecunia ſic in dubium veniát, vt vnius amiſſione facta, altera ſalua eſſe poſſit: quis nõ videt, malle quempiam omnibus fortunis ſuis exui, quàm vita ſpoliari? Sic etiam ſi in mari, aut eorum ſit iactura facienda, quæ ad ornatum & delectationem ſunt quæſita: aut eorum, quæ ad vitam ſuſtinendam conſeruandamque ſunt neceſſaria: nullus non intelligit, illa potiùs, quàm iſta eijci oportere. Poteſt planè fieri nonnunquam, vt vel natura honeſtatem, vel vtilitas honeſtatem pariter & naturam, vel pulchrum omnia tria ſimul ad ſe rapiat. Quid enim ſi agatur de re ſummè neceſſaria, & popularis alicuius honeſti ratio amittenda: quid? nónne ſatius eſt, eo loci, vtilitati potiùs inſeruire, quàm [q] honeſtati? inſolentiùs per vicos diſcurſare, inhoneſtum: ſi hominis tuendi & conſeruandi cauſa, id facias, an erit qui id probro ducet? Omnes homines ſecundum naturam ſunt liberi [r]: improbandáne igitur ſeruitus, quę maximo totius humani generis bono eſt conſtituta? Vnuſquiſque rerum ſuarum liber eſt adminiſtrator & dominus: éſtne igitur damnãda illa lex, quæ propter publicum ornatum, néue ruinis [s] deformetur ciuitas, prohibet, vt ne quis ædificia ſua ſponte non reſtituturus diruat? nullo modo. Sequitur enim pulchrum honeſtas, & vtilitas nonnunquam, & natura, licèt alioqui regulariter, tanta ſunt pondera & momenta honeſtatis, vt omnia ex altera parte collocata, ne minimi quidem momenti inſtar habeát. Iam quantum attinet ad electionem ex ijs, quæ ſub eodem genere contenta, diſſidere inter ſe & contendere videntur:

q vide exempl. in l. bona fides. ff. deposit.

r §. 1. Inst de libert.

s vide l. 1. ff. de tign. iniunct.

dentur: vna cautio est, vt ex pluribus honestis, illud quod magìs diuturnum est, ac sua sponte constans, reliquis anteponatur. Nam cùm omnis boni & honesti caput Deus sit, consentaneum est, vt in deliberãdo vincat illud, quod ei maximè sit cognatum & affine, quodq́ue proximè ad naturam accedit diuinam [t]. Post deinde verò sequûtur res humanæ, primò quidem publicæ: secundò, priuatæ, ex quibus summum sibi locum vendicant parentes, quibus postea succedunt amici, ciues, socij, & sic deinceps. Si vtilium inter se conflictus est, illud maximè sumendum & probandum est, quod causam habet maximè [v] necessariam. Nam fons omnium eorum, quæ requirimus, quibusq́ue vtimur in vita, est necessitas naturæ, ad cuius expletionem pergunt & diriguntur omnia. Cùm de rebus naturalibus est disceptatio, quanto quid ad substantiam eius quo de agitur, accedit propiùs, tanto magìs secundum naturã esse dicitur. Non enim tam ex ijs, quæ foris apparent, metienda res est, quàm ex ijs, quæ in abditissimis & intimis cuiusq; recessibus sunt collocata. Sed in hoc argumento diligenter est circunspiciendum, vt ea, quę facti sunt natura, distinguantur ab ijs, quæ sunt iuris: nam ea res tantas habet oportunitates, vt nihil credam toto iure ciuili exstare, quod maiorem vsum & vtilitatem de se præbeat. Eorum, quæ voluptatis & ornatus gratia parantur, non ea maximè probanda sunt, quę sensus feriunt, & eos iucunditate aliqua perfundunt: sed quę animum pręcipuè pascunt, & ipsam mentem voluptate simul & vtilitate deliniunt. Atque ex his regulis pendent, quæ vulgò in iure dicuntur: Semper in obscuris, quod minimum est, sequendum esse: Quoties dubia est interpretatio libertatis, secundum libertatem esse respondendum: Semper in dubijs benigniora præferenda: In ambiguis pro dotibus respondere melius esse: In omnibus quidem, maximè tamen in iure, esse spectandam æquitatem: Fauorabiliores esse reos, quàm actores: Proniores nos esse ad absoluendum, quàm ad condemnandum:

t l. sunt personæ in fi. ff. de relig. & sumpt. fu.

v vide exẽpl. l. 2. ff. ad l. Rhod. de iact. l. si quis ff. de lib. ag.

dum: In obscuris inspici solere, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet.

DE CIRCVNSTANTIIS.



EMONSTRATIS ijs, quae ad fictiones, coniecturas, definitiones, & decisiones iuris pertinent: reliquum est, vt de circunstantijs nonnihil secundū propositum ordinem differamus. Est autem earum tanta vis ac potestas, vt subindè totam rei qualitatem immutent, subindè, intendant vel remittant. Immutant autem, cum de bono malum faciunt, vel contrà, de malo bonum. Vt hominem occidere, simpliciter nefas est [a]: tyrannum, latronem, hostem necare, fas [b]. Liberalitatem exercere pulchrum: Dare verò cùm non oportet, vbi non oportet, cui non oportet, turpe [c]. Intendunt verò vel remittunt, cùm id q̄ bonum malúmue est, vel maius vel minus faciunt. Depositum abnegare, malum: peius verò, si ex incendij, ruinæ, naufragij causa, depositum abnegetur [d]. Legata relinquere pium: magìs piū, si sacrosanctis ecclesijs, & religiosis locis relinquātur. Sunt [e] autem circūstantiæ, numero septem, Causa, Persona, Locus, Tempus, Qualitas, Quantitas, Euentus. Causa, vt in verberibus, quæ impunita sunt, à magistro illata vel parente, quoniam emendationis, non iniuriæ gratia videntur adhiberi: puniuntur, cúm quis per iram ab extraneo pulsatus est. Sed sunt quædam causæ, quę impellendi tantùm habent naturam, vt ira, odium, volūtas castigandi: quędam, quę instrumēti loco sunt, vt gladius, fustis, telum, lapis: quædam, ad quas tanquam ad finem respicitur, vt lucrum, libido, affectus. Et in his est regula: Malo fine proposito, reliqua omnia, cęteraque etiam laudata, infici. Bono fine proposito, non confestim omnia fieri bona, quę ad illum finem tendunt: nam non est faciendū malū vt eueniat bonū. Persona spectatur & eius qui

a l. 1. ff. de sicar.
b l. minime ff. de relig. & sumpt. fun.
c l. 1. ff. de cur. fur.
d l. 1. §. merito. ff. depos.
e l. aut facta. ff. de pœn.

qui fecit,& eius qui passus est. Aliter enim puniuntur ex ijsdem facinoribus, serui, quàm liberi: & aliter qui aliquid in dominum parentemúe ausus est,quàm qui in extraneum: in magistratum, quàm in priuatum. In huius rei consideratione, ętatis quoque & sexus ratio habetur. Locus facit, vt idem,vel furtum,vel sacrilegium sit: & capite luendum, vel minore supplicio: Nam alius priuatus est, alius publicus, alius sacer, alius prophanus, alius huic, alius illi rei destinatus. Tempus discernit emansorem, à fugitiuo: & effractorem vel furem diurnum, à nocturno. Nam secundum quantitatem,aliud est longum,aliud breue, aliud semel factum, aliud ſępius repetitum. Secundum qualitatem, aliud nocturnum, aliud diurnum, aliud festum, aliud profestum. Qualitas est,cùm factum vel atrocius vel leuius est:vt furta manifesta, à non manifestis discerni solent: rixę,à grassaturis: expilationes,à furtis:à violentia,petulantia.Quãtitas discernit furem, ab abigeis: nam qui vnum suẽ surripuerit, vt fur coërcebitur:qui gregem, vt abigeus. Prætereà de minimis[f] sæpe etiam profitetur se non curare Prætor, cum alioqui maioribus diligentem curam adhibeat: idq; siue in contractibus, siue in delictis,siue in iudicijs loquamur. Euentus spectatur,vt à clementissimo quoque facta: quanquam non minus lex, eum qui occidendi hominis causa cum telo fuerit, quàm eum qui occiderit, puniat. Si filius patrem in ius vocauerit, vel iniquum quis ius aduersus alium impetrauerit, non aliter multatur pœna quinquaginta solidorum, quàm si res euentum habeat[g].Contingit autem subindè, vt eadem scelera in quibusdam prouincijs grauiùs plectantur: vt in Africa, messium incensores: in Misia, vitium: in Ægypto, aggerum perfossores: Vbi metalla sunt, adulteratores monetæ. Nonnunquam euenit, vt aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimirum multis personis grassantibus, exemplo opus est. Restant asystata siue perplexa,cum quibus coniucta sunt, quæ dicuntur

f *l. scio. ff. de in integ. restitut.*

g *l. 1. ff. quod quisque Iur.*

i ndiffe-

indifferentia, quæque reconditiorem iuris rationem habent & abditam.

DE ASYSTATIS INDIFFERENTIBVS, ET IIS QVÆ ABDITAM HABENT IVRIS RATIONEM.



SYSTATA siue insolubilia sunt, in quibus quicquid cōstituitur verũ esse, statim reperitur falsum[a]. Et sunt eorũ imprimis, alia deficiētia, alia ęquiualētia, alia mutila, alia apora siue ambigua. Deficientia sunt, in quibus aliquid deest, veluti si quis scribat in testamēto, Titius filius, omittēs verba, hęres esto[b]. Æquiualentia, in quibus ęqua [c] causa duorum est, vt fit in pari turpitudine, & in duobus agentibus, Vti possidetis. Mutila, in quibus ab altera tantum parte causa constat aut cognoscitur, veluti cum abest vel latitat aduersarius[d]. Apora, in quibus nullus inuenitur exitus, veluti si tibi dem fundum Tusculanum, nisi eum Caio dedero, & Caio rursum, nisi eum tibi dedero [e]. Sunt pręterea Asystatorum species hę, Antistrephusa, Achromos, Adynatos, Aprepes, Anæschyntos, Apythanos, Alogos, In circulum rediens, Præpostera. Antistrephusa est, cum actionem suam conuertunt litigantes, & neuter vtitur sua sententia, sed aduersarij sui: vt cum socius de socij dolo conqueritur, & contrà [f]. Achromos, quando color facti non inuenitur, vt si quis pannum credat filiofamilias incertis nominibus, vt indè pecuniam conficiat: non enim minùs officit ei Macedonianum, quàm si pecuniam dedisset, propter [g] colorem quæsitum. Adynatos, cum id proponitur, quod sit contra rerum naturę fidem, à qua quidem specie non longè abest. Apythanos, cum id tractatur, quod minus sit verisimile. Aprepes, vt cum suam quis allegat turpitudinem[h] Anæschyntos, vt cum res aliqua legibus est improbata, cuiusmodi

a l. qui quadringenta. ff. ad l. falcid.

b l. 1. ff. de hæred. inst.

c l. cum enim. ff. de stip. ser.

d l. si duo. §. idem Iul. ff. de iureiur.

e l. si Titius. ff. de uerb. obl.

f l. si duo. ff. de dol. mal.

g l. sed Iul. §. mutui. ff. ad Vel.

h l. mercalem. C. de condict. ob. turp. cau.

modi est alcæ lusus [i], & res meretricia, in iudicium deducitur. Alogos, vt cùm eo iure, quod quis in alium statuit, vel impetrauit, vti non vult [k]. In circulum rediens, veluti cum quęritur inter fiscum, mulierem, & primum creditorem, quis in pignore pręferri debeat. Præpostera, vt si quis ita dicat: Si nauis [l] ex Asia venerit, hodie dare spondes? Ad hæc & similia asystata dissoluenda, prima via est, vt pro nullis habeátur, quasi nihil penitus sit actũ, veluti cum hippocẽtaurum quis dari sibi stipulatus est [m]: Altera, vt in suo statu & loco relinquantur: veluti cum iudex cedit tribunali: cum pronunciat, non liquere: cum post centum annos, sic enim ab Areopagitis semel factum legimus, litigatores reuerti iubet. Tertia, vt reiectis inutilibus, vtilia reseruentur. Sic enim obseruatur, in conditionibus impossibilibus, iniectis legatis aut institutionibus hæredum, cum pro non scriptis habentur [n]. Alia, vt ex motu & affectione iudicis negotiũ definiatur: nam quod factum est, cùm in obscuro sit, ex affectione cuiusque, capit interpretationem [o]. Alia, vt media via eligatur. Nam & Iustinianus ipse, in manumissionibus à minoribus faciendis, decimumseptimum annũ, tanq̃ mediũ, inter decimũquartũ ac vicesimũ, elegit [p]. Alia, vt vel dissimulatiõe, vel alio quouis [q] modo finis & exitus reperiatur, quod quidẽ nõ tam potest locutione exprimi, q̃ intellectu pro re nata perspici. Alia denique, vt sorte res dirimatur [r]: nam & eius exstant, non pauca, in toto passim iure Ciuili exempla. Sed hucusque de asystatis & perplexis. Iam autem sunt alia quædam, quæ non intricata quidem sunt & insolubilia: sed indifferẽtia, vtpote, quæ natura sui, nec in hanc nec in illam iuris partem sunt propensa, sed media: ita vt nihil omnino intersit, hoc ne an illo modo constituantur. Quid enim, si naturam consulas, refert? vtrùm septem, an quinque, an decem testes in testamentis adhibeas? Vtrùm duos, an tres annos in vsucapionibus pręscribas? Vtrùm in quęstione de non numerata pecunia, quinq; potiùs annos, quàm quatuor, eligas? Certè in his casibus

i *l. 1. ff. de alea lus.*
k *ff. quod quisque iur.*
l *§. item si quis. Inst. de inutilib stip.*
m *§. 1. Inst. de inutilib stip.*
n *§. impoßibilis. Inst. de hæred. inst.*
o *l. capienda. ff. de reg. iur.*
p *§. vlt. Inst. quib ex caus. ma non lic. l. nesennius in fi. ff. de neg. gest.*
q *l. exigendi. C. de procurat.*
r *l vlt. in princip C. communia de leg. & fideicom miß.*

casibus omnibus nihil aliud opus est spectare, quàm nudam & meram principis siue legumlatoris voluntatem & affectionem [r]. Is enim in his rebus solus dominatur, vt inquit Aristoteles, & imperat. Quanquam eam ipsam potestatem, non infrequenter ijs concedere solet, qui rebus iudicandis [s] præsident: cum in ijs quæ explicari possunt, religionem suam: quæ non possunt, affectionem, iubet interponere. Quod quidem etiam atque etiam nota. Nam non omnia legibus comprehendi & includi possunt: sed in quibusdam, mores serere oportet: in quibusdam ad boni alicuius viri, id est, iudicis arbitrium, rem reijcere. Præter asystata & indifferentia, sunt nonnulla alia, quę occulta potiùs & abscondita, quàm vel intricata vel neutra dici possunt. Nam quòd solennitatum in testamentis & emancipationibus, nullam admodum causam & rationem tenemus: quid? an hoc ad id quod ἀσύστατον vel ἀδιάφορον appellatur, referemus magis? an ad id, quod abstrusum & incognitum dicitur? Planè non est dubium, quin nonnulla sint in iure, tum pontificali tum ciuili, quę obscuras quasdam intelligentias habeant, & ex ipsis vel naturæ, vel morum, vel antiquitatis latebris, erui debeant. Sed sunt, ea duûm omnino generum. Quædam sunt, quę nullo penitus humano ingenio, vel omnino indagari, vel etiam si indagata sint, explicari, & in vulgus prodi, possunt. Atque in his nihil restat aliud, quàm vt Dei oraculum consulatur, & ad eum solum, tanquàm ad verum & perfectum legumlatorem, recurratur. Et sic in omni memoria, tum à Iudęis & Christianis, tum à Græcis, Romanis, & Barbaris, sępe factum legimus. Quædam sunt, quę ab hominibus cognosci quidem & perspici possunt, sed non alijs, quàm diuinis, vel secretioribus quibusdam, & à communi sensu remotioribus doctrinis, eruditis. Horum ratio tractatioq; tribus constat in vniuersum rebus. Vna est, vt abditę rerum naturæ cognoscantur. Altera, vt quid mores tacitè stabilire possit, & conseruare, intelligatur.

Tertia,

r l. 1. ex quibus.

s l. 3. ff. de testib. l. continue. §. 2. ff. de verb. oblig.

Tertia, vt cuiusque gentis mysteria quædam & secreta, quæ vel fuerunt, vel sunt, vel futura sunt, perspiciantur. His enim tribus probè cognitis & comprehensis, nihil est facilius, quàm aut de abditis legum causis iudicare, aut ea primùm lege lata introducere, quæ nõ aperta quadam & manifesta, quemadmodum nuptiæ, testamenta, contractus, sed latenti & obscura ratione, quemadmodum sacrificia, consecrationes, & diuinationum iura, constant. Est enim sic à summo rerum omnium opifice Deo procuratum, vt rerum omnium duplex sit affectio: vna, naturalis & ex his quatuor primis corporibus desumpta, proficiens ad res & vsus naturales: altera, diuina & à sempiternis illis ignibus profecta, cuius vis ad ea tantùm, quæ diuina sunt, porrigitur: idque ita, siue de rebus loquamur, siue de moribus, siue de externis mysterijs antiquitatis & secretis. Cur adhibemus ad sacrificia (loquor autem de sacrificijs veteris legis) tum vina, tum aquæ oleiue adspersiones, tum suffitus & odores? an, quia vinum non modò corpus, vt est apud Platonem, calfacit, quod est naturale: verùm etiam animum inflammat, & ad diuinarum rerum contemplationem erigit & accendit, quod diuinum? Cur interueniunt in sacrificijs hymni, status, motus, flexus? an, quia mira quædam & latens vis inest, ad componendum ac regendum animum & mores, in Musicorum cantibus? quibus mutatis, putat Plato, mutari ciuitatum status? Cur denique nauem, anserem, cicadam, circunferimus in pompis & sacrificijs? an, quia conseruanda est memoria antiquitatis alicuius & rei gestę? quemadmodum apud Romanos & Athenienses fieri solet, & Iudæos, apud quos plurima constat adumbrata fuisse, non modò pręteritarum rerum & pręsentium, verum etiam futuri Christi, quem à multis seculis promissum expectabant? Ergo ex his tribus, naturis rerum scilicet, moribus hominum, & secretioribus gentis bene cognitis & perspectis, pendet omnium secretiorũ rerum tam humanarũ vt emancipa

tionũ, adoptionum, & similiũ, quàm diuinarum vt sacrificiorum consecrationumq́; definitio, nõ aliter atq; communium, ex naturalibus, diuinis, & externis, de quibus suprà diximus, principijs. Planè quædam sunt, vt author est Plato, in Republica, quæ non tam aperto vel Dei vel hominũ iudicio constituuntur, q̃ vel fortuitu, vel tacito quodá astrorũ & naturæ cursu. Nam q, ista gens ad illa, ista contrà ad illa, propensa est naturaliter & procliuis, quod tam est manifestum, vt exemplorum lumine non egeat: cui tandem oportet alij imputare, quàm naturæ loci & astris? ex quibus in genere rectè possumus dicere, magnam ingeniorum & morum partem dependere? Et si illi naturales motus animorum, per longam deinde cõsuetudinem confirmentur, & in leges abeant: non est dubium, quin illæ leges, nõ tam hominum placitis & scitis, quàm ex latentibus naturæ ductibus, & syderum traiectionibus, introductæ dici debeant. Sed de asystatis, indifferentibus, & ijs quæ obscurá causam habent, iá satis.

DE DIRECTIONE LEGVM AD VLTIMVM FINEM.



VNVM adhuc restare videtur, quod in gubernanda regendaque legibus ciuitate, non modò nõ exiguum, sed reuerà summum & maximum dignitatis locũ obtinet, cuiusque tanta vis est & authoritas, vt eius solius intuitu & respectu leges omnes, formam suam & modum accipiant, vtq; perpetua quadam & constanti ratione, iusticia, per res diuinas & humanas transfundatur. Hoc autem in nullo alio consistit, quàm in finis vltimi, & rerum agendarum in Republica, termini, cognitione. Finis enim, cùm primùm omnium sit in mente ac ratione legumlatoris, tantam vim habet & potestatem, vt omnia passim ad se rapiat, & cuncta, quæ in ciuitate sanciuntur, ad se referri, & sibi parére compellat. Quæ hactenus sunt exposita de ratione,

qua

qua fingere debeat legumlator, qua, de quæstione an sit, quid sit, quale sit, respondere, qua in circunstantijs & asystatis bene recteque versari: magna quidem sunt, & haud scio an maxima: sed sunt tamen huiusmodi, vt per se considerari non possint, sed ad suum finem, tanquam ad scopum, respicere ac collineare debeant. Finis verò, vt iam cœpi dicere, eius est naturæ, vt nullo alio respiciens, in se tantùm acquiescat, & in omnibus porrò alijs, quæ tota exstant Republica, dominatum & imperium teneat: ita vt in eum solum omnia, tanquam ex diuersis itineribus cōuenire, & musica quadam ratione conspirare oporteat. Planè si quid reperitur in legibus, quod cum vltimo fine non sit aptum & congruēs, id tanquam alienum & spurium, siue potiùs suppositititium, repudiari & penitus exstirpari debet. Tantundem obtinet etiam si ad propositum finem pergat quidem, sed non iusto legitimoque modo ac ratione. Quid enim si per scelus & flagitium, stabilire velis populum & Rempublicam? Quid si per nefas rem quærere, quam in munitionem tuæ ciuitatis, & amplificationem colloces? Oportet igitur in omnibus, tum ad expetendarum rerum finem contendere, tum iusto legitimoque modo ac ratione. Nam si quis est fortè legum vel lator, vel interpres, qui nullum omnino sibi scopum præfixerit, ad quem cogitationum suarum cursum dirigat, non magis sibi in condendis scribendisque legibus constare, ac Reipublicæ prodesse potest, quàm in rectione gubernationeque nauis, ille, qui in medio semper mari iactatus, nullum sibi vnquam finem & portum, ad quem cōtendat, & in quem se recipiat, proponit. Si quis verò est, qui finem quidem & terminum apud animum suum meditatum habeat, sed nullis artibus & disciplinis sit paratus, quibus ea, quæ ad eam rem necessaria sunt, conficiat & fingat, quibusque in obscuris artificiose conijcere, in rebus ipsis, quænam sint & quales, diiudicare, & earum obscuras intelligentias enudare sciat: non magis aptè leges & iussa populorū condere potest, quàm si nauis

clauum regat ille, qui nomen quidem portus teneat, sed nec vsum dirigendæ obliquandæq; nauis habeat, nec vllam viam & rationem cognoscat, qua ad illum portum possit perueniri. Sed est diligenter etiam atque etiam adlaborandum, vt verus rerum finis & terminus inueniatur. Nam in hac quidem re, quantum versetur periculi, vel maximæ passim ciuitates & florentissimæ, demonstrant, quæ ob hoc solum corruerunt, quòd aliud in condẽdis legibus signum, quàm oporteat, sibi habuerint pręstitutum. Quantis olim viribus Lacedæmoniorum constiterit Respublica, nemo est qui ignorat: cæterum, quòd nunc à multis retrò seculis deleta, & penitus exstincta sit, non accidit ex alia prorsus causa, quàm quòd in belli magìs & armorum gloria, quàm in vera perfectaque virtute, salutis suæ summam collocarit: quodque bellicas potiùs artes & disciplinas, quàm tranquillitatis & quietis, colere maluerit. Quid dicam de Corinthiorum, Carthaginensium, & Romanorum Rebuspublicis? quæ ad summum vsque gradum adauctæ, suis tandem viribus, propter summi boni ignorationem, ceciderunt? Summa igitur ope adnitendum est, vt non solùm finis aliquis generalis proponatur, & quemadmodum eò perueniri possit, demonstretur: verùm etiam, vt ipse verus omnium finis, ad quem cuncta toto orbe confluunt, reperiatur: & repertus, primo statim legum vestibulo & ingressu proponatur. Atque hoc quidem est, quod nostri legumlatores, vel à Iustitia, in libris suis principium faciunt [a], quæ quidem nihil est aliud, quàm modus quidam & mensura rerum omnium, vel ab ipso totius vniuersi fabricatore Deo [b], qui & conditor est, & custos iuris vniuersi ac legum, quique summum nobis & extremum in rebus bonum exhibet, & in quo solo, tanquam vero & perfecto bono, acquiescere possimus. Nam quòd nonnulla sunt bona, quæ humana dicuntur, cuiusmodi sunt, sanitas, forma, vires, diuitiæ: nonnulla quæ diuina, cuiusmodi Prudentia, Temperantia, Iustitia particularis,

a uid ff. & Inst. de iust. & Iur. l. quod si Ephesi. ff. de eo quod cert. lo. l. bona fides. ff. depos.

b uid. Col. & extr. de summa trinit. & fid. cathol.

cularis, Fortitudo: nihil est si per se solum adspiciatur. Nam sic ad humana assequenda debet adniti legumlator, vt indè transitum faciat ad diuina. Sic iterum ad diuina, vt ex ijs, ad ipsum Deum, & perfectam iustitiam, ac mentem, ipsumque bonum, quasi per gradus adscendat: & ab ijs quæ corporis sunt incipiens, & indè ad animum perueniens, in eo tandem, quod ipsius mentis est, desinat, & consistat. Atque hoc est, quod tradit Plato, in primo de legibus, his ferè verbis. ὦ ξένε ἐχρῆν εἰπεῖν, οἱ κρητῶν νόμοι οὐκ εἰσὶ μάτην διαφερόντως ἐν πᾶσιν εὐδόκιμοι τοῖς ἕλλησιν. ἔχουσι γὰρ ὀρθῶς τοὺς αὐτοῖς χρωμένους εὐδαίμονας ἀποτελοῦντες. ἅπαντα γὰρ τὰ ἀγαθὰ πορίζουσι. διπλᾶ ἀγαθά ἐστι, τὰ μὲν ἀνθρώπινα, τὰ δὲ θεῖα. ἤρτηται δ' ἐκ τῶν θείων θάτερα. καὶ ἐὰν μὲν δέχηταί τις τὰ μείζονα πόλις, κτᾶται καὶ τὰ ἐλάττονα. εἰ δὲ μή, στέρεται ἀμφοῖν. ἔστι δὲ τὰ μὲν ἐλάττονα, ὧν ἡγεῖται μὲν ὑγίεια. κάλλος δὲ, δεύτερον. τὸ δὲ τρίτον, ἰσχὺς. εἴς τε δρόμον καὶ εἰς τὰς ἄλλας πάσας κινήσεις τῷ σώματι. τέταρτον δὲ δὴ πλοῦτος, οὐ τυφλός, ἀλλ' ὀξὺ βλέπων, ἄν περ ἅμ' ἕπηται φρονήσει. ὃ δὴ πρῶτον αὖ τῶν θείων ἡγεμονοῦν ἐστιν ἀγαθόν, ἡ φρόνησις. δεύτερον δὲ μετὰ νοῦ, σώφρων ψυχῆς ἕξις. ἐκ δὲ τούτων μετ' ἀνδρείας κραθέντων τρίτον ἂν εἴη δικαιοσύνη, τέταρτον δὲ ἀνδρεία. ταῦτα δὲ πάντα ἐκείνων ἔμπροσθεν τέτακται φύσει. καὶ δὴ καὶ τῷ νομοθέτῃ τακτέον οὕτω. Sed iam illud non oportet ignorare, duplicem esse summi primique boni inspectionem. Vnam quidem, simplicem, puram, synceram, & ab omni aliarum rerum admistione seiunctam: qualis adspectus solis & syderum, claro serenoque cœlo esse solet. Alteram verò, nec puram, nec apertam, sed qui-

busdam quasi fumis & nubeculis adspersam. Fitque sępenumerò, vt quę vnius intuitu constituuntur, cum ijs, quæ alterius respectu fiunt, pugnare ac dissidere videantur, licèt reapsè tamen nullo modo discrepent, quemadmodum ex Mosaicis & Euangelicis legibus licet intelligere. Et sanè quòd tanta videtur Iuris Pontificalis & Ciuilis hodie differentia, ex nullo penitus alio proficiscitur, quàm ex diuersa summi boni consideratione. Nam quòd aliter circa Vsuras [c], Iusiurandum [d], Concubinatum, Tempus luctus, Diuortiũ, Matrimonium, Testes in testamento [e], legibus pontificijs statuitur, aliter ciuilibus: propter solam sacrarum literarũ authoritatem est receptum: quòd de nudis [f] pactis, stipulationibus alteri factis, seruorum [g] coniugijs, liberis spurijs exibendis cum similibus, aliud Iure Canonico statuitur, aliud Romano: ex eo solo accidit, quòd naturã simpliciter intuẽtur Pontificales: corruptam & deprauatam, ciuiles Principes & Legumlatores. Atq; ex his duobus diligenter consideratis & perpensis, nihil est facilius, quàm omnes omnium differentiarum causas, inter ius pontificium ac ciuile, colligere. Sed iam mihi satìs videor dixisse, quantùm quidem instituta breuitas patitur, primùm, quo pacto in ijs quæ referuntur ad finem, versari debeat legum conditor, cuiusmodi sunt, fictiones, coniecturæ, definitiones, decisiones, circunstantiæ, asystata: deindè, quomodo ad ipsum finem: & id quod in rebus est extremum, debeat respicere, cuiusmodi sunt ea, quæ modo sunt exposita. Nam his duobus bene perceptis & cognitis, nihil puto desiderari, quò minùs quis, de iustitia per res diffusa, si modò vsus accedat & exercitatio, rectè ac aptè possit diiudicare.

c c.1 & toto tit. extr. de usur.

d c. etsi Christus. extr. de iureiu.

e c. cũ esses ext. de test.

f c.1. & 3. extra de pact.

g extra de coniug. ser.

IOACHIMI

IOACHIMI HOPPERI PHRISII IVRECONSVLTI,

DE IVRIS ARTE,

Liber tertius.



VPEREST, vt ad eam partem instituti operis accedamus, quæ legum & principiorum authoritatem, quodam quasi sepimento, vallat & circundat. Nam si verum dicere volumus, nihil est omnino, quod præstare nobis possit in Republica vel iuris & iusticię cognitio, de qua primò, vel ipsarum etiam legum & constitutionum præscriptio, de qua secundò diximus, si non & præmiorum quædam exhortationes, ac iudiciorum terriculamenta præponantur, quibus tum allici & inuitari homines ad rectè facta, tum à malo deterreri, & in officio retineri possint [a]. Enimuerò rectè placuit maioribus nostris, eas legum partes, quibus pœnæ constituuntur aduersus eos, qui contra leges delinquunt, vocari sanctiones: videlicet: quia nō solùm sanctione aliqua sunt subnixæ vel munitę: verùm etiam, quia debent præ alijs duabus partibus, ipsius quoque nominis & tituli prærogatiua, gaudere. Planè sic est in rebus à natura comparatum, vt quædam sint quæ non tam certis & descriptis legibus, quàm procemijs legum, hoc est, prima iuuentutis institutione, concionibus ad populum, & scriptis Philosophorum, debeant comprehendi: cuiusmodi sunt, quæ de Deo, de virtutibus, de charitate patriæ, de magnificentia, de liberalitate, deque alijs similibus, quotidie in vulgus edūtur. Quædā vero sunt eiusmodi, quæ nisi

a l. 1. ff. de Iust. & Iu.

moribus aut legibus definiantur, incertum & ambiguum relinquunt populum: cuius generis sunt Dominiorum, Contractuum, Testamētorum, Tutelarum, & aliarum rerum iura, quę non in natura quidem, sed in casu & necessitate sunt collocata. Quædam deniq; illius naturæ, quæ nō tam procemijs aut legibus debeant, vt inquit Cicero, vetari, quàm iudicijs: qualia sunt furta, rapinæ, adulteria, homicidia, plagia, & alia infinita, quæ sua sponte, ac ipso iure naturali sunt prohibita: ita, vt in ijs nihil aliud restet legislatori cogitandum, quàm quibus pœnis ac suppli cijs affici ac emendari debeant. Exoriunturq; hinc illę quæstiones, quę dicuntur iudiciales [b], cùm aliæ, vel boni & æqui, vel iuris quæstiones nominentur. De hac igitur vltima legumlationis parte, quæ tanquam vinculum est duarum suprascriptarum, nunc est exponendum: idque nimirum vt intelligatur, quomodo id quòd æquum bonum est, & legibus iussum ac vetitum, ad exitum suum & effectum perduci possit. Huius duplex est in totum ratio: Vna, vt actiones quædam & formulæ prodantur aduersum eos, qui vel fidem pactorum deserunt: vel vltimis morientium iudicijs non satisfaciunt: vel possessiones aliorum interuertunt: vel furtis, raptionibus, homicidijs & alijs denique modis grassantur in Republica. Altera, vt via quædam & ordo ex ipsa natura conficiatur, secundum quem in iure consisti, & in omnibus actionibus ac iudicijs procedi ac litigari possit. Atque his duobus bene firmeque constitutis, nihil est facilius, quàm dignitatem legum & authoritatem conseruare. Nam quòd in fine legum sic ferme subijcitur. Et ex hoc contractu competit actio, quæ certi condictio vocatur: Si quis huic meę constitutioni fraudē fecerit, sciat me hoc aduersum se seueriùs exsecuturū. Itē qđ de adulteris, iniurijs, criminibus læsę maiestatis, & alijs edicitur: priorem partem, quæ in actionibus dandis & pœnis describendis versatur, significat. Quod verò toto sparsim iure Ciuili tractatur, De iurisdictione, De in ius vocando, De litis conte-

b *l. Lucius. ff. mandat.*

contestatione, De probationibus, De re iudicata, De appellationibus: secundam partem, quæ litigandi vias tradit, amplectitur. Prius autem est, vt dicendum sit de varijs & diuersis actionibus: pòst deinde verò de cursu & ordine Iudiciorum. Et actiones quidem, quantum [c] complector animo, vel sunt ciuiles, vel criminales, vel communes. Ciuiles sunt, in quibus pecuniariter in rem vel personam agitur: quęque per iurisdictionem potissimùm expediuntur. Criminales, quibus aut existimationis, aut corporis & capitis aliqua pœna postulatur, quæque per merum imperium explicantur. Communes deniq;, quibus aut de personarum statu & tuitione, aut de tranquilla pacificaque possessione quæritur, & per mixtum imperium tractantur. Et sanè quemadmodum in ciuilibus hoc agitur, vt dominiorum, rerum creditarum, dotium, tutelarum, testamentorũ, & obligationum iura, sarcta tecta conseruentur. Itẽ in criminalibus, vt boni defendantur, & in facinorosos homines animaduertatur: ita in mixtis hoc spectatur, vt possessiones ratę firmęque maneant, & personis tum tuitoribus datis, tum adoptionibus & emancipationibus, manumissionibusque permissis, prospiciatur. Quæ res, cùm nec ad hanc, nec ad illam speciem referri possit, rectè dicta est à veteribus mixti imperij: quippe quòd nec sola pronuntiatione sententiæ finiatur, quemadmodum lis & causa ciuilis, licèt in ea subindè fiat executio, quæ vsui quodammodo sumitur ab imperio: nec in sola coërcitione consistat, quemadmodum criminale iudicium, quod tamen à Ciuili nõnunquã mutuatur iurisdictionem: sed media quadam ratione contineatur, cuiusmodi est manumissio, emancipatio, missio in possessionem, cum similibus: quæ non tã legum scriptarum siue mutarum, quàm loquentium, vt loquitur Cicero, id est, magistratuum authoritate expediuntur. Atque id adeò est, quod Plautus, aut ad populum negotium esse dicit, in capitalibus, quæ sunt meri imperij: aut in iure, in prætorijs, ad decreta interponenda, quę mixti:

[c] *l. cognitionum ff. de uar. & extraord. cog.*

mixti: aut ad iudicem in ciuilibus, quę iurisdictionis. Nam merum imperium nihil est aliud, quàm habere gladij potestatem, ad animaduertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur [d]. Mixtum [e], potestas quædam, ex mero imperio & iurisdictione, temperata, qualis quæ in danda bonorum possessione consistit. Iurisdictio [f] denique, iudicandi & iudicis dandi licentia, cui & modica coërcitio, sine qua explicari non potest, est coniuncta. Scio sanè, quanta varietate doctorum & dissensione, ista semper fuerint disputata: sed hisce nostris pauculis bene intellectis, & ad rectę rationis & antiquitatis normam reuocatis: nihil puto reliquum futurum, quod quemquam merito torquere & ancipitem ambiguumque retinere debeat. Sed videamus, quomodo singula de tribus istis sese habeant, & quo tandem pacto iterum in suas species distinguantur.

d *d. l. imperium. ff. de iurisd. omn. Iud.*

e *l. imperium. cũ seq. d. tit.*

f *l. 1. & 2. d. l. imperium. d. tit. l. ult. ff. de off. eius cui manc. est. Iur.*

DE CIVILIBVS ACTIONIBVS, QVÆ PER IVRISDICTIONEM EXPEDIVNTVR, QVOMODO DIVIDANTVR SECVNDVM GRADVS.



CIVILIA iudicia tum gradu differunt inter se ac ordine, tum secundum specierum ac naturarum diuersitates, tum verò secundum res subiectas, de quibus singulis exponendum est. Quantum ad gradus attinet, qui tres sunt, Primus est earum rerum, quas naturali tantummodo vinculo debitas, naturali quoque solùm modo ac ratione persequimur: Sic enim vtiles & voluptuarias impensas abradimus [a]: Sic ex nudo pacto exceptionem acquirimus [b]: Sic vsuras nõ stipulatione, sed simpliciter promissas, per retentionem pignoris seruamus [c]: Sic omne denique debitũ naturale [d], per compensationẽ, nouationẽ, aut cõstitutum, interpositum exigimus. Alter gradus est eorum, quæ

a *l. pro voluptuarijs. ff. de impens. in reb. dotalib. fact.*

b *l. iuris gentiũ. § sed cum nulla. ff. de pact.*

c *l. per retentionẽ. C. de usur.*

d *l. quæcunque. ff. de cõpensat.*

quæ plenè perfecteque secundum cuiusque ciuitatis iura debentur, & quę ob id legitimis & solénibus actionibus in iure peti possunt: veluti ex empto vendito, locato conducto, mandato, deposito, pignore, cum similibus. Sed in his contingit nonnunquam, vt non aperto iure niti possis, sed officium iudicis implorare debeas. Nam si petenda [e] restitutio integri: si exigenda cautio: non futurum per aduersariũ, quò minùs tignum in parietem immissum habere liceat [f]: si exigendæ vsuræ in bonæfidei contractibus [g]: necessarium est, vt ad officium & benignitatem iudicis decurratur. Nam in illis, quę directò debentur, legitimas actiones, quæ ex bono solùm & æquo, officium suum Iudex impartiri solet. Quanquàm generaliter & ea dicuntur ex illius officio dependere, quæ ex certis & descriptis actionibus oriuntur [h]. Vltimus gradus pertinet ad ea, in quibus etiam sine iudice quis se licitè vindicat [i], & sua propria authoritate rem suã vel sibi debitã cõsequitur. Ita debitorem nostrum arripimus, qui in fuga est vel fugã meditatur: ita furem nocturnum, qui cum telo ambulat, occidimus [k]: ita possessiones nostras ab alijs, absentibus nobis, occupatas, primo impetu, sine fraude inuadimus [l]: ita filiæ adulterum, in ipso facinore deprehensum, licitè interficimus: ita postremò vim omnem nobis illatam, vi contraria repellimus. Nam quia periculum est in mora, & iusti doloris magnus vbique fauor & excusatio: rectè comparatum est, vt quædam proprijs auspicijs, sine iudice, & per vim, administrare liceat: cùm tamen in alijs regulariter nefas sit, id, quod nobis debetur, non per iudicem reposcere [m]. Planè boni legislatoris est, tres huiusmodi persequendorum debitorum ordines & gradus, propter negotiorum varias & causarum figuras instituere: sed prudentis iudicis & prætoris officium est, vt quæ res, quibus ordinibus accommodari debeant, solerter ac diligenter dijudicet.

e *l. quod si minor. §. ult. ff. de minor.*

f *l. si priusquam. ff. de op. no. nunc.*

g *l. quæro. ff. locat.*

h *tot. tit. Inst. de off. Iud.*

i *Cod. quando cui se lic. sin. Iud. uind.*

k *l. itaque. ff. ad l. aquil.*

l *l. clam. § qui ad nundinas. ff. de acquir. poss.*

m *l. exstat. ff. quod met. caus.*

DE DIF-

DE DIFFERENTIIS ACTIONVM CIVILIVM, SECVNDVM SPECIES.



PECIES verò actionũ, quas legislator sibi cõparatas habere debet, variæ sunt & multæ, suntque suis nominibus apud Romanos notatæ, apud quos ciuiles, prætoriæ, bonæ fidei, stricti iuris, cõdictitiæ, vindiciarũ, arbitrariæ, temporales, famosæ, contrarię, & aliæ consimiles actiones, reperiuntur: de quibus ordine, tum secundum antiquitatis, tum verò secundum ipsius rationis veritatem explicabimus, vnà demonstrantes quomodo bonus legumlator, in constituendis, inueniendis ac distinguẽdis actionibus versari debeat. Primùm igitur ita debet sese collocare, vt quasdam actiones scriptis comprehendat, & formulis suis circunscribat, nominibusq́; designet, quo videlicet certi aliquid sit in Republica, quod & cunctus populus, & is qui iurisdictioni præest, sequatur. Sed si est, vt per experientes homines, qui magistratus & iudicia sustinent, intelligatur, aliquas actione desiderari, eas reliquis adijci, & in numerum per eos quoque reponi, iubebit. Nã quemadmodum his moribus, omnia manu solùm & imperio Principis, sine scriptis legibus administrari, periculosum est: ita in illis tantùm, quæ mutis tabulis continentur, acquiescere, absurdum. Et hoc illud est, quod iure Ciuili[a] duo statuuntur actionum siue cognitionum summa genera. Vnum Ciuile, quod à Legibus, Senatuscõsultis, Plebiscitis, & alijs partibus iuris Ciuilis proficiscatur: Alterum prętorium, quod à prętoris iurisdictione capiat originem. Hoc ergo primum, quod in actionibus obseruare debet legum conditor. Secundum est, vt regulariter quidem in actionibus secundũ ea iudicetur, quæ lingua nuncupata sunt, & quę nominatim & expresse, negotijs inserta manu teneri possunt: sed subindè tamen ad ea respiciatur, que foris aduenient, & ex ęquo bono rebus applicentur.

a §. sed istæ. Inst. de act.

centur. Nam ne facilis & pronus sit error in iudicijs, néue iudex benignitatem prætendens, odijs fortè suis & affectionibus indulgeat: regulariter probatum est, id sequẽdum esse, quod apertè conuentum, & pactionibus stipulationibusque testatum reperitur. Verùm quia nonnulla sunt negotia, quæ vel natura sui, vel propter insignem fauorem, vel ob frequentem & necessarium vsum, tam sunt laxa & libera, vt in certam definitamque rationem cadere aut non possint, aut certè non debeant: vti que docet vsus, necessarium esse, vt quędam quoque iudicia proponantur, quæ benignitatem quandam, & ex bona fide æstimationem in se cõtineant. Et hinc quidem est, quòd actionum [b], aliæ sint stricti Iuris, aliç bonç fidei. Quis enim in negotijs gestis, tutelis, in familijs herciscundis, & communibus rebus diuidundis, in petitionibus hęreditatúm, quæ per se natura sui, largæ sunt & vniuersales, certam aliquam & restrictam rationem præscribat? Quis in mandatis, depositis, pignoribus, negotijs, tutelis, commodatis, in quibus fidem amicorum, vel imploramus, vel sequimur, id tantum velit strictè apprehendere, quod actum & conuentum est? Non est profectò id amici alicuius, sed duri & rigidi hominis. Quis tandem in emptionibus, locationibus, permutationibus, rebus æstimatis non admittat ea, quę extrinsecus ex bona fide accedunt, de quibus neque dictum, neque cogitatum est, æstimare? cùm contractus illi ad hoc sint comparati, vt cõsociationem humanam quotidie cõseruent, & propter frequentiam non patiantur, vt singulis eiusmodi actibus, vel testium præsentia, vel scripturæ solennitas intercedat. Ergo his tribus concurrentibus, vel certè non pugnantibus natura rei, fauore, ac frequentia: rectè traditum est à veteribus, non stricto quidem, vt regulariter fit, iudicio, sed ex bona fide contendendum esse. Cæterùm, si frequens quidem sit negotium, & non odiosum, sed tamen arctæ strictæque naturç, cuiusmodi est mutuum, quod numero, pondere, mensura constat: stipulatio, quæ

[b] §. actionum aut Inst. de act.

quę certa verborum conceptione: propius eſt, vt ſtrictum quoque maneat iudicium, quod quidem diligenter eſt notandum. Nam quòd multa de his rebus, ſurſum & deorſum, vltro & citro diſputant, nihil ad rem pertinet. In naturis enim rerum indagandis, non oportet ab ijs, quę ex accidēti forte, ſed proprie, ſuaque ſponte, ijs adiunt, rationem accerſere. Verùm hoc ſecundum. Iam tertium, quod in actionibus procurare debet legumlator, eſt, vt in quibuſdam cauſis, priùs quàm ad condemnationem ipſam ſecundum legem procedatur, permittatur iudici, ex æquo & bono, ſecundum cuiuſque rei, de qua agitur, naturam arbitrari, quemadmodum actori ſatisfieri oporteat: & niſi is, cum quo agitur, arbitrio iudicis actori ſatisfaciat, veluti ré reſtituat, vel exhibeat, vel ſoluat, vel ex noxali cauſa ſeruū dedat, vt tunc demum ad ipſam ſententiam, ſecundū leges veniatur [c]. Sed cur ita? inquies, quid id opus eſt? Certè in nonnullis caſibus, quoniam in ſpeciem videtur iniqua petitio, & contrà, iuſta ęquaq; defenſio: nimis durum eſt, nulla pręcedente amicabili monitione, ſtatim ad ipſam condemnationem procedere, & eum in magná moleſtiam, ſumptum, & infamiam conijcere, qui ſi vel ſemel à bono aliquo viro, id eſt, iudice fuiſſet admonitus, ne vnū quidem fortaſſe verbum ampliùs cum aduerſario ſuo commutaſſet. Qui Publiciana in rem actione impetitur, nonne ipſius iuris Ciuilis authoritate munitus & tectus eſt? Qui Seruiana vel Hypothecaria: nonne nullum ſe vnquam pactum inijſſe, & ne nuda quidē conuentione rem obſtrinxiſſe, rectè poteſt prima frōte allegare? Quid ille? aduerſus quem ad exhibendum agitur, an non rectè dicit aduerſario? quid tibi rei meę inſpectio eſt? Aduerſus quem noxali, quid mihi cum ijs, quę ſeruus meus deliquit? Aduerſus quē alio loco agitur, quàm quo dari promiſſum eſt, quid me hic interpellas? Epheſi dare ſpoſpondi, Epheſi pete? Si ergo probabilis eſt eiuſmodi defenſio, quam reus conuentus pręte ndit: nonne per contrarium ęquū eſt & rationi conſen

c §. preterea. Inſt. de act.

consentaneum, vt nisi pręmonitus à iudice, non condẽn tur? Sed quid hoc est: inquies, q, ei, qui de eo conuenitur, quod vi metúsue causa, aut dolo malo factũ est, iste quoque fauor accommodatur? is enim nihil habere videtur, quod fraudi culpęq; suę prętexat. Ecce rem. Illud certum est, ipso iure tutum esse eum, qui vel dolo, vel metu quid expressit ab aliquo, nec vllas antiquitus exstitisse formulas, quibus vrgeri, vt est apud Ciceronẽ, & conueniri possit. Quoniam igitur non fauore debitoris, sed propter ipsius iuris grauitatem, indignum videtur, illi cõfestim pœnam irrogare, qui ipsius antiqui ciuilis iuris patrocinio sit suffultus: rectè comparatum est, vt priùs à iudice admoneatur, & deindè si monitioni non pareat, propter contumaciam de vi & dolo conuictus, plena perfectaque sententia puniatur. Illud quartò etiam atque etiam debet curare legumlator, vt in nonnullis negotijs, non statim permittat iudex in ius duci, trahi, vel rapi eum, cum quo actio est: sed iubeat diem ei dici, & denunciari, qua actor reo debitum condicat, id est, amicabilem debiti petitionem proponat, antequam ad competentes actiones descendatur[d]. Et est quidem ęquissimum, hoc obseruari in ijs omnibus, in quibus debiti & crediti ratio, vel quasi versatur: cuiusmodi est mutuum, stipulatum, & expensolatum, vt inquit Cicero. Nam cùm in ijs, vel solis tabulis prolatis, res possit expediri, confestimq; iudicari, & communiter vertatur tum odiũ creditoris, tum pudor & verecundia debitoris: quę nõ temerè publico iudicio prostitui ac lędi debet: cùmq; vt plurimũ hoc tãtum agatur, vt aliquę inducię solutionis impetrẽtur: cõueniens & æquitati consentaneum est, vt nõ apertis forẽsibus statim propalam actionibus, sed denunciationibus priùs, & condictionibus debitor pulsetur. Quæ quidem res maiorem olim & vberiorem habebat vsum, cùm ab ipsis petitoribus in ius rei ducerentur, quod in condictionibus non licebat, quàm hoc tempore habeat. Quanquam & hodie in ijs hoc custodiri debeat, vt nec manifestè pleno foro

d *l. debitores. C. de pig.*

nec

nec citatione exposita, sed secretè ac seorsim monitione facta, condictiones proponantur. Cui & hoc accedit quòd in omni codictione cessat ignominia [e], quamuis ex famosa causa pendeat, quod in communibus actionibus longè secùs est. Quintum munus legislatoris in actionibus est, vt certas quasdam vias & rationes inueniat, quibus suum quisque repetere, & in libertaté asserere queat. Nam cùm magna cōmunis tranquillitatis & salutis pars dependeat ex rerum & dominiorum distinctione: diligéter etiam atq; etiam prouidédum est, vt ne vlla in ijs perturbatio & confusio exsistat. Et ideo si rem aliquam possideat quis, quam Titius suam esse affirmat: possessor autem, dominum eius se esse dicat: rectè comparatum est apud Romanos, vt in rem actio Titio detur, quæ vindicatio nominatur [f]. Et apud veteres quidem Romanos, vt author est Gellius, sic exercebatur vindicatio. De qua re (inquit) disceptabatur in iure pręsenti, siue ager, siue quid aliud est, cum aduersario simul manu prenderet, in ea re, omnibus verbis vindicare, id est vindicia, correptio manus, in re atque in loco præsenti apud Prætorem, ex duodecim tabulis fiebat, in quibus ita scriptum est: Si qui in iure manum conferunt. Sed postquam Prętores propagatis Italię finibus, datis iurisdictionibus, negotijs occupati, pacisci vinditiarum dicendarum causa longinquas res grauabantur: institutum est contra duodecim tabulas, tacito consensu, vt litigantes, non ex iure apud Prętorem manum consererent, sed ex iure, manu consertum vocarent, id est, alter alterum, ex iure, ad conserendam manum, in rem, de qua ageretur, vocaret. Atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terrę aliquid ex eo, vel vnam glebam, in ius in vrbem ad prętorem deferrent, & in ea gleba, tanquàm in toto agro, vindicarent. Hactenus Gellius. Pertinent verò eòdem, & illę veteris iuris leges. SVPERSTITIBVS PRÆSENTIBVS, VINDCIÆ SVMVNTOR AB IIS, INTER QVOS CONTROVERSIA EST: VINDICIÆ SECVNDVM

e l. cessat. ff. de act. & oblig

f § omnium Inst de act.

DVM LIBERTATEM DANTOR. Scribit eadem de re Asconius Pedianus in hęc verba. Lis vindiciarum est, „ cùm litigatur de ea re apud prætorem, cuius incertũ est, „ quis debeat esse possessor: & ideo, qui eã tenet, satisdat ꝑ „ pręde, litis vindiciarum, aduersario suo, quo illi satisfaci- „ at, nihil se deteriùs in possessione facturum, de qua iur- „ gium esset. Rursus sponsione ipse prouocatur ab aduer- „ sario, certæ pecunię, aut æstimationis, quam amittat, ni „ sua sit hęreditas, de qua contendit. Hæc ille. Sextò debet „ ad curam suam reuocare legum conditor, vt nonnullas actiones diuturnitate tẽporis euanescere [g], & certis annorum curriculis interire patiatur. Nam iniuriæ illatæ memoria, vtì obliuione quàm citissimè obruatur potiùs, quàm diu conseruetur, procurandum est. Quasdam septimò querelas cum ipsis personis intercidere [h] iubebit, prohibens, ne aut hæredibus, aut in hęredes permittantur. Præthereà octauò, nec semper, nec in omnibus negotijs, in solidum reum conuentum damnari sinet, sed in nonnullis, in tãtum, quantum facere potest [i]. Quid enim si cum patre patronóue actio est? si quis ex liberalitate sua cõueniatur? si de dote agat mulier? nónne æquum est, vt hactenus eum condemnatum faciat, quatenus facultates eius ferre possint? Quis enim patiatur, vel patrem à filio: vel maritum ab vxore, bonis suis vniuersis & fortunis exui? Iam nonò & infamiam nõnunquam victum sequi iubebit Iudex, & aduersario dabit facultatem in litem iurandi contra eum. Nã si dolus eius arguatur, an ne merito suo adspergitur ignominia? & intãtum, quãtũ ex affectiõe pars diuersa petit, cõdẽnatur [k]? Pręthereà cũ subindè fiat, vt ab vna tantũ parte cõtrahatur obligatio, vt in mutuo: subindè ab vtraq; parte, vel ęq; principaliter, & re & nomine, vt in societate: vel ęque prĩcipaliter re tãtum, nõ nomine, vt in empto vẽdito, locato cõducto: subindè deniq; ab vna parte prĩcipaliter, ab altera ex accidẽti, & pòst facto, vt in cõmodato, deposito, mãdato, pignore: meminisse denique decimò debet legislator, vt in primis

g tot. tit. de pers pet. & tẽp. act.

h l. ex contractibus. ff. de act.

i §. item Inst. de act.

k l. in actionibus ff. de in lit. iur

vnam tantum ab vna parte det actionem, vt in mutuo: in secundis, duas directas, vt in societate, empto vendito: in tertijs, vnam directam, alteram contrariam, vt in commodato, pignore. Sed de decem diuersis actionum speciebus, iam satis. Nam quod actionum, aliæ sunt præiudiciales, vt per quas quæritur, aliquis liber sit, an seruus: aliæ pręparatorię, vt ad exhibendum: aliæ duplices, vt familiæ herciscundæ, communi diuidundo, finium regundorum: aliæ denique non nostro, sed alieno nomine susceptæ, vt exercitoria, institoria: non tam specie differentes actiones facit, q̃ qualitate quadam. Plane superest quędã quasi p gradus distinctio actionũ, quę nullo modo silentio transigenda est. Nam actionum alię sunt directæ, aliæ vtiles, aliæ præscriptis verbis in factum, aliæ subsidiariæ. Directæ sunt, quę vel ciuiles, vel pretoriæ, certum suum nomen habent, suasq; certas formulas, quibus cõcipiuntur, & à quibus q cadit, tota causa cadit. Vtiles sunt, quæ nomen quidem idem retinent, cum aliqua directa & item effectum eũdem, sed nullis sunt astrictę formularũ solénitatib⁹. Præscriptis verbis sunt, quę neq; nomẽ habẽt, neq; formulã directarũ, neq; effectũ quoq;, sed tantũ similitudinem quandam. Nam quẽadmodum vtilis tũ competit, cum negotium cadit quidem in speciem, exempli gratia, negotiorũ gestorũ: sed tamẽ nõ omnino cõuenit cũ illa obligatiõe, quæ iure ciuili pręscripta est: ita tũ locus fit pręscriptis verbis actioni, cũ res manifestè excedit fines, verbi gratia, empti venditi, sed tñ aliquã habet eius assimulationẽ: quo casu actio pręscriptis verbis in factum vocatur, quia res non per certas conceptiones, sed planis verbis, quẽadmodum facta est, proponitur, habito tamẽ semper respectu ad eam actionem vel ciuilem, vel prætoriam, cũ qua similitudine quadã coniungitur. Subsidiarię actiones sunt, veluti de dolo, quę tum proponũtur, cum neque nomen res habet, neque formulam, neque similitudinem etiam negotij alicuius ciuilis. Et ideo cõuentio facio, vt des, cum nõ gerat speciem vllius ciuilis contra-

ctus:

ctus: merito parit actionem de dolo, cùm in alijs cōuentionibus, do vt des, do vt facias, facio vt facias, quæ aliquam habent similitudinem ordinariarum actionum aliter obseruetur. Nunc verò videamus quomodo diuidantur actiones, secundum res subiectas.

DE DIVISIONE ACTIONVM CIVILIVM SECVNDVM RES SVBIECTAS.



EST autem summa earum diuisio, in rei persecutorias [a], & persecutorias pœnæ. Nam vel hoc agitur, quēadmodum quisque suum, aut sibi debitum, consequatur: vel quemadmodum iniuriā, sibi aut Reipublicæ sine facinore factam, vindicare possit. Et illæ quidem, quæ rei persecutoriç sunt: aliàs intenduntur in rem: aliàs verò in personam [b]. In rem, vt cùm id quod nostrum est à possessore vendicamus: Idque nonnunquam vniuersaliter, puta cùm corpus aliquod iuris, cuiusmodi est hæreditas, persequimur: nōnunquam generaliter, veluti cùm tutelæ, negotiorum gestorum, agimus: nonnunquam denique specialiter, vt cùm vnam aliquam rem singularem petimus. Et est quidem ea res, aut corporalis, quæ nunc pleno proprietatis iure vindicatur: nunc minùs pleno, vt cùm ager vectigalis, vel emphiteuticarius petitur: aut incorporalis, quæ nonnunquam in confessoriç, nonnunquam in negatoriç actionis rationem incidit: idque siue sit personç seruitus, vt vsusfructus, vsus, habitatio: siue prædij, tum vrbani, vt prospectus luminum, stillicidij, altiùs non tollendi: tum rustici, vt arenç fodiendç, calcis coquēdç pecoris ad aquam appulsus. In personam actiones sunt, vel rerum creditarum, vel personarum, vel successionum, vel liberalitatum, quantum ad præsens ius attinet, vel obligationum. Rerum creditarum sunt, pleraque ad contractus varios pertinentia iura: nam vt libro decimo quæstionum Celsus

a §. sequente. de act.

b l. actionum. ff. de act. & oblig.

ait: credendi generalis appellatio eſt,& cuicunque rei aſſentiamur,alienam fidem ſecuti, mox recepturi quid ex hoc contractu, credere dicimur. Fit verò,id vel re,vel conſenſu. Re, veluti in mutuo vel quaſi, commodato, pignore,depoſito.Conſenſu,vt in emptione venditione, locatione,conductione,ſocietate,mandato. Et cohæret cum his illæ actiones, quę de conſtituta pecunia competunt, de eo quòd certo loco dari vel fieri promiſſum eſt, Item,quæ alieno nomine competunt, vt exercitoria, inſtitoria,de peculio,quod iuſſu,de in rem verſo. Denique quæ acceſſoriæ ſunt,vt Hypothecaria, Redhibitoria,De euictionibus,De vſuris,De mora,cum ſimilibus. Perſonarum ſunt, matrimonium & tutela. In matrimonijs quæritur, de ſponſalibus, nuptijs, dotibus, donationibus inter virum & vxorem, diuortijs, & repudijs, impenſis in rebus dotalibus factis,de rebus amotis,de agnoſcendis, alendis, & exhibendis liberis, de ventre inſpiciendo. In tutelis, de adminiſtratione tutorum vel curatorum,de ſuſpectis tutoribus vel curatoribus, de confirmando tutore vel curatore, de authoritate & conſenſu tutorum vel curatorum. Vbi pupillus educari vel morari debeat: De tutelis & rationibus diſtrahendis: De magiſtratibus conueniendis: De rebus eorum, qui ſub tutela vel cura ſunt. Succeſſio, aliàs defertur ex vltima teſtantis voluntate: aliàs, ab inteſtato. Vltimarum voluntatum ſpecies ſunt, teſtamentum ſolenne, nuncupatiuum,militare, codicilli,fideicommiſſa, deferunturque ex ijs, partim vniuerſitates,tam ſimpliciter & directè, q̃ per ſubſtitutionem: partim res ſingulares,per legata & fideicommiſſa. Et exoriuntur indè quæſtiones: de iniuſto, rupto, & irrito facto teſtamento: de conditionibus inſtitutionum: de lege falcidia: de trebelliano Sena tuſconſulto, quando dies legati vel fideicommiſſi cedat, cum nonnullis alijs. Ab inteſtato ſolet locus fieri: primùm deſcendentibus,deindè adſcendentibus,tertiò collateralibus, vltra fratres; fitque ſæpe,vt de gradibus cognatio-

gnationis dissensio suboriatur. Liberalitatum quædam conferuntur inter viuos, quædã causa mortis. Earũ, quæ inter viuos conferuntur, species, vt inquit Iurecõsultus[c], sunt complures. Dat aliquis ea mente, vt statim velit accipientis fieri, nec vllo casu ad se reuerti, & propter nullam aliam causam facit, quàm vt liberalitatem & munificentiam exerceat: hęc propriè donatio appellatur. Dat aliquis, vt tunc demũ accipientis fiat, cùm aliquid secutum fuerit: hęc non propriè donatio appellatur, sed totũ hoc, donatio sub conditione est. Item cùm ipse ea mente dat, vt statim quidem fiat accipientis: si tamen aliquid factum fuerit, aut non fuerit, id velit ad se reuerti: hęc non propriè dicitur donatio, sed totum hoc donatio dicitur, quæ sub conditione resoluitur. Mortis causa donatio est, cùm quis habere se mauult, q̃ eũ cui donat: magisq; eum cui donat quàm hęredẽ suum[d]. Iulianus libro decimoseptimo digestorũ, tres esse species mortis causa donationum, ait. Vnam, cùm quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis, donat. Aliam, cùm quis imminẽte periculo commotus, ita donat, vt statim fiat accipiẽtis. Tertiam, si quis periculo mortis, non sic det, vt statim fiat accipientis: sed tunc demũ, cum mors fuerit insecuta. Obligationum nonnullę sunt ex nudo meroq; contractu, nonnullæ ex maleficio: Ex mero contractu sunt, quæ verbis contrahuntur, aut literis, veluti ex Stipulatione, fideiussione, Cautione, iudicatum solui, Rem pupilli saluam fore, Rem ratam haberi, Nouatione, Delegatione, Acceptilatione, Literis, Epistolis, Chirographis, & alijs quæ sunt eiusdem generis. Ex maleficio, veluti ex furto, ex damno, ex rapina, ex iniuria, quę omnia vnius modi sunt: nã hę obligationes tãtùm ex re consistũt, id est, ex ipso maleficio, cùm alioquin ex cõtractu obligationes, nõ tantùm re consistãt, sed etiã verbis & cõsensu. Hactenus de actionibus rei persecutorijs. Quæ pœnæ persecutoriæ sunt, vel sunt in simplum cõceptæ, vel in duplum, vel in triplũ, vel in quadruplum.

In sim-

c l.1.ff.de donat.

d l.1. & 2.ff.de mort.caus.donat.

In simplum agitur, cùm ad id tantùm quod abest dirigitur actio, sed noua aliqua intentione, quæ pœnæ loco sit: veluti cùm condictio instituitur contra furem: nam cùm alioqui nemo rem suam cōdicere possit: odio furum, quo magis pluribus actionibus teneantur, effectum est, vt extra pœnam dupli aut quadrupli, rei recipiendę nomine, fures, etiā hac actione, teneantur, SI APPAREAT EOS DARE OPORTERE, quanuìs sit aduersus eos etiam hæc in rem actio, per quam quis rem suam esse petit [e]. In duplum [f] agitur, veluti furti nec manifesti, dāni iniurię ex l. Aquilia, depositi, ex quibusdā causis. Item serui corrupti. Et ex legato, quod venerabilibus locis relictum est. Tripli [g] tunc agitur, cùm quis maiorem vera æstimatione quantitatem, in libello conuentionis inserit, vt ex illa causa viatores, ampliorem summam sportularum nomine exigant. Quadrupli [h] tandem, veluti furti manifesti: item de eo quod metus causa factum est: deque ea pecunia, quæ in hoc data est, vt is cui datur, calumniæ causa negotium alicui faciat, vel non faciat. Verùm in nonnullis causis duplum illud, vel quadruplum, meram purámque pœnā continet, quæ res facit, vt sola res sine pœna peti possit, & vt ex pluribus obligatis, alter alterius solutione liberetur, vt in furto: in nonnullis, rem simul & pœnam, quod quidem cum odiosius sit, efficit, vt ne res repetatur sine pœna, nec alter per alterius solutionem liberetur, vt in actione vi bonorum raptorum [i]. Item in nonnullis, omnimodo est pœnalis actio, vt in furto & iniuria: In nonnullis ita demum, si reus inficietur, vt in lege Aquilia. Nam ea in confitērem est simpli, in inficiantē verò dupli. Deniq; in nōnullis, priuata causa vertitur, vt in iniurijs, furtis damnis: in nonnullis popularis, vt in albo prætoris corrupto, in sepulchro violato. Nam in huiusmodi vindicandis, versatur communis & publici iuris defensio [k]. Et ratio quidem, cur nulla pœna vltra quadruplū, in omnibus ferè Rebuspu. extendatur, est: quoniā cùm duæ tantùm personæ, & itē res & factum, quæ simul

qua-

e §. sic itaque Inst de act.

f §. in duplum. Inst. de act.

g §. tripli. Inst. de act.

h §. quadrupli. Inst. de act.

i l. item tutela. §. c ff. ad l. aqu.

k l. 1. & tot. tit. ff. de pop. act.

quatuor in delictis statuunt, veniant in reputationem, & noxæ pœna debeat esse par: æquum est, vt vltra illa quatuor, nullæ Ciuiles pœnæ, quæ quidem meræ pœnę sint, porrigantur. Nam quòd in nonnullis, nō nisi per inficiationem pœna debetur: in nonnullis cum re, in nonnullis etiam sine re, fiat pœnæ supputatio: pro varijs rerū causis & figuris est comparatū. Et quod delictorū alia sint alijs capitaliora, & maiore odio digna: tam est manifestum, vt suis id facilè sensibus, vnusquisque apprehendere possit.

DE IVDICIIS CRIMINALIBVS, QVÆ MERO IMPERIO EXPEDIVNTVR.



SEQVITVR de criminalibus & capitalibus iudicijs, quibus ad Rempublicā fundandā, & ac stabilēdā ad commune societatis humanæ concordiam retinendā, nihil potest esse magìs salutare. Horum tanta est in ciuitate dignitas & authoritas: vt non ad priuatum singulorum commodū, sed ad totius ciuitatis publicam salutem ac defensionem, comparata esse credantur[a]. Atque ea re factum est, vt neque fœminæ, neque impuberes, neque serui, ad accusandum [b] admittantur: quasi scilicet eorum tandummodo sit hęc negotia tractare, qui publicarum functionum & munerum sunt participes. Contrahuntur autem delicta, vel ex causa priuata, vel ex causa publica. Ex priuata causa sunt, furtum, rapina, iniuria, interpellatio matrimoniorū, illicitorum collegiorū coactio, stellionat⁹, vexatio annonę, scopelism⁹, sacculariorū & circulatorū ars, violatio sepulchrorum, concussio, abigeatus, præuaricatio, receptatio, expilatio, terminorum amotio. Nam in his magìs leditur priuata singulorum, quàm publica omnium vtilitas. Nec ad rē pertinet, quòd quorūdam etiam in superioribus mentionem fecerimus: quoniam sępe accidit, vti dem crimen & ciuiliter pariter &

a § 1. de publ. Ind.

b l qui accusare. ff. de accusat.

ter & criminaliter vindicetur. Quæ ex publica causa oriuntur, vel violant caput & fundamentum totius vitæ ciuilis, religionem: vel ipsum publicum statum & politicum: vel rerum militarium disciplinam & ordinem. Primi generis sunt, Hæresis, Simonia, Scisma, Apostasia, Sacrilegium, Fœneratio, Sortilegium, Goitia, Magia. Posterioris, Crimen lęsæ maiestatis, Adulterium, Homicidium, Veneficium, Vis publica & priuata, Crimen falsi, Crimen repetundarum, Crimen peculatus & De residuis, Crimen ambitus, Plagij, Annonæ vexatæ, cum innumeris alijs. Tertij tandem, hostibus se dedere, arma abijcere vel alienare, emansorem esse, desertorem, tranfugam, seditiosum, proditorem, dicto non audientem, stationis desertorem, falsarium ordinis sui vel signorum, furem rerum militarium, cum alijs eiusdẽ modi. Atque hæc ideo dicuntur publica, quoniam virus eorum & venenum, pertinet ad totum Reipublicæ corpus & inficit ea præcipuè membra, quæ principem in ciuitate locum obtinent: ita vt nisi remedia legitima & iusta in tempore adhibeantur, periculum sit, ne totius Reipublicæ ruinam & interitum moliantur. Est autem eorum sanatio posita, non in actionibus quidem & formulis, sed in exquisitis quibusdam pœnarum & suppliciorum generibus: debetque diligenter operam dare legum conditor, vt singulis facinoribus & delictis singulas castigationes & pœnas adhibeat: estque in eo tota iustitiæ laus & virtus collocata, vt suum cuique pro meritis attribuatur. Quanquam tamen non negarim, præmia quoque subindè populo proponenda esse, quibus duri ac præfracti homines, à sceleribus suis & vitijs, ad meliorem frugem & vitæ sobrietatem inuitentur [c]: permissa quoque nonnunquàm, vel remittendi vel abolendi criminis potestate, vt pro grassantium tum multitudine, tum paucitate, nunc relaxentur, nunc intendantur crimina. Nam quòd triumphi ouationes, coronę nauales, murales, vallares, castrenses, ciuicæ, benemerentibus publicè decernuntur: quid

c l. ut virtutum. C. de stat. & imag.

quid tandem aliud ſibi vult, quàm vt honeſtum virtuti præmium, & quoddam ad rectè facta inuitamentum conſtituatur? Quoniam igitur, vt dictum eſt, criminum, alia ſunt ſacra, alia ciuilia, alia militaria: æquum eſt, vt totidem quoque, ſuppliciorum potiſſimum genera ſtatuãtur. Et Pontificiæ quidẽ pœnę ſunt, purgatio canonica, priuatio beneficij, carcer cũ inedia, excõmunicatio, ſiue redactio ad peregrinitatem, degradatio, ſiue ad ciuilem pœnam traditio. Ciuiles, aut ſunt patrimonij, aut ſtatus, aut corporis [d]. Patrimonij ſunt, indictio multarum, & prohibitio certę alicuius negotiationis aut artis, ex qua viuere ſolet is, qui damnatur. Status & conditionis, veluti cùm honores quis & dignitates amittit, cumque infamia notatur, & in calcarium vel ſulfurarium opus adtempus mittitur. Item cum in exilium proficiſci, & ſolum vertere iubetur, interdictione facta, vel vnius loci, vel omnium excepto vno, vel lata fuga: denique cum libertas amittitur, & ſeruus pœnæ quis efficitur, aut deportatur, aut aqua illi & igni interdicitur. Corporis pœnę ſunt, veluti cum fuſtium aliquis admonitione, vel flagellorum vinculorúmue verberatione, vel membrorum mutilatione, ac impoſitione ſtigmatum caſtigatur. Item cum vita, vel gladio, vel ignibus, vel cruce, vel inedia, vel alio denique modo adimitur. Denique quod omnium grauiſſimum eſt, cum adempta vita, & bonis fiſco addictis, memoria inſuper hominis & poſteritas in perpetuum damnatur [e]. Militares pœnæ ſunt, ignominioſa miſſio, gradus deiectio, militię mutatio, multa pecuniaria, caſtigatio per vitem, purgatio militaris, cum ſimilibus [f].

Atque in his omnibus ſic debet prudens Legiſlator ac iudex verſari, vt neq; ſeueritatis, neque clementiæ laudem affectet, ſed perpenſo iudicio, prout quæque res expoſtulat, ſententiam dicat.

d *l. ſi quis forte. §. ult. ff. de pœn. l. exilium l. relegatorum. ff. de interdict. & releg.*

e *l. quiſquis. C. ad L. Iul. maieſt*

f *l. 2. & 3. ff. de re milit.*

Q DE IV-

DE IVDICIIS PERTINENTIBVS AD MIXTVM IMPERIVM.



ORVM quę neque sola iurisdictione, neque mero imperio, sed ex vtroque mixto explicantur, triplex est imprimis ratio: Quędam enim voluntariæ, spontaneæque sunt iurisdictionis[a], quædam cótentiosæ, quędam mediæ. Ac spontaneę quidem sunt ea, quę sine vlla necessitate suscipiuntur, cuiusmodi est emancipatio, manumissio, adoptio, cum quibusdam alijs non dissimilibus. Nam cùm donatio quantum ad ius antiquum, non tam ciuilis iuris, quàm prætorij sit[b]: puto & eam ad hunc locum non immeritò referri posse: eaque propter, vt latiùs dicetur idoneo loco, inter prætoria, in Pandectis, donationis tractatũ collocari. Contentiosę iurisdictionis sunt, quę redduntur etiam in inuitum, veluti cùm De noui operis nunciatione: De damno infecto: De missione in bona: De possessione vel retinenda, vel adipiscenda vel recuperanda: Deque exceptionibus & stipulationibus prætorijs interponendis, disceptatur. Nam in his omnibus id agitur, quemadmodum cuique suum ius, contra aduersarium reddi ac conseruari debeat. Mediam quandam naturam & conditionem obtinent, tutoris datio, bonorum possessio, & restitutio integri, Nam subindè fit, vt sine cuiusquam reluctatione impetrentur: subindè, vt non nisi contradictorio iudicio queant expediri. Sed est harum omnium & alia quędam eaq; quadripartita diuisio: nã nonnulla sunt authore Cicerone, quæ ad iuris dicendi officiũ pertinent: Nõnulla, quæ ad sartorum tectorum exigendorum munus: Nonnulla, quæ ad neutrum: Nonnulla, quæ ad vtrunq;. Primi generis est bonorũ possessio, quæ exstãtibus tabulis, vel secundũ, vel contra tabulas datur. Nõ exstantibus: vel liberis, vel legitimis, vel decem personis, vel cognatis, vel ijs qui sunt ex familia, vel patrono, patronęue, vel viro & vxori,

vel

a l. 2. ff. de off. procons.

b l. interdictum, ff. de precar.

vel cognatis manumissoris confertur. Et Cicero quidẽ in tertia Verrina, proponẽs de ijs dicturũ se, quę ad iuris dicendi rationẽ, in Prętore pertinẽt, nihil aliud attingit, q̃ quòd est de bonorũ possessionibus. Alterius generis sunt, noui operis nunciatio, cautio de dãno infecto, & de aqua pluuia arcẽda: quibus accedunt & ea, quæ ad publicanorum & vectigalium iura pertinẽt, & eorum, quæ in commissum cadunt. Nam quemadmodum in alijs priuatæ, ita in illis, publicę rei prospicitur. Estque id prætorium maximè, vt decumarum, exactionũ, vectigalium, & aliarum similium rerum, cura & ratio habeatur. Tertij generis sunt Adoptio, Emancipatio, Manumissio, Donatio, cum quibus aliquo modo coniungi possunt, Tutoris datio, & In integrum restitutio. Nam quod quærelas seruorum[c] contra dominos subindè audit, ne prostituantur, aut inediam patiantur, aut infami iniuria affitiantur, quòd curat, ne patroni à libertis contemnantur, néue carnes iniusto pretio in foro præbeantur, & vt quies popularium in spectaculis & pompis conseruetur: non est dubium, quin ad hoc caput referri debeat. Vltimi generis sunt, missiones in bona, interdicta, exceptiones & stipulationes, quæ dicuntur prætoriæ: nam in his partim ius dicitur, partim, vt sua quisque sarcta tecta habeat, præcauetur. Sed sunt[d] tres ferè causæ, ex quibus in possessionem mitti solet: Rei seruandæ causa: Item legatorum seruandorum gratia: Et ventris nomine. Rei seruandæ causa, vt cùm in bona eius, qui iudicio sistendi causa fideiussores dederit, si neque potestatem sui faciat, neque defendatur, iri iubetur: quo casu Prætor, non possessionem, sed custodiam rerum & obseruationem concedit, in primo ædicto[e]: sed si id longo tempore duret, etiam possidere, & per longam possessionem capere, causa cognita permittit. Legatorum[f] seruandorum gratia, vt cùm is, cui legatorum vel fideicommissorum nomine non cauetur, mittitur in possessionem: non quidem vt pro domino esse incipiat, sed vt simul cum hærede custodiat, vt

c *l.1. ff. de off. praef. urb.*

d *l.1. ff. ex quib. caus. in poss. eat.*

e *l. 3. §. ult. ff. de acquir. vel amit. poss.*

f *l. in cui. ff. ut leg. vel fideicõ. miss. nom.*

saltèm tædio perpetuæ custodiæ, extorqueat hæredi cautionem. Ventris nomine [g], vt cùm pregnans mulier, nomine eius qui in vtero est, & inter suos hæredes futurus erit, possessionem arripit. Planè damni infecti nomine, si non caueatur, non vniuersorum nomine fit missio, sed rei tantùm, de qua damnum timetur [h]. Interdicta, sunt formæ quędam atque conceptiones verborum, quibus Prętor aut iubet aliquid fieri, aut prohibet: maximè, cùm de possessione aut quasi possessione inter aliquos contenditur. Et sunt eorum verò, alia prohibitoria, alia restitutoria, alia exhibitoria. Itē quædam adipiscēdæ possessionis, quædā retinendæ, quędā recuperandæ. Adhęc nonnulla simplicia, nonnulla duplicia: Præterà, subindè in præsens tempus relata, subindè in præteritum. Item, aliàs annalia, aliàs verò perpetua. Deniq;, nonnunquam hominum causa comparata, nonnunquam religionis & rerum diuinarum. Nam cùm agitur, vt ne quid in loco sacro fiat, vel quod factum est, restituatur: item de mortuo inferendo, vel sepulchro, ædificando: totum negotium diuini iuris est. Quæ hominum verò causa competunt, vel sunt ad publicam vtilitatem pertinentia, vel sui iuris tuendi causa, vel officij, vel rei familiaris. Publicę autem vtilitatis causa cōpetit interdictum, vt via publica vti liceat, & flumine publico, & ne quid fiat in via publica. Iuris sui tuendi causa, de liberis exhibendis, item de liberto exhibendo. Officij causa, de homine libero exhibendo. Reliqua verò interdicta, rei familiaris causa dantur, vt Quorum bonorum, Quorum legatorum, De vi & vi armata, vtì possidetis: De superficiebus: De itinere actuque priuato: De aqua quotidiana & æstiua: De riuis: De fonte: De cloacis. Exceptio [i] dicta est, quasi quædam exclusio, quæ interponi actioni cuiusque rei solet, ad excludendum id, quod in intentionem condemnationémue deductum est. Et sunt [k] exceptiones: aut perpetuæ & peremptoriæ: aut temporales & dilatoriæ. Perpetuæ atque peremptoriæ sunt, quæ semper locum habent

g *l. 1. ff. de vent. in possess. mit.*

h *l. 1. ff. quib. ex caus. in possess. eat.*

i *l. 1. ff de except*


k *l. exceptiones. ff. de excep.*

bent, nec euitari possunt, qualis est, doli mali, rei iudicatæ, & si quid contra leges senatúsue consulta factũ esse dicitur, item pacti cõuenti perpetui, id est, ne omnino pecunia petatur. Temporales atque dilatoriæ sunt, quę non semper locum habent, sed quæ euitari possunt, qualis est pacti conuenti temporalis, id est, ne fortè intra quinquẽnium agatur. Procuratoriæ quoque exceptiones, dilatoriæ sunt, quę non semper locum habent, sed interdũ euitari possunt. Ideo verò cum prętorijs numerantur exceptiones, quoniam comparatę sunt, defendendorum reorum gratia in iudicio: sępe enim accidit, vt licèt ipsa persecutio, qua actor expetitur, iusta sit: tamen iniqua sit aduersus eum, cum quo agitur: quibus casibus datur à Prætore exceptio, ad impugnandam actionem. Prętorię stipulationes siue obligationes, instar actionum obtinent[1]. Et sunt earum tres species, iudiciales, cautionales, communes. Iudiciales eas dicimus, quæ propter iudicium interponũtur, vt ratum fiat, iudicatum solui, & ex operis noui nunciatione. Cautionales autem sunt, quæ instar actionis habent, &, vt fiat nouatio, intercedunt, vt de legato stipulatio, & de tutela, & ratã rem haberi, & damni infecti. Communes sunt stipulationes, quæ fiunt iudicio sistendi causa. Prætereà, stipulationum istarum, quædam sunt, quæ satisdationem exigunt: quædam, quæ nudam promissionem. Adhæc, Prętorię stipulationes, aut rei restitutionem continent, aut incertam quantitatem. Restitutionem rei, sicut stipulatio ex operis noui nunciatione, qua cauetur, vt opus restituatur: ideoque siue actor, siue reus decesserit, pluribus hæredibus relictis, vno vincente vel victo, totum restitui debebit. Quamdiu enim aliquid superest, tamdiu non potest videri opus restitutum. Incertam quantitatẽ continet stipulatio, iudicatum solui, & rem ratam dominum habiturum, & damni infecti, & his similes. Verùm de ciuilibus actionibus, criminalibus, & prætorijs, quæ ordinarię dicuntur: partim, quia certis formulis & figuris concipiuntur in iudicio:

[1] *l. actiones. ff. de act. & oblig*

partim, quia ordinariè, vel in iure, vel coram Prętore, vel ad populum tractantur: hęc nunc dicta sufficiant.

DE VARIIS ET EXTRAORDINARIIS ACTIONIBVS.



AM autem sunt nonnullæ actiones, quę natura sui liberę sunt, & in formularum rationem & anxietatem nō cadunt, quǽque extraordinarię vocantur. Idque siue loquaris de rebus ciuilibus & prætorijs: siue de criminalibus: siue de priuatis: siue de publicis: siue de domesticis: siue militaribus: siue communibus: siue fiscalibus. Quoniam enim tanta est naturę in pariendis, profundendisque rebus varietas & vbertas, tanta humani ingenij exilitas & angustia, vt omnia suis generibus describi & comprehendi non possint: necessarium est, vt communis aliquis, &, vt agrimensorum modo loquar, extraclusus locus relinquatur, in quo ea, quæ ad certum genus referri non possunt, reponátur. Sic enim obligationes omnes, vel ex contractu, vel ex delicto, vel ex varijs causarum figuris nasci dicimus. Sic in actionibus in personam, vel ad dádum, vel ad faciendum, vel alijs quibusdam modis agimus: Sic res nostras, vel testamento, vel codicillis, vel alia aliqua vltima voluntate relinquimus. Sic agrorum, in quibus augurium agitur, alius Romanus, alius gabinus, alius peregrinus, alius hosticus, alius incertus, dicitur. Sed non est omnium eorum, quæ extraordinaria sunt, vna & eadem ratio. Quædam enim quò ad formam agendi tantùm extraordinaria sunt, non verò toto iudicio, id est, non vt nec ciuilia dicantur, nec prætoria, nec criminalia: quædam agendi forma pariter, & toto iudicio: quædam ancipiti quodam, & inter vtrumque genus ambiguo modo. Primi ordinis sunt omnes actiones vtiles, quę nomen [a] quidem directarum actionum & effectum obtinent, sed ab earum formu-

a l. actio. ff. de neg. gest.

formulis in proponendo, quæ olim certæ ac descriptæ esse solent, nonnihil recedunt. Quemadmodum & illæ, quæ contrariæ dicuntur, quæ competunt, quoties negotium non ab initio habet vltrò citrò obligationem, sed ex postfacto [b]. Item honorariæ, quę à Prætore, & eo qui rebus iudicandis præsidet, introducuntur, & officio iudicis magìs, quàm cogente necessitate, administrari dicuntur [c]. Denique illæ quoque, quę nullum certum nomen contractus, sed συνάλλαγμα tantùm in se continent. Quorum nomine, vel de dolo, si dolus argui possit: vel præscriptis verbis in factum: subindè ciuili, si res negotij ciuilis habet speciem: subindè prętoria, si prętorij, sine vlla obseruatione formularum, agitur. Nam cùm deficiunt vulgaria atque vsitata actionum nomina: præscriptis verbis agendum est: in quam necesse est confugere, quoties contractus existunt, quorum appellationes nullo iure ciuili proditę sunt: natura enim rerum inductum est, vt plura sint negotia quàm vocabula [d]. Sic etiam in criminibus, quoties deficiunt ordinaria nomina, & item certa extraordinaria, confugitur ad crimen stellionatus [e]. Secundi ordinis sunt, quorum nomine nec actio competit, nec iudicium: sed auxilio quodam & beneficio, propter æquitatem, adiuuantur. Ita dicimus, de aduocatorum, professorum, obstetricum, medicorum, agrimensorum salarijs, extra ordinem cognosci: quia scilicet nobilior est eorum opera, quàm vt eius ratione, actio aliqua mercenaria tribui debeat [f]. Ex quo fit, vt Philosophis ne extra ordinem quidem ius dici debeat, non quia non religiosa res est Philosophia: sed quia hoc primum profiteri Philosophos oportet, mercenariam se operam spernere. Cui porrò consequens est, nec iuris quidem professoribus ius esse dicendum. Est enim quidem res sanctissima ciuilis sapientia: sed quæ pretio numario non sit æstimanda, nec dehonestanda, dum in iudicio honor petitur, qui ingressu sacramenti offerri debuit: Quędam enim honestè accipiuntur, quæ inhonestè tamē petuntur:

b l.in commodat. §.sicut.ff.commod.

c l.cum filius fa. ff.si cert.pet.

d l.1.2.3. l.naturalis. l. solent. ff.de præs.uerb

e l. ult. ff. de crim.stel.

f l.1.ff.de uar.& extr. cog. l.1. ff si mens.fals. mod.

Planè nonnulla sunt, quę viliora sunt & exiguiora, quàm vt in iudicio tractari & disceptari debeant. Nã quod proxenetica, & hermeneutica, inter extra ordinaria [g] reponũtur, nulla alia causa, quàm quia abiectiora sunt, est comparatum. Nam de minimis, vix est, vt vllam curam suscipere velit Prætor [h]. Tertij ordinis sunt, quę nec solennibus iudicijs, nec omnino extra ordinem tractãtur. Nam cùm summatim & de plano, de alendo & exhibẽdo partu cognoscitur: nec ordinarium plenè, nec extraordinarium iudicium dicitur institui, sed summarium [i]. Nunc sequitur, vt, quoniam de actionibus dictum & explicatum est, de ipso porrò iudiciario processu explicetur.

g tit. de proxenet

h l. scio. ff. de in integ. rest.

i l. si quis. ff. de lib. exhib.

DE PROCESSV IVDICIORVM, ET PRIMO DE PERSONIS PERTINENTIBVS AD IVDICIVM.



TRIA sunt in vniuersum, quorum in iure ac iudicio rationem habere oportet. Primæ partes sunt personarum, quæ in iudicio versantur & consistunt. Posteriores, rerum iudicialium, quæ ad tractandam & peragendam litem requiruntur. Vltimæ denique, ipsius cursus & progressus, cuius certa quædam est & naturalis series. Prius est, vt de personis trãsigamus, quarum, præter præcipuas & principales, sunt nonnullæ quoq; adminiculantes, de quibus post præcipuas dicemus. Quantum ad priores attinet, quoniam omne iudicium constituitur inter duos, litis & controuersiæ per tertium aliquem dirimendæ causa: tres sunt in totum personæ principales, ita vt nec plures per rerum naturam, nec pauciores esse possint. Ab vna parte sunt actor & reus, qui litigant inter se, & contendunt. Ab altera, iudex, qui arbiter est & disceptator litis. Sed non omnibus, qui volunt, agendi & accusandi potestas conceditur. Ciuiliter agendi facultatem adimit ætas, vt

si pu-

ſi pupillus fortè vel impubes, vel qui adhuc in infantium numero eſt, agere velit. Mores, vt ſi prodigus, infamis, hæreticus, periurus, apoſtata, diem alicui dicant. Iudicium animi, vt ſi amens quis, furioſus, demens, ſimplex veniat in ius. Status, veluti ſi ſeruus, filiusfamilias, ſtatuliber, libertus, excommunicatus, monachus agat. Accuſare prohibentur [a]: nonnulli propter ſexum vel ætatem, vt mulier vel pupillus: alij propter magiſtratum poteſtatémue, in qua agentes, ſine fraude in ius vocare non poſſunt: alij propter delictum proprium, vt infames: alij propter turpem quæſtũ, vt qui duo iudicia aduerſus duos reos ſubſcripta habent, numóſue ob accuſandum vel non accuſandum acceperũt: alij propter conditionem ſuam, vt filij contra parentes, & liberti contra patronos: alij propter ſuſpicionem calumniæ, vt illi qui falſum teſtimonium ſubornati dixerunt: nonnulli propter paupertatem, vt ſunt, qui minùs quàm quinquaginta aureos habent. Hi tamen omnes, ſi ſuam iniuriam exequantur, mortémue propinquorum defendãt, ab accuſatione non excluduntur. Planè licet cuilibet de populo libera ſit poteſtas accuſandi: tamen communis vtilitatis gratia comparatum eſt, vt ſit publicus aliquis accuſator capitalium criminum, cui hoc ex neceſſitate incumbat [b]. Et ſolet olim certum genus eſſe accuſatorum, qui quadruplatores & item ſectores appellarentur, quibus ſubſcriptores, & ſtipulatores, & actores aderant. Et erant quidẽ quadruplatores, delatores criminũ publicorũ, in qua re, quartã partẽ de proſcriptorũ bonis quos detulerãt, cõſequebantur: vel vt alij malunt, accuſatores eorum reorum, qui conuicti, quadrupli damnari ſoleant, vt aleæ, aut pecuniæ grauioribus vſuris fœneratæ. Sectores verò accuſatores erant, qui ex damnatione accuſati, dimidium bonorum exſpectabant, aut certam aliquam partem. Et ſolet eſſe moris, authore Aſconio Pediano, vt accuſator obſignaret domum, & clauſa omnia eius, quem accuſaturus erat haberet, ne qua furtorum indicia, aut in vaſis, aut in ſignis

a *l. qui accuſare. ff. de accuſat.*

b *l. Lucius. §. idẽ reſpondit. ff. ad municip.*

gnis

gnis, aut in literis cpnſtituta, ab eo remouerentur. Et ſi fortè contingeret, vt plures ad accuſandum parati accederent:contendebatur inter eos, quis ex omnibus,cęteris anteferri & pręponi deberet : quod quidem genus contétionis,diuinatio vocabatur. Rei nomen,à re de qua diſceptatio eſt deducitur, idque ſiue criminaliter, ſiue ciuiliter agatur. Sed qui criminis alicuius rei ſunt,in ſordibus & reatu,promiſſis capillis,agere dicuntur. Et eſt reum fieri, nihil aliud,quàm apud Prętorem legibus interrogari. Cùm enim in ius ventum eſſet, inquit Pedianus, dicebat accuſator apud Prętorem reo: Aio te Siculos ſpoliaſſe: ſi tacuiſſet, lis ei ęſtimabatur,vt victo : ſi negaſſet, petebatur à magiſtratu dies inquirendorum eius criminum, & inſtituebatur accuſatio . Et contrà, eximi è reis dicebantur illi,quibus,non pręſente ad diem accuſatore, gratia fieret. Sed nõ ſolet omnium reorum,vna & eadem eſſe cõditio. Nonnulli enim è vinculis cauſam dicere coguntur,quorum ſcilicet fides ſuſpectior,aut cauſa grauior eſt:nonnulli vadimonio obſtringũtur,qui videlicet, prędijs pręadibúſue datis,dimittũtur ea lege,vt in dié certum, aut quandocunq; iudicį viſum fuerit, ad iudiciũ ſiſtãtur. Nõnulli denique ſuæ promiſſioni relinquũtur, vel ita in iudiciũ vocantur , vt voluntario exilio pœnã & condemnationem euitare poſſint. Etſi auté regulariter nemo ſit,quin inter reos recipi & accuſari poſſit:tamen reperiuntur nonnulli,quibus nec ſemper,nec ab omnibus,dica rectè ſcribi poteſt:nonnulli quibus penitus à nullo. Nec à quouis, nec ſemper reus fieri poteſt , miles, Eccleſiaſticus,profeſſor,magiſtrat⁹,epiſcopus, legatus,pupillus, vidua, morbo ſontico laborans,orphanus,infans,furioſus, Reſpublica quę eſt ſine capite,ſeruus,monachus. Accuſare penitus non [c] licet hos,legatũ imperatoris,id eſt,præſidem prouinciæ,ex ſententia Lentuli dicta, Sylla & Tyrone conſulibus:itẽ legatum prouincialèm, eius dũtaxat criminis, quod antè cõmiſerit q̃ in legationem veniret: item magiſtratũ populi Romani,eumúe qui Reipublicæ cauſa

[c] *l. hos accuſare. ff. de accuſat.*

causa abfuerit,dũ non retractandi leges, causa abest.Hoc beneficio inter reos recepti vti possunt, si abolitione interueniente,repeti se non debere,contendant.Omnibus autẽ legibus serui rei fiunt,excepta lege Iulia de vi priuata,quia ea lege dãnati,partis tertię bonorum publicatione puniũtur,quę pœna in seruũ non cadit. Idemq; dicendum est in cæteris legibus,quibus pecuniaria pœna irrogatur,vel etiam capitis,quæ seruorum pœnis non conuenit, sicuti relegatio : sed durior eis pœna extra ordinem imminebit. Iudex, secundum Marcum Varronem, appellatus est,quasi qui ius inter duos dicat, & certis quibusdã verbis,quid legibus conueniẽs sit, quid nõ sit, pronunciet. Et quidem, is ex eo, iuris quoque disceptator nominatur.Nam antiqui iudices,vt verbis vtar Iustiniani [d], non aliter iudicialem calculum poterant accipere, nisi priùs sacramẽtum pręstitissent, omnimodo sese cum veritate & legum obseruatione, iudicium esse dispossituros. Et hodie iurant se facturos, secundũ quod eis visum fuerit iustius & melius,exceptis defensoribus ciuitatum, qui iurant omnia secundũ leges & iura se facturos.Planè, apud equestrémne ordinẽ, an senatorium, res iudicialis esset, magnas sæpenumero contentiones ciuiles,Romæ excitauit. Iam indè ab vrbe condita, in iudicijs dominabantur patres,apud eos causę agebantur, & ij soli aderant in consilio consulibus prætoribusq;. Reliquis autem ordinibus, nulla ad iudicandum facultas dabatur. Procedentibus deinde temporibus, exstitit Sempronius Gracchus,qui primus infensus senatui,equestrẽ ordinem ab eo disiungere meditatus, legem de iudicijs ad equites transferendis, tulit. Cuius legis sensus erat, vt trecentis Senatoribus sexcenti equites admiscerentur.Cæterũ anno decimo quinto,post Gracchi mortem,Senatũ in possessionem iudiciorũ restituere, conatus est Quintus Seruilius Cæpio, qui hoc agebat, vt paribus auspicijs in iudicijs,senatores & equites versarẽtur. Quæ quidem lex, nunc Glaucia, nunc Plotia, nunc Cornelia, Aurelia, & Pompe-

d *l.rem non nouã cũ Auct.seq.C. de Iud.*

Pompeia lege, variè iactata, tandem ſub Iulio dictatore obtinuit: ita vt iudiciorum omnium poteſtas quidem eſſet apud prætorem, ſed iudices tamen, vel perpetui, vel ſingularium cauſarum, tum ex ſenatu, tum ex ordine equeſtri, legerentur. Sed non omnibus licet eſſe iudices[e]. Quidam enim prohibentur lege: quidam moribus: quidam natura. Natura, vt ſurdus, mutus, & perpetuò furioſus, & impubes, quia iudicio carent: Lege, qui ſenatu motus eſt: Moribus, fœminæ, & ſerui, non quia non habeant iudicium: ſed quia receptum eſt, vt ciuilibus officijs non fungantur. Differunt autem iudices, varijs & multis inter ſe modis. Eorum, alij ſunt qui arbitri dicuntur: alij, qui proprio ſpecialiq; nomine, iudices. Arbitri ſunt, quibus amicabili quadam ratione, res inter partes definienda ac diſceptanda mandatur. Nam bonorum virorum eſt (vt inquit Plato) ciues priùs & amicos ac familiares experiri, quàm ad ſolennes & legitimas actiones perueniatur. Vndè pulchrè Seneca in tertio de beneficijs: Hoc
„ intereſſe dicitur inter iudicem & arbitrum, quòd ille for-
„ mula includatur, & ad certos, quos non excedat, termi-
„ nos reuocetur: huius verò, libera ſit & nullis adſtricta vin
„ culis religio: ita vt detrahere aliquid poſſit & addere, &
„ ſententiā ſuam, non prout lex & iuſtitia ſuadet, ſed prout
„ humanitas & miſericordia impellit, regere. Sed ſunt arbitrorum duo genera[f]. Vnum, vt ad boni viri arbitratum redigi debeat, etiamſi nominatim ſit perſona comprehenſa, cuius arbitratu fiat: veluti cùm lege locationis comprehenſum eſt, vt opus arbitrio locatoris fiat. Alterum, vt ſiue æquum ſit, ſiue iniquum, pàrêre debeamus: quod obſeruatur, cùm ex compromiſſo ad arbitrum itum eſt. Verùm id fit duobus rurſum modis: alij enim arbitri dantur à iudice, quibus hac committitur, & demandatur negotij, vt rem, ſi fieri poſſit componant: vti fit in ijs ferè actionibus, quæ arbitrariæ dicuntur, item in herciſcundis familijs, communi diuidundo, & aqua pluuia arcenda cum ſimilibus[g], in quibus de incerta, vt inquit

e *l. cum prætor. ff. de Iud.*

f *l. ſocietatem. § arbitrorum. ff. pro ſoc.*

g *l. In iudicio. ff. famil. herciſc.*

inquit Cicero, pecunia agitur: Alij aſſumuntur ab ipſis litigatoribus, & ijs ad quos res ea pertinet. Quod quidem vel fit ſimpliciter, nulla iniecta pœna compromiſſo: vel certa pœna propoſita ei, qui placitis non ſteterit: vel interueniente ſtipulatione: vel denique iuriſiurãdi religione. Prima ſpecie, ſiquidem ſententiæ latę vel ſubſcripſerint: vel taciturnitate, aſſenſum ei ſuum accommodauerint litigantes: tam actio naſcitur ab actoris parte, quàm exceptio à parte rei. Aliàs autem, ſi neutrum factum eſt, neque actionis, neq; exceptionis vllum ius exorietur [h]. Secundo caſu, neque prouocatio daturi[i], neque rei iudicatæ actio: ſed ſolius pœnæ metu fit, vt arbitrio eius ſtetur, qui receptus eſt [k]. Tertiò, licèt pœna non fuerit adiecta compromiſſo, ſi tamen ſimpliciter ſententiæ ſtare quis promiſerit, incerti aduerſus eum actio competit [l]. Quartò denique, etſi prohibitum eſt hodie cum iuriſiurandi ſolennitate arbitrum conſtituere: tamen ſolet eſſe receptum, vt omnimodo conſeruaretur. Quantum ad ipſum arbitrium attinet, quanuis neminem prætor cogit arbitrium recipere (quoniam hæc res libera & ſoluta eſt, & extra neceſſitatem iuriſdictionis poſita) attamen vbi ſemel quis in ſe receperit arbitrium, ad curam & ſolicitudinem ſuam, hanc rem pertinere prętor putat [m]: nõ tantùm quòd ſtudeat lites finiri, verum etiam quoniam non debeant decipi, qui eum quaſi virum bonum, diſceptatorem inter ſe elegerunt. Ipſorum iudicum, duæ ſunt in vniuerſum deſcriptiones: Quarum prior eſt, ſecundum res ſubiectas: poſterior ſecundum qualitatum diuerſitates. Quantum ad res attinet, alij ſunt quibus generaliter iuris dicundi officium incumbit: alij, quibus ſpecialiter circa rem certam. Primi generis ſunt, princeps ipſe, prętor tam peregrinus, q̃ vrbicus, Pręſes prouincię, pręfectus prætorio, procõſul, cũ ſimilibus: quibus tum animaduertendi in facinoroſos homines, tum decreta interponendi, iudicandique poteſtas eſt conceſſa. Eorum, qui ſecundi ſunt ordinis, nonnulli ſunt, quibus merum imperium vel vni-

h *l. eum antea. C. de recept. arbit*

i *l. i. C. de recept. arbit.*

k *l. diē proferre. §. ult. ff. de arb.*

l *l. ne in arbit. cũ Auct. ſeq. C. de recept. arb.*

m *l. 3. §. tametſi. ff. de arbit.*

vel vniuersè, vel particulatim committitur, cuiusmodi est pręfectus vrbi [n], qui non solùm ea crimina, quę domi, verùm etiã, quę foris perpetrantur, vindicat. Pręfectus [o] vigilum, qui de incendiarijs, effractoribus, furibus, raptoribus, & receptatoribus cognoscit. Quæsitor, cui criminum inquirendorum negotium dari solet. Latrunculator [p], qui de grassationibus & latrocinijs cognoscit. Nonnulli verò, quibus iurisdictio, vel in totum, vel ex parte permittitur. Cuius generis est prætor, qui à præeundo, in concipiendis prætorijs stipulationibus, manumissionibus, adoptionibus, iudicijs, nomen traxisse dicitur. Iudex fideicommissorum, cuius nulla alia de re, quàm de fideicommissis notio est [q]. Rationalis siue quæstor Cæsaris, qui rerum ad principem pertinentium curam solum gerit [r]: quibus addi potest, quòd curialibus, cohortalibus, & similibus, sui sint positi & constituti iudices. Nonnulli denique, quibus ea, quę mixti sunt imperij, committũtur: nam quod consules [s] manumittere volentibus consiliũ prębent, quod episcopi panis & aliarũ rerũ venalium curam gerant, quòd Ædiles, vti'ne vitiosa morbosáue vlla res vêneat, procurant, nullam aliam Reipublicæ partem, quàm quæ mixti imperij sit, attingit. Vt interim illud prætercam, quòd quædam tantæ habentur dignationis, vt non ab alio, quàm ipso principe, dijudicari possint [t]: quædam contrà, tam vilia, vt ad pedarios iudices, & eos, qui recuperatores disceptatoresúe dicuntur, reijciantur [v]. Iam autem, pro diuersis iudicum qualitatibus, varię sunt eorum differentię. Primùm, alij sunt, à quibus tanquam à minoribus ad maiores, prouocatio est: quales sunt omnes inferiores, quorum vltimi sunt qui pedanei dicuntur: alij, à quibus nulla cadit appellatio, cuiusmodi sunt præfecti prætorio: credidit enim [a] princeps, eos, qui ob singularem industriam, explorata eorum fide & grauitate, ad huius officij magnitudinem adhiberentur, non aliter iudicaturos esse pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quàm ipse foret iudicaturus:

n l.1.ff.de of.præf urbi.

o l.nam salutem. ff. de off.præf. uig.

p l. solemus. §.1. ff.de Iud.

q l. quæsitum.§. cum uir.ff. de legat.3.

r l.i.& tot.tit.ff de off. procurat.cæs.& rat.

s l.i.ff.de off.cõsul.l. i. ff. de ædil.ed. l.munerum. ff. de mun.& bon.

t l. quoties. C. ubi senator.

v l.2.C. de ped. Iud.

a l.unic.C.de of. præf.prætor.

rus :atque hæc distinctio est secundum ordinis prerogatiuam. Secundum dignitatem, alij sunt superillustres siue maximi, vt Imperator, Consul, Senator, Papa, Legati, Patriarchæ: alij, illustres siue magni, vt præfectus prætorio, Orientis, Italiæ, Africæ, Primates, Archiepiscopi: alij, spectabiles siue medij, vt Magistri militum, Prętores, Episcopi: alij clarissimi, vt Pręsides prouinciarum, Archidiaconi, Archipræsbyteri: alij denique infimi, vt defensores ciuitatum & municipiorum, præsbyteri, & ecclesiarum rectores. Pro graduum diuersitate, nonnulli sunt, qui ordinarij dicuntur: nonnulli, qui legati: nonnulli qui delegati: nonnulli qui dati: nonnulli denique, qui medij siue communes. Ordinarij sunt, qui iure magistratus, iuris dicendi officium & munus [b] sustinent, quales sunt præsides, prætores, prefecti, proconsules, & alij, quorum multæ sunt & varię, tam secundum res quàm secundum qualitates, differentiæ. Legati sunt, qui ordinarijs quibusdam magistratibus adiunguntur, vt illis vicariam subindè præstent operam: adeò quidem, vt & mandata iurisdictione, iudices dandi habeât potestatem[c]. Nam proconsules, cum non omnia possint per se obire, solent custodiarum cognitionem mandare legatis suis, scilicet vt præauditas custodias ad se remittant, & vt innocentem ipse liberet: nam si quid est quoque quod maiorem animaduersionem exigat, remittere legatus ad proconsulem debet: vtpote cum neque animaduertendi, neque coërcendi, neque atrociter verberandi ius legatus habeat. Summi pontificis legati hodie, vel sunt laterani (vtar enim verbo Plautino) vt cardinales: vel certorũ locorum, vt nõnulli de archiepescopis: vel denique datiui, qui, alicuius negotij obeundi gratia, in prouinciam mittuntur. Delegati iudices sunt, qui mandatam iurisdictionem obtinent[d]: idque siue à principe, siue ab alio quouis ordinario iudice, fuerit demãdata: more enim maiorum comparatum est, vt is iurisdictionẽ mandare possit, qui eam suo iure, non alieno beneficio, possidet[e].

b *l. more maiorũ ff. de Iurisd. l. omni. iud.*

c *l. legatus. l. solent. ff. de off. proconsul. & leg.*

d *l. 1. tot. tit. ff. de off. eius cui mã dat. est iurisd.*

Quan-

e l. more mãio rũ.ff. de iurisd. om. Iud.

Quanuis tamen sint & subdelegati, quibus scilicet à delegatis causę disceptatio cõmittitur. Dati sunt, qui ad vnam aliquã causam, vel definiẽdam, vel cognoscendam, à praetore constituuntur: qui subindè cognitores, subinde simplici nomine iudices, subindè recuperatores, subindè disceptatores, subindè etiã pedanei (quanquam eorum nomen ad alios quoque pertinet, vt suprà dictum est) nominantur. Et ad eos pręcipuè pertinet, quod dicitur, iurisdictionem esse iudicis dandi licentiam [f]: soletque praetor alijs occupatus, non tam ipse quotidie iudicare, nisi res maioris fortè esset momenti ac pretij, quàm iudices inter litigatores dare ac constituere. Et possunt quidem, vt inquit [g] Paulus, iudicem dare, quibus lege, vel constitutione, vel Senatusconsulto conceditur. Lege, sicut proconsul: is quoque cui mandata est iurisdictio, iudicem dare potest, vt sunt legati proconsulum: item hi quibus id concessum est, propter vim imperij, sicuti pręfectus vrbi caeterique Romae magistratus. Non autem omnes iudices dari possunt ab his, qui iudices dandi ius habent. Quidam enim lege impediuntur, ne iudices sint, quidam moribus, quidam natura. Natura, vt surdus, mutus, & perpetuò furiosus, & impubes, quia iudicio carent. Lege, qui senatu motus est. Moribus, fœminę & serui, nõ quia non habeant iudicium: sed quia receptum est, vt ciuilibus officijs non fungantur. Medij [h] siue communes iudices sunt, quibus specialiter lege, vel senatusconsulto, vel constitutione principum aliquid demandatur. Illi enim cùm nec ordinarij, nec legati, nec recuperatores, reuerà dici possunt: rectè medij siue communes, siue denique generali nomine extraordinarij appellantur. Illud valdè quęsitum scio, quaenam res mandari possint, quę non: & quibus magistratibus mandandi competat licentia, quibus non. Et primùm quidem verum est, imperium [i] merum, mandata iurisdictione, non transire: videlicet quoniam nunquam obuenit iure magistratus: sed vel lege, vel senatusconsulto, vel per principem. Imperium mixtum, vt scili-

f l.1.ff. de iurisd. omn. Iud.

g l. cum praetor. ff. de Iud.

h l.1. in princ. ff. de off. eius cui mand. est iurisd.

i d.l.1. in fi.

vt ſcilicet bonorum poſſeſſio detur, vt damni infecti nomine caueatur, vt in poſſeſſionem mittatur legatorũ ſeruandorum nomine, vt de ſuſpectis tutoribus cognoſcatur, mandari poteſt [k]. Vt autem mandata iuriſdictione à præſide, conſilium exerceat is cui mandatur: vt à prætore mandata iuriſdictione, ea quæſtio transferatur, qua, vtrùm cauſa propter quam tutores vel curatores prædia pupilli vel adoleſcẽtis alienare volunt, idonea ſit, nécne, coguoſcitur, mandari [l] non poteſt. Nam quemadmodum ea, quæ in mixto imperio, iuriſdictioni ſunt confinia, rectè tranſeunt: ita ea quę cum mero imperio ſunt cognata, tranſire non poſſunt. Planè iuriſdictio [m], quæ iure magiſtratus competit, ſine controuerſia mãdari poteſt. Et ideo imperium, quod iuriſdictioni cohæret, id eſt, modica coërcitio, ſine qua iuriſdictio explicari non poteſt, ſimul etiam tranſire [n] ſolet. Quantum ad magiſtratus attinet, illis demum permiſſum eſt mandare iuriſdictionem, qui eam ſuo iure, id eſt, ſui magiſtratus beneficio obtinent [o]. Cæterùm qui mandatam iuriſdictionem habent, vt delegati: vel datam, vt recuperatores: vel extraordinariam, vt medij illi de quibus dictum eſt, non poſſunt: quia ſcilicet proprium nihil habent, ſed eius, qui conceſſit, iuriſdictione vtuntur. Si omnes iudicum differentias & qualitates in vnum quaſi conſpectum poſitas, videre quis cupiat, eſt in manibus pulcherrimum Domitij [p] Vlpiani, ex libro quinto oppoſitorum reſponſum: eius enim verba, hæc ſunt: Qui neque iuriſdictioni præeſt: neque à principe poteſtate aliqua præditus: neque ab eo, qui ius dãdorum iudicum habet, datus eſt: nec ex compromiſſo ſumptus: vel ex aliqua lege confirmatus eſt, iudex eſſe non potuit. Sed de tribus principalibus iudiciorum perſonis, Actore, Reo, ac Iudice, hactenus. Perſonę adminiculantes (nam de ijs ſecundo loco dicere propoſuimus) vel ſunt iudicis, vel litigatorum, vel ipſius fori & iudicij. Ad iudicem inſtruendum pertinet, Aſſeſſor, Auditor, Iureconſultus. Officium [q] aſſeſſoris ferè conſtat,

k *l. cognitio. ff. de of. eius cui mand. eſt iur.*

l *l. mandata, illo tit.*

m *d. l. more. maiorum.*

n *l. i. in fi. & ult. ff. de off. eius cui mandat. eſt iuriſd.*

o *d. l. more ma.*

p *l. gen. ff de iud.*

q *l. 1. ff. de of. aſſ.*

in cognitionibus,poſtulationibus,libellis,edictis, decretis, epiſtolis. Auditoris, in cauſę cog.iitione accipienda, & ad iudicem referenda. Iureconſulti,in iure ſuggerédo: quod quidem ius,nonnunquam ab ipſo principe petitur, quoties de re ardua, eaque valde intricata, naſcitur quęſtio. Litigatoribus,præter ſubſcriptores Adſtipulatores, Actores & alios de quibus ſupra eſt expoſitũ,adſunt Procuratores,qui Pragmatici ac vídices apud veteres vocari ſolebant,(nam procuratorum ad negotia alia eſt cauſa.) Item Aduocati,quos Leguleios vocabat antiquitas: nam alioqnin amici propriè ſolent appellari aduocati: Denique Poſtulatores ſiue patroni, qui Oratores apud veteres dicebantur. Et hoc eſt quod ait Aſconius Pedianus, his ferè verbis: Qui defendit alterum in iudicio: aut patronus dicitur,ſi orator eſt: aut aduocatus, ſi aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico: aut procurator,ſi negotium ſuſcipit: aut cognitor,ſi præſentis cauſam nouit,& ſic tuetur, vt ſuam. Præter iſtas perſonas litigatorum,ſunt prætereà procuratores ad negotia,œconomi, tutores, curatores, orphanotrophi, vicedomini, actores vniuerſitatis, vicecomites,qui omnes ad hoc tenentur ratione muneris & officij: Item defenſores,cognitores,coniunctæ perſonæ, excuſatores,teſtes, qui ſolam affectionem pręſtant, vel ei qui agit, vel cum quo agitur. Procurator ad negotia eſt, qui ipſius rei & negotij, non verò litis & proceſſus,in iure curam gerit. OEconomus,cui eccleſiaſtica res mandatur. Tutor, qui pupillum ſuſcepit tuendum,vel ex vltima voluntate,vel ex lege,vel iuſſu magiſtratus. Curator, qui adoleſcentis res & negotia adminiſtrat.Orphanotrophus, qui orphanorum & pupillorũ exhibitionem ſuſcepit. Vicedominus, qui rebus epiſcopalibus præeſt. Actor vniuerſitatis ſiue ſyndicus,qui vel ad vnam cauſam,vel in perpetuum præpoſitus eſt communibus negotijs alicuius collegij, corporis,vel vniuerſitatis[r]. Vicecomes,cui dominus executioné iuriſdictionis ſuæ cõmittit. Defenſor,qui abſq; vllo

[r] *vid. ff. quod cu iuſq; uniu. nom*

vllo mandato, se vltrò sua sponte ad defensionẽ alicuius offert. Cognitor, qui vel vt amicus, vel vt cognitionẽ habens negotij, adsistit illi qui litigat. Solent enim veteres magno amicorũ numero stipati, causam dicere, cuius exstat memorabile exẽplum apud Cæsarẽ, in primo cõmentario. Coniuncta persona est, quę propter sanguinis propinquitatẽ, alieno nomine vel agit, vel defendit. Excusator, qui venit vt proponat causas absentiæ alicuius, qui nec ipse per se, nec per alium comparere potest. Testes denique, qui antiquis superstites vocabãtur, eò q rebus, quę in iudicium deducerentur, superessent. Personæ ad ipsum forum & iudicium pertinentes sunt, tabelliones, executores, viatores, serui publici, apparitores, lictores, cõmentarienses. Tabellio est, qui publicum munus habet conficiendorum instrumentorũ, ad fidem faciendã. Executor, per quem lis ad effectũ perducitur, & executioni demandatur. Viator, qui senatum in vnum conuocat, tracto nomine ab eo, quòd senatores olim Romani ruri agentes, à viatoribus in vrbem accerserentur. Seruus publicus, qui ipsi iudicio adstat paratus, si fortè quid opus est[s]. Apparitor, per quem præparatoria iudiciorum, vt in iure comparetur, expediuntur. Lictor, qui criminalibus iudicijs adest. Commentariensis, qui carceri est præpositus. Quoniam verò satìs dictum est de personis iudicialibus, videamus porrò paucis ac summatim de rebus.

s vid. l. 1. ff. Rẽ publ. sal.

DE REBVS PERTINENTIBVS AD IVDICIVM, TVM HODIE TVM SECVNDVM VETERES.



RES omnes vel sunt ordinariæ, vel voluntariæ. In ordinarijs, tam à iudicis, quàm à litigantium parte, sunt loca, tempora, sportulæ, dilationes, citationes, cautiones, iuramenta, editiones, impetrationes, postulationes, probationes, exceptiones, recusationes, positiones, interlocutiones,

appellationes. In voluntarijs, sunt pacta, transactiones, cum quibus cohærent, quę sępe incurrunt, calumniæ: restitutiones in integrum: cessiones: alienationes mutandi iudicij causa. Sed tractemus breuiter de singulis. Loci differentia facit, vt alia dicantur ordinaria, alia extraordinaria. Ordinaria expediuntur pro tribunali, vel alijs locis, vbi prætor, salua maiestate imperij sui, saluoq; more maiorum, ius dicere potest [a]. Extraordinaria, cognoscuntur obiter & de plano, sine vlla figura & strepitu [b] iudicij. Nam quę non sunt contentiosæ iurisdictionis, sed voluntariæ, qualis est manumissio: quouis loco, imo etiam in transitu, veluti cùm prętor aut præses in balneum vel theatrum procedit, rectè exercentur. Temporum ratio efficit, vt dies vtiles, ab inutilibus & feriatis distinguantur. Nam messium vindemiarumque tempore, exempli gratia, aduersarium ad iudicium venire, nemo cogere potest: quia scilicet occupati homines circa rem rusticam, in forum venire compellendi non sunt. Sportulæ, sunt pecuniæ, quę pro iudicio, viatoribus numerantur: sic dictę à sportulis, quibus recipi solent: quemadmodum fiscus, ærarium principis, à fiscellis. Dilationes, sunt inducię siue prorogationes temporis, ad dandum aliquid vel faciendum concessę, vel à lege, vel à iudice, vel à parte aduersa. A lege, veluti dilatio triginta dierum qui iusti dicuntur, & æris confessis dari solent. A iudice, veluti cùm secũdum eius arbitrium, aliquid temporis, vel huic, vel illi irrogatur. A parte, veluti cùm vel in iudicio, vel extra iudicium sic conuenitur. Citationes, sunt vocationes in ius, cùm videlicet, vel iuris experiundi, de quo paulò post: vel alicuius expediẽdi causa, quis vocatur. Et quidem per legitimas citationes, peruenitur ad peremptorium edictum, hoc ordine [c]: vt primò quis petat, post absentiam aduersarij, edictum primum: mox alterũ per interuallum nõ minùs decem dierũ: & tertiũ, quibus propositis, tunc peremptorium impetret. quod indè hoc nomen sumpsit, quòd perimeret disceptationem, hoc est, vltrà

a *l. ult. ff. de Iustit. & iur.*

b *l. nec quicquã §. de plano. ff. de of. procons. & leg.*

c *l. ad peremptorium cum seq. ff. de Iud.*

vltrà non pateretur aduersarium tergiuersari. Cautionis verbum generale est: porrigitur enim ad omnem securitatem, quam quis præstat in iudicio per satisdationem, quæ nihil est aliud, quàm adimpletio desiderij eius, qui nobiscum litigat, vt eum securum faciamus, vel prędijs & prędibus (vt antiquo more loquar) id est, pignoribus & sponsoribus siue vadibus datis, vel iuramento præstito, vel nuda promissione. Idque siue quæratur de iudicio sistendo, siue de iudicato soluendo, siue de alijs consimilibus pręstationibus, tam à parte actoris & rei, quàm eorum, qui illorum nomine vel agunt vel defendunt. Nam est & quoddam genus actionis, quod ex sponso dicitur: quod quidem fiebat, interposita stipulatione certæ pecunię, quam perderet is, qui sponsione coram iudice vinceretur. Cuius quidem iudicij & Homerus ipse meminit: ex quo constat, antiquissimum esse, & apud veteres Græcos nō minùs, quàm Romanos vsurpatum. Iusiurandum nihil est aliud, quàm affirmatio religiosa, introductum litium expediendarum causa: & est vel voluntarium, vel iudiciale, vel necessarium. Voluntarium, quod pars parti extra iudicium defert. Iudiciale, quod pars parti in iudicio. Necessarium, quod iudex parti propter legitimę probationis penuriam imponit. Et quidem initio litis solet iuramentum pręstari, quod calumnię dicitur: quo iuratur à partibus, se non vexandi aduersarij, sed ipsius veritatis defendendæ causa, in iudicio experiri. Atque est quidem vetustissimum quoddam actionis genus, quo iusto sacramento, inter se contendere partes dicebantur. Nam is qui petebat, inquit „ Varro, & qui inficiebatur de alijs rebus, vtrique quingen- „ tos ęris, ad pontem deponebant: de alijs item rebus, cer- „ tum alium legitimum numerum assum. Qui iudicio vi- „ cerat, suum sacramentum à sacro, id est, ponte auferebat, „ victi, ad ærarium redibant. Edere, est copiam eius, quod „ exhibendum est, facere: vt cùm ante ingressum litis, rationes aduersario nostro, vel alia instrumenta edimus, vt

videli-

videlicet apud se deliberare possit, vtrum cedere velit, an contendere. Et fiunt ferme editiones, sine die & consule, ne quid fortè, ijs editis, fraudis excogitetur. Nam quòd rationes cum die & consule edi debent, indè contingit, quòd accepta & data non aliter possunt apparere, nisi dies & consul fuerit editus. Impetrationes actionum [d] fiebant olim à collegio pontificum, penes quos potestas erat, vel concedendę vel abnuendę actionis: nę videlicet quis ad litigandum temere prosiliret. Et quoties quidem potestatem experiundi concedebant, pręscribebant simul & formulas quasdam, quibus actio contineretur, & secundum quas iudicium agitaretur: quę quidem ratio litigandi propter captiones [e], hodie sublata est. Planè quod aliarum quarundam rerum, quę in iudicio occurrere possunt, fiunt impetrationes: & hodie frequentatur, & obtinet in ijs, quòd dicitur: Quod quisque iuris in alium statuerit, vel obtinuerit, ipse eodem iure vtatur. Quod quidem edictum, summam habet ęquitatem, cum nemo meritò possit aspernari, idem ius sibi dici, quod ipse alijs dixit, vel dici effecit. Postulare, est desiderium suum, vel amici sui, in iure, apud eum qui iurisdictioni pręest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. Et sunt tres ordines eorum, qui postulare non possunt. Quidam in totum prohibētur: quidam pro se permittuntur, sed non pro alijs: quidam pro se & pro certis duntaxat personis, non pro omnibus, de quibus non est opus hîc latiùs exponere. Probatio nihil est aliud, quàm rei dubię per argumenta demonstratio, incumbens semper ei, qui ait, non qui negat. Diuiditur verò, in plenam siue perfectam, & minùs plenam, siue imperfectam. Plena fit, per testes fide dignos, ad minùs duos. Item per eius, cũ quo agitur cõfessionẽ, quę ipsius rei iudicatę instar obtinet. Itẽ per legitima instrumẽta, tum publica, tũ priuata. Nam in exercendis litibus, eadẽ vis est instrumentorũ & testiũ. Pręterea, per ipsius rei euidentiã, cùm videlicet vulgò notũ & manifestarium est id, quo de quęritur. Adhęc, per præsumptionem, famam, iusiurandum, antiqua signa, sigilla cõ-

d l. 2. ff. de orig. iur.

e l. unic. C. de formul. & impet. subl.

la, communem opinionem, tormenta, ſubtiles interrogationes, & alijs quibuſdam modis, quæ accuratè quidem deſcribi non poſſunt, ſed religioni plerumque & prudentiæ iudicis committuntur. Imperfecta probatio, plerunque ſolet ex atteſtatione vnius, & collocatione literarum, exque fuga rei conuenti, & ſignis aliquot oriri. Exceptio dicta eſt, quaſi quædã excluſio, quæ interponi ſolet actioni cuiuſq; rei, ad excludẽdum id, quod in intentionem condemnationemque deductum eſt. Sed eſt earum, alia dilatoria, alia declinatoria, alia peremptoria. Dilatoria, quæ contra perſonam actoris, vel procuratoris eius, proponitur. Declinatoria, per quam iudex repudiatur. Peremptoria, quæ rem ipſam & intentionem omnem perimit. Poſitio, qua nunc vtimur, eſt breuis quædam verborum formula, mentem proponentis continens, ad veritatem eliciendam, & eum qui ponit, ab onere probandi liberandum propoſita. Nam quę ſua ſponte cõfitetur reus, ea nihil eſt opus, vt vel teſtibus amplius, vel inſtrumentis adſtruantur. Interlocutio, eſt rei alicuius incidẽtis, antequã ad ipſam cauſam pueniatur, definitio. Et differt quidẽ hactenus à decreto, vt interlocutio magis ad iuriſdictionẽ, decretũ verò ad imperiũ referatur[f]. Appellatio, eſt à minori iudice ad ſuperiorẽ prouocatio, excogitata, ad errorem iudicantium corrigendum, & ad veritatem & rem bene iudicatam confirmandam. Pactum, eſt duorum pluriúmue in idem placitum & conſenſus, dictum à pactione, vnde & pacis nomen appellatum eſt. Tranſactio, eſt quaſi de re dubia, & lite incerta, neque finita, aliquo dato & retento, conuentio. Nã qui paciſcitur non petere, donationis cauſa, rem certam & indubitatam liberalitate remittit. Tranſactio, non eſt natura ſui liberalis. Reſtitutio integri, eſt omiſſæ cauſæ, reſciſſo eo per quod læſi ſimus, in antiquũ ſtatum redintegratio ac repoſitio. Et irrogatur quidem ijs qui in captionẽ inciderunt, vel metu, vel calliditate, vel ætate, vel abſentia, vel per ſtatus mutationem, vel denique per iuſtum errorem. Ceſſio eſt

f uid l. decreta. ff. de re. iud.

ſio eſt, cùm quis actiones ſibi competentes mandat alij: quę quidem res, ſecundum Anaſtaſij conſtitutionem [g] ſua ſponte ſuſpecta eſt, & improbata. In omni autem ceſſione, directa actio manet apud cedentem, licèt vtilis ad eum, in quem fit ceſſio, transferatur. Alienatio iudicij mutandi cauſa, tunc fieri dicitur, cùm quis alienãdo rem, alium nobis aduerſarium, ſuo loco, data opera, & in fraudem noſtram, ſubſtituit. Nam tanti nobis in factum actione tenentur, quanti noſtra interſit, alium nos aduerſarium non habuiſſe. Itaque ſi alterius prouincię hominem, aut potentiorem nobis aduerſarium oppoſuerit, tenebitur, quoniã potentioribus pares eſſe nõ poſſumus.

g l. ab Anaſtaſio. C. mandat.

DE PROCESSV IVDICII CIVILIS.



NVNC reliquum eſt, vt de ipſo proceſſu iudiciali, paucula quędam referamus: ſolet enim apud veteres Romanos, non certus aliquis & deſcriptus, ſed incertus & liber eius eſſe curſus: idque cùm prætores, non ex perpetuis *edictis*, *ſed* ex annalibus, & pro cuiuſque voluntate ac iudicio conſtitutis, in iure verſarentur. Sed cùm ea res non boni plerunque exẽpli videretur, exſtitit Cornelius, vt inquit Aſconius, qui etſi nõ apertè repugnantibus, multis tamen inuitis, legem ferret, vt prætores ex perpetuis ſuis edictis ius dicerent: quę res, gratiam ambitioſis prætoribus, qui variè ius dicere ſolebant, ſuſtulit. Solet autem alia atque alia eſſe ratio ciuilium cauſarum, alia criminalium, alia prætoriarum & extraordinariarum, de quibus ſingulis expedideum eſt. Ciuilis iudicij, duę ſunt in totum partes: litis conteſtatio[a], quantum ad litigantes: & ſententia, quantum ad ipſum iudicẽ, pertinet. Quę prętereà ſunt in iudicijs alia, vel ſunt præparatoria ſiue priora, vel poſteriora, vel media, de quibus etiam videbimus, ſi de principibus duabus partibus priùs explicuerimus. Litis ergo conte-

a l. amplius ff. rẽ rat. hab. iuncta l. iudex. ff. de re iud.

contestatio, quomodo his nostris temporibus fieri debeat, satìs disertè relatum est, ex Iustiniano [b], his fermè verbis. Offeratur ei, qui vocatur ad iudicium, libellus, & exindè præbitis sportulis, datą fideiussione, viginti dierum gaudeat inducijs, quibus deliberet, cedátne, an contendat: atque iudicíne alium adsociari petat, an recuset eum: nisi sit is, quem ipse, alio recusato, iam petierit. Deniq;, præsens interrogetur, an hoc tempus litis transierit, quod non mox ex ipsius responsione, sed etiam libelli subscriptione manifestatur, quam in initio facere debet. Litis ergo contestatio contra hoc priuilegium habita, pro nihilo ducenda est. Planè apud antiquos, triplex fermè reperitur ratio, qua in litem veteres consentire, ac communi consensu descendere solebant. Subindè enim sponsione facta, subindè sacramento deposito, subindè nuda testatione habita, iudicem sibi vel disceptatorem eligebant. In sponsionibus & sacramentis, fiebant pignorum & pecuniarum depositiones, quæ partim victori, partim ipsi iudici & ærario applicarentur.

b Auct. offeratur C. de lit. contest.

De his scribit ad hunc modum Homerus, in scuto Achillis.

Λαοὶ δ' εἰν ἀγορῇ ἔσαν ἀθρόοι ἔνθα δὲ νεῖκος
ὠρώρει. δύο δ' ἄνδρες ἐνείκεον εἵνεκα ποινῆς
Ἀνδρὸς ἀποφθιμένου. ὃ μὲν εὔχετο πάντ' ἀποδοῦναι,
Δήμῳ πιφαύσκων. ὃ δ' ἀναίνετο μηδὲν ἑλέσθαι
Ἄμφω δ' ἱέσθην ἐπὶ ἴστορι πεῖραρ ἑλέσθαι
Λαοὶ δ' ἀμφοτέροισιν ἐπήπυον ἀμφὶς ἀρωγοὶ
Κήρυκες δ' ἄρα λαὸν ἐρήτυον. οἱ δὲ γέροντες,
Εἵατ' ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοις ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ,
Σκῆπτρα δὲ κηρύκων ἐν χέρσ' ἔχον ἠεροφώνων,
Τοῖσιν ἔπειτ' ἤϊσσον ἀμοιβηδὶς δ' ἐδίκαζον.

κεῖτο δ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δύο χρυσοῖο τάλαντα.

τῷ δόμεν ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴποι.

Quæ per teſtationem fiebat, nullis intercedẽtibus pecunijs, ſed teſtibus tantùm ad hoc conuocatis & rogatis, conſtituebatur, vndè conteſtationis nomen ab initio collatum fuiſſe certum eſt. Et quidem quantum ad noſtrorum temporum vſum attinet, non eſt in obſcuro, noſtram hodie cõteſtationem, ex illis apud antiquos tribus modis & rationibus coaluiſſe. Nam in ſacramẽti locum, ſucceſſit iuramentum, quod calumniæ vocamus. In ſponſionis, ipſa nominatim conuentio, quæ contractus inſtar obtinet[c]. In depoſitionis denique hoc, quòd victus victori condemnatur in expenſas. Feſtus Pompeius conteſtari dicit eſſe, cum vterq; reus dicit, teſtes eſtote. Et conteſtari litem, cùm duo aut plures aduerſarij, ordinato iudicio dicunt, teſtes eſtote. In ſententijs proferẽdis, veterum mos erat, vt miſſis iudicibus in conſilium ad ſententiam dicendam, quando ſcilicet allegatis argumẽtis omnibus, orator dixiſſet, dixi: vt inquam vnuſquiſq; iudicum, ceratam tabellam, cera legitima haberet, & ſiquidem maiores eſſent cauſæ, vniuerſi iudices, in ciſtam tabulas, eáſque inſculptas literas habentes, vel abſolutionis, vel condemnationis, vel ampliationis ſimul conijcerent: ſi verò leuiores eſſent cauſæ, vt ſinguli ſuam ſententiam de tabula pronuntiarent. Nam ſi abſoluendus eſſet reus, moris erat, vt ſtatim abſolueretur: ſi damnandus, ſtatim dãnaretur. Si cauſa non eſſet idonea ad damnationem, abſolui tamen non poſſet, vt ampliùs nuntiaretur. Et eſt quidem abſoluere (quẽadmodum refert Aſconius) quod per qualitatem licitum eſſe monſtratur: cui ſimile eſt, expedire, quod definitione ſoluatur: & trãſigere, quod quidem eſt, quod aut confiteri non timeat, aut negationẽ concludat. Condemnare, eſt pœnam pro delicto imponere. Nã diuidere ſententiã, eſt, cum aliquis in dicenda ſententia, duas pluréſue partes cõplectitur, etſi non omnes eæ exhibẽtur,

c l.3.§.idẽ ſcribit.ff.de pecul

tur,poſtulat vt diuidãtur,id eſt de ſingulis referatur. Ampliare,eſt ſententiã differre,aut quia res nondum ſatìs liquet,aut quia corã ſiſtendi teſtes ſunt,& cum illis cõmittendi,aut quia de crimine ipſo vel de pœnę modo,deliberaretur. Et nõ abeſt lõgè ab ampliatione,cõperẽdinatio, niſi q́ ampliatio ſit in incertam: cõperendinatio,in certã aliquã diem,iudicij prorogatio.Quoniã tamẽ ea res ſatìs obſcura eſt & inuoluta,ſubijciã de ampliationis & cõperendinationis differẽtia,verba ipſius Aſconij Pediani,quę quia prȩter id quod propoſitũ eſt,inſuper alia quædã,nõ abhorrentia ab hoc propoſito,cõtinent: nõ eſt alienũ,vt à nobis hoc loco recitẽtur.Ante legem Glauciã de cõperendinatione,(inquit) aut ſtatim ſentẽtia dicebatur,ſi abſoluẽdus eſſet reus,aut ampliùs pronũciabatur,ſi videretur eſſe dãnandus,cũ dixiſſent iudices nõ liquet,hoc eſt, obſcura cauſa eſt.Itaq; ea pars,interpoſita dilatione,dicebat,in cuius peroratione videbatur obſcuritas. Comperendinatio verò, vtriuſq; partis recitatio eſt. Alij ſic adnotant: Comperendinatio,eſt ſecunda actio. Item comperendinatio,eſt ab vtriſq; litigatoribus inuicem ſibi denunciatio,in perendinum diem.Namq; cùm in rem aliquam agerent litigatores,& pœna ſe ſacramẽti peterent, poſcebant iudicem , qui dabatur poſt trigeſimum diem: quo dato,deindè inter ſe in perendinum diem,ne ad iudicium venirent , denũciabant , quò cùm eſſet ventum, antequam cauſa ageretur, quaſi per indicem rem exponebant,quod ipſum dicebatur cauſæ coniectio,quaſi cauſæ ſuæ in breue coactio. Alij ſic : inter comperendinationem & ampliationem hoc intereſt, quòd comperendinatio ex vna tantũ re dabatur,cùm cauſam iudex non intelligeret.Et omnino ſi videbatur iudicibus bona cauſa,abſoluebãt reũ : ſi mala,non ſtatim dãnabant,ſed hac excuſatione parcebãt: nam cùm condemnandi nota eſſet C:litera abſoluendi A:ampliandi ſignum N L dabant quo ſignificabãt, nõ liquere: vndè ampliatio naſcebatur. Hæc ergo veterũ in ferendis ſententijs ratio.Quid autem

hodie obseruandū sit, satis eleganter ac breuiter explicat Imperator [d] in hęc verba. Hac lege perpetua credimus ordinandū, vt iudices, quos cognoscēdi & pronuntiādi necessitas tenet, nō subitas, sed deliberatione habita post negotiū, sententias ponderatas, sibi antè forment & emendatas, statim in libellum secuta fidelitate conferant: scriptasq; ex libello partibus legant. Sed nec sit eis posthac copia corrigendi, vel mutādi, exceptis tam viris eminentissimis præfectis prætorio, q̃ alijs illustrem administrationem gerentibus, cæterisq; illustribus iudicibus, quibus licentia conceditur etiam per officium suum, & eos qui ministerium suum ijs accommodant, sentētias definitiuas recitare. Sed hæc de duabus præcipuis partibus iudiciorum, litis contestatione scilicet, & sententia. Iam ea quę vocauim⁹ priora, siue τὰ πρὸ ὄντα: in citatione, siue in vocatione in ius, potissimum cōsistunt. Eius hodie ratio simplex est & plana, vt quæ vel per ipsum iudicem, vel per alteram partem litigātium, vel per viatorē aliquem, tum literis scriptis, tum viua voce expediatur. Sed si est, vt primo edicto citatus non veniat, comparatum est, vt alio secundo, quod monitorium dicitur, euocetur, quod quidem iterum si spernat, subijcitur tertium, quod peremptorium nominant, in quo [e] cōminatur is qui edictum edit, etiam absente diuersa parte, cogniturum se ac pronunciaturum. Apud veteres duplex est via prodita, qua in ius à litigatoribus veniri solet. Subindè conueniebat inter partes de die, quo vel ad prætorē, aut iudicium, in actionibus in personam, & comperēdinationibus: vel in rem præsentē, in vindicationibus veniretur. Exstatq; ad eam rē lex duodecim tabularū: SI STATVS DIES SIT CVM HOSTE, VENITO. Subindè verò, & quidem vtplurimùm, deducebat aduersarium suum in ius actor ipse, sed id fiebat duobus fermè modis. Si enim vilis esset & humilis ac sordidę conditionis ille, cū quo res esset, rapiebatur obtorto collo, si se spōte duci nō pateretur, idq; nulla facta antestatione. Sic enim respōdet apud

Plautū

d l. 2. C. de sent. ex breuic. recit.

e l. in peremptorio. ff. de Iud.

Plautum in Perſa, Saturio paraſitus Dorpalo lenoni: Tuáne ego cauſa carnifex, cuiquam mortali libero, aures atteram, qui hîc commercaris ciues homines liberos? quaſi verò eos, qui inteſtabiles ſunt, non oporteat anteſtari, id eſt, vocatis teſtibus, & auricula tacta, hoc memoria tenere iuſſis, in ius ducere. Si verò cum alio aliquo res eſſet, qui nec improbus nec inteſtabilis haberetur, is ſi reluctaretur, manu prehenſus ducebatur: ſin minùs, ſequi actorem ſuum ad forum iubebatur, facta tamen priùs anteſtatione, ſi eam fortè reus peteret. Nam ſi anteſtatus reus non eſſet, & manũ ei actor inieciſſet inuito, iniuriæ reus conſtitui poterat. Et ideo priuſquam eum abduceret, rogabat eum actor, ecquid anteſtari vellet, (ſic enim verbũ LICET apud Plautũ & Horatiũ interpretamur) & ſiquidem reſponderet, velle ſe, anteſtatione facta, ducebatur, vel ſequi cogebatur. Si verò nihil opus eſſe diceret, ſponte ſua in ius ambulabat. Si denique penitus recuſaret, etiam inuitus rapiebatur, niſi fortè vel prædem locupletem ſiue vadem ac ſponſorem daret [f], vel legibus ſolutus priuilegióue munitus eſſet. Nam apud Caium libro 1. ad edictum prætoris vrbani, exſtat etiámnum hodie titulus: DE [g] IIS QVI NEQVE SEQVANTVR, NEQVE DVCANTVR. Et hoc quidem priuilegio vti videtur miles ille apud Plautum in Curculione, qui in ius vocatus & an anteſtari velit interrogatus, reſpondet nolle ſe, nec in ius ambulare, nec anteſtationem vllam admittere. Sic igitur fit præparatio iudicij, antequam ad litis conteſtationem perueniatur. Cui pręterea accedit editio inſtrumentorum, impetratio formularum, exhibitio actionis, qua quis experiri velit, cum nonnullis alijs. Lite conteſtata, priuſquàm iudex pronuntiet: partim hoc agunt litigatores, quemadmodum ſuum quiſq; ius diſceptatori, adductis prudentum conſultis & decretis, comprobet: partim, vt ea quæ in facto verſantur, tum legitimorum inſtrumẽtorum, tum verò teſtium fide ac conſtantia, conuincat. Nam in his eleuandis ſubleuan-

f tot. tit. ff. in ius uocat. ut caut. uel sat. aut caut. d.

g l. ſolutum ff. de uerb. ſig.

uandisque, magna pars eorum, quæ media sunt, ac inter litis contestationem ac sententiam interiecta, ponitur. Et solent olim, vt inquit Asconius, iurati testes produci,
" & non solùm ne falsa dicerent, verùm etiam, ne, quę vera
" essent, tacerẽt, adigi. Prætereà dum diceret accusans ora-
" tor, & pariter postea dum responderet defendens, testes
" à prætore qui prius examinati erãt, suo iterum loco, sin-
" guli à prætore interrogabantur: qui palam & alta voce,
" vt à cunctis exaudirentur, suum aperiebant cõfirmabánt-
" que testimonium, quod quidem paulò secus hodie obser-
" uatur. Cæterùm, quòd olim antequam sentẽtia ferretur, laudatores pariter & supplicatores pro reis audirentur, non minùs hodierno die, quàm tum temporis, frequentatur. Post sententiam latam, nisi fortè prouocatio interueniat, quæ quidem omnia integra seruat & illęsa, sequitur executio rei iudicatæ aduersus eum, qui ius dicenti non obtemperat. Is, si factum debet, pignoribus captis coërcetur, quemadmodum tutores & curatores [h], qui non cauent: mulieres, quæ partu edito, in iudicium de agnoscendis liberis vocatæ, non compârent. Si verò certam & definitam aliquam rem & speciem reus debeat, siquidem rem habeat manu militari, officio iudicis ab eo possessio trãsfertur [i], & fructuum duntaxat omnisque causę nomine condemnatio fit. Si verò non potest restituere, & dolo fecit quò minùs possit: in quantum aduersarius, in litem, sine vlla taxatione, in infinitum iurauerit, dánandus est. Si verò nec potest restituere, nec dolo fecit quò minùs possit, non pluris quàm res est, id est, quanti aduersarij interfuit, condemnandus est. Si id quod in obligatione versatur, genus est, primum possidentur & distrahuntur pignora: deindè ijs non sufficientibus, peruenitur ad ipsius personæ addictionem. Ac in venditione quidem (vt inquit [k] Vlpianus) pignorum captorum facienda, primò quidem res mobiles & animalia capi pignori iubentur, mox distrahi: quarum pretium si suffecerit, bene est: si non suffecerit, etiam soli pignora capi iubentur & distrahi:

h §. pen. Inst. de satisd. tut.

i l. qui restituere ff. de rei uend.

k l. a Diuo. §. in vendit. ff. de re iud.

ſtrahi: quòd ſi nulla mouentia ſint, à pignoribus ſoli initium faciunt. Sic denique inter iudices interloqui ſolēt, ſi mouentia non ſint, vt ſoli quoque capiantur: nam à pignoribus ſoli, initium faciendum non eſt: quòd ſi nec ea, quæ ſoli ſint, ſufficiant, vel nulla ſint pignora ſoli, tunc peruenietur etiam ad iura. Exſequuntur itaque rem iudicatam præſides iſto modo. Si pignora quæ capta ſunt, emptorem non inueniant, reſcriptum eſt ab Imperatore noſtro, & Diuo patre eius, vt addicantur ipſi, cui quiſquis condemnatus eſt: Et addicuntur vtique ea quantitate, quæ debetur. Nam ſi creditor maluerit pignora in creditum poſſidere, hiſque eſſe cōtentus: reſcriptum eſt, non poſſe eum, quod ampliùs ſibi debetur, petere: quia velut pacto tranſegiſſe de cætero videtur, qui contentus fuit pignora poſſidere: nec poſſe eum in quantitatem certam pr̄ gnora tenere, & ſuperfluum petere: Imò ſic quoque iudices exſequentur iudicatum, vt nomina iure pignoris capiant, ſi nihil aliud ſit, quod capi poſſit, hæc Vlpianus.

In addicendis perſonis debitorum, huiuſmodi apud veteres prodita lex eſt. "Æris confeſſi, rebuſque iure iudicatis, triginta dies iuſti ſunto, poſt deindè manus iniectio eſto. In ius ducito, ni iudicatum facit, aut qui pſeudo eo in iure vim dicit, ſecum ducito, vincito, aut neruo, aut compedibus quindecim pondo, ne minore, aut ſi volet, maiore vincito: ſi volet, ſuo viuito: ni ſuo viuit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato: ſi volet, plus dato. Tertijs nundinis, partes ſecanto: ſi plus minúſue ſecuerint, ſine fraude eſto." Sed hæc quidem lex, quoniam durior & inhumanior eſt viſa, mitigata eſt nonnihil à poſterioribus legumlatoribus: nam æris alieni cauſa hodie nemo poteſt in [1] ſeruitutem rapi, licèt in neruum conijci debitor, & donec ſatiſfaciat, retineri lege poſſit.

[1] l. ob æs C. de act. & oblig.

DE PROCESSV CRIMINALIVM IVDICIORVM.



DE capitalibus olim causis, non solet nisi centuriatis comitijs quæri: quibus liberum erat, cuiuis de populo, dicam ei scribere, quem accusare vellet, modò pœnam talionis sustinere paratus esset, si succumberet. Is verò qui accersitur alicuius criminis, nonnunquam è vinculis causam dicere, nonnunquam verò, pro rei quæ imponitur & personæ qualitate, vel prædibus datis, suæ promissioni commissus, respondere compellitur. Nam reum fieri, est apud prætorem legibus interrogari: cumq; in ius ventum esset, dicebat accusator apud prætorem, reo : Aio te Siculos spoliasse: si tacuisset, lis ei æstimabatur, vt victo : si negasset, petebat accusator à magistratu dies inquirendorum eius criminum, & instituebatur accusatio: eratque moris, vt accusator obsignaret domum, & clausa omnia eius, quem accusaturus erat, haberet, ne furtorũ indicia, aut in vasis, aut in signis, aut literis constituta, ab eo remouerentur, Ciceronemq; dicit Asconius, accusatione à prætore ad se delata, tempus inquisitionis Siciliam, dies 110. sumpsisse, colligendis literis à populis, & denuntiandis testimonijs. Ipsius verò accusationis, formula quædam est huiusmodi [a]. Apud illum prætorem, vel proconsulem Lucius Titiusprofessus est, se Meuiã lege Iulia adulterij ream deferre, q; dicat eam cum Caio Seio, in ciuitate illa, domo illius, mense illo, Consulibus illis, adulterium commisisse. Vt autem tota veterum ratio, in huiusmodi iudicijs peragendis, planè ac dilucidè intelligatur, subijciam duo loca ex Asconio Pædiano, quæ totam nobis
» rem ostendere ac declarare possint. Perlata deinde le-
» ge (inquit) Pompeij, in qua id quoque scriptum erat, vt
» Quæsitor, suffragio populi, ex ijs qui consules fuerant,
» crearetur, statim comitia habuit, creatusque erat L.
Do-

[a] l. libellorum ff accusat.

Domitius Ænobarbus Quæsitor. Aliorum quoque iu- «
dicium, qui de ea re iudicarent Pompeius tales propo- «
suit, vt nunquam neque clariores viros, neque sanctio- «
res propositos esse constaret, post quod statim noua lege «
Milo postulatus, à duobus Appijs Clodijs adolescentibus «
ijsdem, à quibus antea familia eius fuerat postulata. Itém- «
que de ambitu ab ijsdem Appijs, & prætereà de vi à Q. «
Petulcio, & L. Cornificio, de sodalitijs, à P. Fuluio Ne- «
rato. Postulatus autem erat, & de sodalitijs, & de ambitu «
ea spe, quod primum iudicium de vi futurum apparebat, «
quò eum damnatum iri confidebant, nec postea respon- «
surum. Diuinatio de ambitu accusatorum facta est, Quę- «
sitore A. Torquato, atq; ambo Quæsitores Torquatus & «
Domitius pridie Nonis Apr. reum adesse iusserunt, quo «
die Milo ad Domitij tribunal venit, ad Torquati amicos «
misit, ibi postulante pro eo M. Marcello obtinuit, ne pri «
us causam de ambitu diceret, quàm de vi iudicium esset «
perfectum. apud Domitium autē Quęsitorem maior Ap- «
pius postulauit à Milone, seruos exhiberi numero quatuor «
& quinquaginta: & cùm ille negaret eos qui nominaban- «
tur, in sua potestate esse, Domitius ex sententia iudicum «
pronuntiauit, vt ex seruorum eorum numero accusator, «
quod vellet, ederet. Citati deinde testes, secundum le- «
gem, quæ vt suprà diximus iubebat, vt priusquam cau- «
sa ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorum «
iudices consignarent, quarta die adesse omnes in diem «
posterum iuberentur, ac coram accusatore ac reo, pilæ, «
in quibus nomina iudicum inscripta essent, æquarentur: «
dein rursus postera die, sortitio iudicum fieret, vnius «
& septuaginta, qui numerus cùm sorte obtigisset, ipsi «
protinus sessum irent, tum ad dicendum accusator duas «
horas, reus tres haberet, reusque eodem die illo iudica- «
retur. Priùs autem quàm sententiæ ferrentur, quinos ex «
singulis ordinibus accusator, totidem reus reijceret: ita «
vt numerus iudicum relinqueretur, qui sentētias ferrent, «
quinquaginta & vnus. Hæc Asconius vno loco. Alio

sic ait.

sic ait. Moris erat, celebrata iudicum reiectione, & haberi in officio prætoris, & in arca reponi nomina iudicum selectorum. Reiectio autē idcirco dicitur, quia cùm multi iudices,in consilio cū prętore suo iudicaturi essent, qui Quęsitor fuisset,in publica causa,verbi gratia repetūdarum, ambitus, maiestatis, necesse fuerat, eos primùm de curia senatoria conscribi,cùm senatus iudicaret,deinde in vrnā sortitò mitti, vt de pluribus necessarius numerus cōfici posset. Tertiò,id est,post vrnam permitti accusatori ac reo,vt ex illo numero reijciant,quos putauerint sibi aut iniquos, aut ex aliqua re incommodos fore. Solet autem ex moribus ac fama iudicum illorum quos aut reijciebant aut retinebant voluntatis coniecturam facere populus, quis causæ suæ confidere,quis corrumpere iudices vellet, reiectione celebrata, in eorum locum, qui reiecti fuerant, subsortiebatur prætor, alios, quibus ille iudicum legitimus numerus compleretur.Prima enim sortitio dicebatur:his perfectis iurabant in leges iudices,vt obstricti religione iudicarent,cùm iurassent,omnes, præter ipsum prætorem, nomina eorum libellis, vt suprà diximus, continebantur, & vbique habebantur, ne pro selectis iudicibus, vt fit in multitudine, aliqui suppositi corruptissime,iudicarent. Itaque ad prętoris tribunal,cōsiderent,vt iudicaturi cum prętore suo. Hucusq; Pedianus.His si vnum adhuc è Liuio locum addiderimus, nihil video, quod in toto hoc tractatu porrò ampliùs desiderari possit. Is enim de Horatio qui sororem occidisset, loquens (nota enim est Historia) sic ait: Atrox visum id facinus patribus plebique, sed recens meritum facto obstabat: tamen raptus in Ius ad regem. Rex ne ipse tam tristis ingratique ad vulgus iudicij, aut secundum iudicium supplicij author esset, concilio populi aduocato,duûmuiros, inquit,qui Horatio perduellionem iudicent,secundū legem facio.Lex horrendi carminis erat, duûmuiri perduellionem iudicent, si à duûmuiris prouocarit, prouocatione certato. Si vincent,

caput obnubito, infelici arbori reste suspendito, verbe- "
rato, vel intra pomerium, vel extra pomerium. Hac "
lege duûmuiri creati, qui se absoluere non rebantur, ea "
lege, ne innoxium quidem posse: cùm condemnassent, "
tum alter ex his: Publi Horati tibi perduellionem iudi- "
co inquit. Lictor colliga manus. Accesserat lictor, in- "
ijciebatque laqueum: tum Horatius authore Tullo, cle- "
mente legis interprete, prouoco inquit. Ita de prouo- "
catione certatum ad populum est, moti homines sunt in "
eo iudicio, maximè Publio Horatio patre proclaman- "
te, se filiam iure cæsam iudicare: ni ita esset, se proprio "
iure in filium animaduersurum fuisse. Qua causa factum "
est, vt absolutus sit à populo, magìs admiratione virtu- "
tis, quàm iure causæ. "

DE PROCESSV PRÆTORIORVM ET EXTRAORDINARIORVM IVDICIORVM.

PRÆTORIORVM iudiciorum ratio, non est vnius vbique modi: aliud enim in adoptionibus, & manumissionibus, quę variè, tam secundum ordinem, quàm extrà fiunt: aliud in bonorum possessionibus, missionibus in bona, & stipulationibus, quę prætorię dicũtur, obseruatur. Nam quòd interdicta ferè soleant per actiones è sponso, de quibus supra est tractatum, expediri, notius est ex Fab. Quintiliano, quàm vt hîc prolixioribus tractari debeat, sufficitque ad locum eum probè intelligẽdum, oratio Ciceronis pro Cecinna, cum tertia in Verrem actione, cũque alijs nonnullis orationibus, in quibus tũ sarctorũ tectorũ, tũ etiam interdictorũ tractatio pulchrè explicatur. Nã quid dicam de bonorũ possessionibus, quę causa rei seruandæ impetrátur? quarũ omnis via & ratio, in latiorib⁹ Digestorum siue Pandectarum libris fusiùs est exposita. Illud tantum breui-

breuiter admonēdum eſt, prçter ordinaria, tam ciuilium & criminalium, quàm prçtoriarū rerum iudicia, eſſe quçdum alia, quæ extraordinaria, & item quæ ſummaria vocantur. Nam in quibuſdam caſibus, contingit, vt propter rerum & perſonarum qualitatem, celeritatem res expoſtulet, & ſine magnis reorum ſumptibus debeat expediri. Sic dicimus, leuia, coràm audire & diſcutere de plano, proconſulem oportere. Item de plano expediri, vt obſequium parentibus & patronis, liberiſque patronorū exhibeatur [a]. Formam verò horum ſummariorum iudiciorum, deſcribit ſummus Pontifex [b] his ferè verbis: Sçpe contingit quòd cauſas committimus, & in earum aliquibus, ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu ac figura iudicij, procedi mandamus. De quorum ſignificatione verborum à multis contenditur, & qualiter procedi debeat, dubitatur: nos autem dubitationem huiuſmodi, quantum nobis poſſibile eſt decidere cupientes, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, vt iudex, cui taliter cauſam committimus, neceſſariò libellum non exigat: litis conteſtationem nō poſtulet: in tempore etiam feriarum, ob neceſſitates hominum indultarum à iure, procedere valeat: amputet dilationum materiam: litem, quantum poterit, faciat breuiorem, exceptiones, appellationes dilatorias, & fruſtratorias repellendo: partium, aduocatorum, & procuratorum contentiones, ac iurgia, teſtiūque ſuperfluam multitudinem refrenando. Non ſic tamen iudex litem abbreuiet, quin probationes neceſſariæ, & defenſiones legitimç admittantur: citationem verò ac prçſtationem iuramenti de calumnia vel malitia, ſiue de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commiſſionem huiuſmodi intelligimus non excludi. Verùm quia iuxta petitionis formam, pronuntiatio ſequi debet; pro parte agentis & etiam rei, ſi quid petere voluerit, eſt in ipſo litis exordio, petitio faciēda, ſiue ſcriptis, ſiue verbo actis, tamen continuò (vt ſuper quibus poſitiones ac articuli formari debeant, poſſit haberi plenior certitudo, & vt fiat defi-


a l. nec quicquā § de plano ff. de of. pr. cōſu.

b clem. ſæpe de uerb. ſignif.

at definitio clarior)inſerendo,& quia poſitiones ad faciliorem expeditionem litium propter partium cõfeſſiones,& articulos,ad clariorem probationem vſus longęuus in cauſis admiſit:nos vſum huiuſmodi obſeruari volentes,ſtatuimus,vt Iudex ſic deputatus à nobis (niſi aliud de partiũ voluntate procedat)ad dandũ ſimul vtriſque terminum dare poſſit, & ad exhibendum omnia acta & munimenta, quibus partes vti volunt, in cauſa poſt dationem articulorum, diem certam, quandocunque ſibi videbitur, valeat aſſignare:eo ſaluo, quòd vbi remiſſionem fieri contingeret,pro teſtibus producendis, poſſunt etiam inſtrumenta produci,aſſignatione huiuſmodi non obſtãte.Interrogabit etiam partes ſiue ad earũ inſtãtiam, ſiue ex officio,quãdocunque hoc æquitas ſuadebit:ſententiã verò definitiuã,citatis ad id,licèt nõ perẽptoriè, partib⁹ in ſcriptis,& prout magìs ſibi placuerit,ſtans vel ſedens proferat,etiã ſi ei videbitur,cõcluſione nõ facta,prout ex petitione & ꝓbatione & alijs actitatis, in cauſa fuerit faciendum. Hactenus ſummus Pontifex. Iam autem exemplum huius rei proditum eſt pulcherrimum,à Marcello iureconſulto, qui ſub titulo, De ijs quæ in teſtamento delentur, ſcribit in hac verba: Sententia Imperatoris Antonini Auguſti,Pudente & Pollione conſulibus.Cùm Valerius Nepos, mutata volũtate, incíderit teſtamẽtum ſuum, & hæredum nomina induxerit: hæreditas eius ſecundum diui patris mei conſtitutionem ad eos, qui ſcripti fuerunt,pertinere non videtur: & aduocatus fiſci dixit.Vos habetis iudices veſtros.Viuius Zeno dixit: Rogo domine Imperator, audias me patienter: de legatis quid ſtatues?Antoninus Cæſar dixit:Videtur tibi voluiſſe teſtamentum valere,qui nomina hæredum induxerit? Cornelius Priſcianus aduocatus Leonis dixit: Nomina hæredum tantùm induxit. Calpurnius Longinus aduocatus Fiſci dixit: Non poteſt vllum teſtamentum valere, quod hæredem non habet. Priſcianus dixit: Manumiſit quoſdẽ,& legata dedit.Antoninus Cęſar,remotis omnibus,

bus cum deliberasset, & admitti rursus eosdem iussisset: dixit. Causa pręsens admittere videtur humaniorem interpretationem: vt ea duntaxat existimemus, Nepotem irrita esse voluisse, quæ induxit, Hucusque Marcellus. Quoniam autem de ipsa iuris condendarumque legum arte, hactenus breuiter est expositum: non abs re fortassis erit, si tum de vsu eius ac vtilitate nonnihil attulerimus, tum de institutione conformationeque illius, qui ad iurisprudentiæ studium sit accessurus: nam in omnibus quidem disciplinis sic est comparatum, vt & natura constent, & arte ac exercitio. In legibus hoc vsu venit, vt earum vis ac virtus, non minus in his qui eas sustineant, quàm in illis ipsis, quæ tabulis inscriptæ sunt, legibus, cernantur.

DE VSV HVIVS ARTIS.



C quantum quidem ad vsum huius artis attinet, is, meo quidē iudicio, in hisce potissimum tribus spectatur: in condendis legibus: in interpretādis: & in disponendis. In condendo quidem, quoniam omnis lex, vt supra commemorauimus, partim proëmium habet, partim constitutionem, partim sanctionem: primum illud sciendum est, proëmia legum pleraque omnia, non aliunde, quàm ex prima totius artis parte, repeti solere. Nam quod in Pandectis, subinde ab æquitate fit legis commendatio, subinde ab vtilitate ac frequenti vsu, subinde denique à ratione naturali: enimuero omne id vel à fine iuris iustitia, vel ab aliqua principiorum specie desumitur ac delibatur. Tantundem videre est & in illa Metelli Numidici grauis ac diserti viri oratione, quam in censura dixit ad populum, de ducendis vxoribus, in qua principijs naturalibus altius repetitis, demonstrat, quoniā ita natura tradidit, vt nec cum mulieribus satis commode, nec sine illis

illis vllo modo viui poſſit: ſaluti perpetuę potius, quàm breui voluptati conſulendum eſſe. Idem & apud M. Portium Catonem, in oratione pro lege Oppia, & apud Ciceronem, de lege Agraria, & alijs infinitis ferme locis, animaduertimus. Et quidem, licet in ſcribendis & memorię commendandis legibus, non ſemper, nec vbiq; hiſce proēmijs vtamur: attamen quoties maioris alicuius tractatus exordium ſumendum eſt, perſępè fit, vt proēmiū, ſine vitio prętermitti nō poſſit. Adhęc in roganda ſuadendáque lege, ac dicūda in ſenatu ſentētia: nihil eſt quod maiorem laudem ac vſum, oportunitatemq; habeat, quàm poſſe ſentētiæ ſuæ rationē, à primis illis naturæ fontibus repetere: quanq̃ tamen non ignorē propter omnium membrorum huius artis inter ſe cōnexionem, ſubinde fieri, vt ipſa legum proēmia, non tam à prima parte, quàm vel à ſecunda, vel à tertia ducantur. Conſtitutionum ſedes, in parte ferè ſecunda collocatur, & propoſita quidem aliqua quæſtione, primum hoc exquiritur, cuius ea potiſſimum loci ſit & ordinis, hoc eſt, vtrum ne ad fictionem potius an ad quęſtionem, an ſit, quid ſit, aut quale ſit, referri debeat, vtrúmue abſolute magis, an ſecundum circunſtātias expēdi: quo inuēto, hoc poſt deinde ſequitur, vt ſecūdum loci ſui naturam & rationē ſupputetur, & quòd amplius eſt, propter ſummam poſteriorum ex prioribus aptitutinem, ad prima principia iuris, & finem vſque reuocetur. Hinc ſi de maris ac fœminæ coniunctione in Republica conſtituenda quæratur, primum ſatis intelligimus, eam quæſtionem, neque fictionis eſſe, neque coniecturæ, neq; definitionis, item neque circunſtantiarum, neque aſyſtatorum, neque eorum omnium, quę abditam quandam habeant iuris rationem, ſed ad eum proprie locum referri, in quo de qualitate agitur: vtrum ſcilicet bonum ſit in Repulica, matrimonium habere, nec ne. Atque in ea re explicanda, mox illud occurrit, nihil hác rem admodū pertinere, ad eam huius loci partem, quę de honeſtate diſputat, & ad eam, quæ de pulchro, multo minus, ex quibus

ſtatim

ſtatim conſequitur, totam quęſtionem vtilitatis ac neceſſitatis eſſe, videlicet, vtrũ neceſſitati potius propagãdæ ſobolis, an caſtitati cœlebatuiq́ue ſit ſeruiẽdum in rep. in cuius quidẽ quæſtionis enudatione, iam ipſa res loquitur, tum principia iuris, & maxime quidem naturalia, conſuli oportere, tum verò finem ipſum iuſtitiam, quæ pro rei ſubiectę natura, ſubinde perfectam & expletam virtutem requirit, ſubinde mediocritate quadã officiorum eſt contenta. Sanctiones legum, ad partem huius artis tertiam referũtur, quę quidem, non tã per regulas, q̈ exemplo (ſic enim hoc viſum eſt cõmodius) docet, quomodo id qđ vel natura, vel lege iuſſum ac vetitũ eſt, ad effectũ ſuum perduci poſſit, idq́ue ſiue ordinem ipſum ſpectes, quo procedatur in iudicio, ſiue actiões legis & pœnas, quibus maleficia vindicantur. Sed quemadmodum de conſtitutionibus ſupra dictum eſt, eas principiorum vſu & cognitione indigere: ita etiam hoc loco vſu venit, vt ſine ſecunda parte ac prima, ſanctiones, commodè fieri non poſſint. Et quidem quantum ad iuſtitiam, ſiue finem iuris attinet, vtiq; certũ eſt, in pœnis nihil magis curandũ ac reſpiciendum eſſe, quàm vt ſecundum veram iuſtámque proportionem, pœna noxæ par conſtituatur. Atque hæc quidem de vſu huius artis, in condendis legibus. Interpretatio legum, quemadmodũ fieri debeat, partim ſuis locis eſt expoſitum, partim ex ipſa vniuerſa iuris arte depromi poteſt. Nam cum eius tres ſint omnino partes, Hiſtorica, Etymologica, & Analogica. Hiſtorica, nulla alia re magis continetur, quàm ſi oſtendas, cuius tandem iuris ſit ea lex, quę proponitur, põtificalis an ciuilis, publici an priuati, militaris an quæſtorij, de quibus idoneo loco tractatũ eſt. Ad Etymologicã pertinet, cauſas legũ & rationes conſectari, quę quidem tum finis ſunt, & principiorum iuris, tum aliarum etiam duarum partium, ex illis dependentium: nam quemadmodum in reliquis omnibus artibus, ita etiam hìc cõtingit, vt vna pars ſine alia non ſatis percipi & cognoſci poſſit. Analogicę partis eſt,
anti-

antinomias conciliare, quod quidem quẽadmodum recte fiat, satis est in superioribus à nobis traditum. Dispositio legum, vel secundum ordinem ipsius artis constituitur, vel secundum res subiectas, vel secũdum actiones, vel permistè. Secundum ordinem ipsius artis, compositus est liber Institutionũ ciuilium, qui primo loco tractat, de iusticia & iure. secundo, de personis & rebus, ac earum legibus. tertio, de actionibus & iudicijs. Ad rerum ipsarum ordinem, magna pars Codicis Iustiniani est conformata: nam in eo, separatim agitur, de rebus diuinis, publicis, priuatis, militaribus & quæstorijs. Ad actionum capita, præcipue redacta est, maior pars Pandectarum, siue Digestorum iuris ciuilis. quãquàm tamen, non male dici possit, librum illum, tanquàm perfectum & plenum, generum omnium participem esse, quemadmodum oportuno loco demonstrabitur.

DE IIS QVI LEGES SVSTINENT ET EORVM DIVISIONE.



NVNC illud sequitur, vt videamus, quẽadmodum illi porrò, qui iura sustinẽt, & eorum doctrinæ ac rationes, cũ hac quoque iuris arte ac facultate, congruant. Nam si, quemadmodum est apud Philonem, non vno in loco, ad moderandam gubernandamque Rempublicam, non solùm scriptis, aut in more positis legibus, quæ præceptis cogant & prohibeant: verùm etiam viuis & spirantibus, id est principibus & magistratibus, qui exemplo regant ciuitatem, indigemus: non abs re, vt opinor, facturi sumus, si post demonstratum vsum huius artis in legibus scriptis: simul etiam operam demus, vt & non scriptas seu loquentes leges, ad eandem quoque regulam accommodemus, & quibus doctrinis artibusque parati & expoliti, tum perfecti iureconsulti, tum principes, magistratus esse


pes & magiſtratus eſſe debeant, edoceamus. Certè nemo eſt, qui non intelligat, ſi modo memoriam temporum replicare velit, mores principum, pro regula quadam & lege ſemper habitos eſſe, & qualeſcunque ſummi ciuitatis viri fuerint, talem cunctam quoq; ciuitatē fuiſſe, & quæcunq; mutatio vitę, victus, & morū in principibus extiterit, eandem in populo ferè ſequutam. Item pluſquam manifeſtū eſt, per eos qui iuriſdictioni præſunt, effectum rei accipi, & parū eſſe in ciuitate ius reperiri, niſi ſint qui iura reddere poſſint: nec conſtare etiam poſſe ipſa iura, niſi ſint aliqui iuriſperiti, per quos quotidie in melius producātur. Ergo, quemadmodū in mutis legibus faciēdū cēſuimus, ſic etiā periclitemur in loquentibus, ecquid ad huius artis rationē, traduci & accōmodari poſſint? Tria diximus verſari in Republica, quibus vniuerſa iuris & legum condendarum ars cōtineatur: Ipſius per ſe boni & æqui cognitionem: diuinarum humanarumq; rerum, & iuſti ac iniuſti, per eas diſtributi, ſcientiam: fori deniq; ac iudiciorum vſum & exercitationem. Ad hæc tria, tria quoq; adhiberi hominum diuerſa genera certum eſt. Alij enim ſunt, qui ſapientia, calliditateq; præſtantes & ſolertia, tum conſulti & ſapientes, tum verò iuriſperiti nominantur. Alij verò, qui dominatu & authoritate potentes, partim principes, partim magiſtratus appellantur. Alij denique, qui vitæ ſobrietate, ac morum actuumq; omnium cōſtantia inſignes, aliàs Pontifices & ſacerdotes, aliàs Prætores & iudices dicuntur. Ab his tribus hominum generibus, non ſolùm omnium iuris partium, verùm etiam totius ciuitatis ac Reipublicæ rectio ſuſtinetur. Hi ſunt qui apud Romanos, σόφοι, magiſtratus, & pontifices: apud Iudæos, Prophetæ, Reges, & ſacerdotes, apud nos hodie, Doctores, Principes & iudices appellantur.

Nam quod Poëtę de Minoë Cretenſium rege fabulantur, quòd videlicet nouem annis à Ioue inſtitutus, leges tulerit, & Radamanthum cauſis diſceptandis iudicandiſque præfecerit: quid tandem aliud ſignificat, q̃ leges omnes

non

non ſcriptas, quas viuentes appellauimus, in iis qui ſapientia, authoritate ac iuſticia præcellunt, conſiſtere? Et certè initio cuiuſq; ciuitatis, nō ſunt olim apud maiores noſtros, leges conſtitutæ: ſed iuſticiæ fruendæ gratia, prudentes ac bene morati Reges electi, qui prohiberent iniuria tenuiores, contra eos qui maiores opes haberent, & à quibus premerentur, quique ęquitate conſtituenda, ſummos cum infimis & infimos cum ſummis, nō deſcriptis quidem legibus, ſed manu ſua regia, vt inquit Pomponius, retinerent. Tum verò demū ad ipſam legum ſcriptionem deuentum eſt, poſtquàm poſteriores principes, à patrijs virtutibus deficere, & pro libidine ſua magis, quàm pro æquitate, rem gerere cœperunt. De his ergo tribus hominum generibus, prudentibus ſcilicet, legumlatoribus, & iudicibus, ſic tractabimus, vt primùm aperiamus, & quomodo corrigi poſſint oſtendamus, vitia, quæ non ſolùm concipere ipſi ſolent, verùm etiam in totam porrò Rempublicam & ciuitatem infundere. Deinde autem demonſtrabimus, quod cuiuſque eorum ſit officium, tum in vita communi ac moribus, tum in fundanda regendáque legibus ciuitate: vnà pertractantes, quibúſnam tandem artibus doctriniſq; perfectos ac tinctos oporteat eſſe eos, qui ad exactam diuinarum ac humanarum rerum cognitionem, & totius adeò Reipublicæ moderationem, ſint peruenturi.

DE VITIIS QVÆ AB IIS QVI LEGES SVSTINENT, VITARI DEBENT.



PRIMVM autem & maximum vitium, quod omnes vbiq; Reſpublicas peruertit, in eo conſiſtit, quòd eos ad rerum publicarum, & legum tractationē adiungimus, qui vel à natura non ſatis ad eam rem formati, vel morum & conſuetudinum prauitate corrupti, & quaſi contorti ſunt. Quis non

intelligit, ciuitates omnes à nullis penitus alijs, quàm qui plenam perfectamque ipsius iusti cognitionem habeant, contineri? Quis non videt, ad ipsam speciem ideamque iusticiæ, non alium pertingere, ac ingenij sui acie peruadere posse, nisi cui aurum Deus, primo statim ortu, vt inquit Plato, infuderit? & diuinam quandam ingenij celeritatem & lucem circundederit? Si ergo ad eos rerum summa deferatur, quibus vel æs tantum, vel ferrum à natura datum est, quique tum propter ingenij tarditatem ad ea nunquam oculos attollunt, quę sola mente ac scientia præhendi, sed in sensum tantùm oculorum cadentia, probabilitate quadam animū pulsare, possunt: tum verò propter naturalem auri & argenti indigentiam, non tam ad salutem popularium suorū, quàm opum & honorum amplificationem respiciunt: si inquam ad eos Respublica & legis administratio deuoluatur, cui dubium esse potest, quin eam, partim ipsius summi boni ignoratiōe, partim pecuniarum & honorum cupiditate, confestim concussuri, & stirpitus euersuri sint? Qualia putas eos opinionū monstra, quales peregrinitates in Rempublicam infundere, qui in vmbras tantùm ac imagines intueri, & nunquam, nisi conniuentibus & caligantibus oculis, in ipsum veritatis solem, inspicere possunt? Quātas eos ciuitatum & populorum strages edere, qui cuncta non virtute, vt oportet, & honestate, sed diuitiarum tantùm abundantia, & honorum ambitione metiuntur, quique leges sacrosanctas, quarum publicè professionem sustinent, non à virtute, iusticia, honestate, prudentia, quemadmodum decet: sed à munusculis quæ percipiunt, & sordibus, & detestandis pecuniæ membris, in publica exedra iuuenibus laudare, non verentur? Hoc ergo primum & maximum vitium est in Republica, quod ad mysteriorum boni & æqui tractationem, admittuntur ij, qui neque ingenij qualitate ad ipsum vnquam bonum intelligendum, nec voluntate ad id quod iustum est, faciendum, peruenire queunt. Iam autem secundò, quòd etiam illi quos

natura habiles finxit & idoneos, partim doctorum negligentia, partim praua institutione corrumpuntur, & quo minùs ad maturam frugem assurgere possint, impediuntur: non in minorem reprehensionem, imo, si verum dicere volumus, multis partibus maiorem, incurrere debet. An est, quòd ab inerti & languenti ingenio, reipubl. magnopere metuamus? An est, quòd ab ijs magnas procellas ac tempestates rerumpubl. expectemus, qui neque solertes natura sunt, neque dociles? nullo modo. Quos natura callidos, versutos, sagaces, acutos, effecit: quos multiplices, prouidos, memores, plenos rationis & consilij finxit: ad eos, si non recta, vt oportet, & legitima disciplina adhibeatur, si doctorum vel socordia syluescant, vel peruersitate, à virtute, ad auri & honorũ cupiditatẽ, detroqueãtur: illi demum sunt, inquam, illi sunt, à quibus omnia ciuitatum naufragia existunt, quique sui commodi causa, cunctas nationes & populos commouere, leges omnes tam publicas, quàm priuatas perrumpere, & diuina pariter & humana miscere, non extimescunt. Quid quæso potest excogitari indignius, quàm præclara illa ingenia, quę ad rerum diuinarum perceptionem Deus erexit, & ad ipsius cœli, quasi cognationis domicilijque pristini conspectum excitauit, cum beluis & brutis animantibus, ad pastum abijci, & non vtilitatibus & commodis publicis, sed suis tantummodo ambitionibus inseruire ac honoribus, edoceri? Quid tandem in Republica perniciosius, quàm illos, quibus tum instituendæ, tum gubernandæ ciuitatis cura commissa est, non ad ipsius iusti & virtutis, discipulos suos & liberos, sed ad pecuniarum & honorum detestanda studia traducere? Ergo hoc secundum est in ciuitate vitium, quod quidem quouis hoste ac tyranno, multò sæuiùs ac atrociùs grassatur. Sed emanat ab isto secundo tertium, quod certè non minùs capitale est, ac pernitiosum. Ex ijs, quæ in superioribus sunt tradita, satìs intelligitur, neminem ad legum tractationem rectè accedere, & ad summam illam,

quam

quam quærimus, perfectionem peruenire posse, nisi qui priùs multis, & ijs magnis artibus, sit imbutus. Sine plena perfectaque vniuersæ philosophiæ cognitione, neque de diuinis, neque de naturalibus principijs, neq; de perfecta, neque de imperfecta Republica, potest iudicari. Sine antiquitatis cognitione, & rerum gestarum memoria, neque de externis principijs, neque de particularibus, neque de his, neque de illis hominum moribus & negotijs, potest tractari. Sine linguarum denique, ac omnium, quę ad humanitatem pertinent artium, cognitione, neque legi, neque intelligi, neque tradi, neque ad vsum deduci leges nostræ quibus vtimur, quæque summa elegantia conscriptæ, ac politissima arte perfectæ sunt, vllo modo possunt. Qui iam sunt (quæso) omnium eorum, qui se ad diuina iuris studia applicare cogitantes, priùs ad eas, quas commemorauimus disciplinas, adiungunt? Qui sunt, qui eas vel primis saltèm labris attingere ac delibare conantur? Profectò metuentes, ne per philosophiam, ab opum & ambitionum studijs retrahantur, non paucis quidem philosophantur, vt ille; sed nihil penitus. Multorũ populorũ mores, leges, & iura discere volẽtes, cũ id tempus requirere videãt & diligentiã, nihil prorsus attingunt eiusmodi, videlicet, ne cum prima statim ætate ad Rempublicam accedere in animo habeant (quod pessimi certè exempli est) quicquam inferatur obstaculi, quod liberum eorum cursum, & secundam nauigationem impediat. Quoniam denique cuncta illa, quæ apud interpretes iuris rèperiuntur, ex quibus magìs quam ex legibus ius dicitur, non eleganter, ornatè, propriè, pure, & illuminatè: sed potiùs cõtrà, horridè, incultè, confusè, perturbatè, impropriè, & vt semel dicam, indoctè tractata, & densissimis ab omni parte barbarię tenebris obsita vident: facilè adducuntur, vt sui compendij gratia, eas artes contemnant & negligant, ex quibus nullum lucrum sperare possunt. Pro philosophia cauillatricem quandam, non artem, sed peritiam addiscunt,

discunt, vt quod loquantur, habeant. Pro politicis disciplinis, adulationem, qua hominum studia se complecti & tenere posse arbitrantur. Pro puriore ac politiore doctrina, nihil aliud, quàm obscuram quandam ac fœdam barbariem sequuntur. Atque his quidem rebus fit, vt nec diuinas res commodè tractare sciant, vtpote quorum oculi ad eas, quemadmodum verspertilionum ad solem, caligant ac obscurantur: nec humanas, vt qui eas nunquã propius inspicere didicerint, nec deniq; ipsum quod profitentur ius ciuile, vt qui ijs artibus ac facultatibus infecti ac tincti non sint, sine quibus ius ciuile, nec intelligi, nec explicari potest. Verũ omne id quod in eorũ scientia versatur, nihil est profectò aliud, q̃ vel sophismatũ pro veris rationibus, vel inanium pro legibus authoritatum, ex se inuicem infinitè dependentium, connexio quædam & colligatio. Sed hæc quidem tria vitia sunt eorum, quæ ipsum iuris studium antecedunt. Iam ex hisce tribus vitijs, emergunt tria alia, quæ ipsam studiorũ rationẽ penitus peruertũt. Vnũ est, quod ipsum vniuersum legũ quasi corpus, nunq̃ cognoscunt pleriq; oẽs, sed circa particulas tantũ quasdã versantes, & nescio quã disputandi facultatẽ, sibi parãtes, in medium statim prorumpunt. Quid, an non hac ratione necessum est, vt multa legibus propalàm expressa reperiantur, quæ ijs nec audita sunt, nec cognita? An non manifestũ est, nunq̃ eos posse, totã aliquã, & perfectã formã ac speciẽ legũlationis, animo cõcipere? Pulchrè me hercule statuit Philo Iudæus, ita demũ ad magistratũ & iuris dicũdi officiũ admitti debere aliquẽ, si prius leges, non modo vniuersas perlegerit, verum in compendium etiam & breuiarium aliquod contraxerit. Et certe in hisce nostris ciuilibus & Romanis legibus, nihil est facilius, quàm totius libri Pandectarum siue Digestorum primum ordinem, quemadmodum idoneo loco periclitati sumus, comprehendere, & deinde, ipsas vniuscuiusque tituli leges, ad certa quędam capita, idque nulla penitus facta mutatione (in quo multi grauiter

uiter peccant) reuocare. Alterum vitium eſt, quod in enudandis explicandiſque ſingulis legibus, plerumque ſine arte ac methodo proceditur. Si verba ſpectes, nihil interpretibus noſtris, nec nudius, nec ſpinoſius, nec confragoſius, excogitari poteſt. Si viam ac rationem docendi, præter ſcopas diſſolutas nihil reperies. Si denique rem ipſam quam tractandam ſuſcipiunt, hoc pleriſque omnibus ſolẽne eſt, nihil ſuo loco dicere, omnia tractare, prçter propoſitum. Tertium vitium eſt, quod propter antiquitatis & primę iuriſprudentiæ, hoc eſt, philoſophię ignorationem, in mille peregrinitates interpretationum & abſurditates deducuntur. Ná quid opus eſt, nunc ea in medium proferre, quę vel ab ijs qui leuiter eas literas deguſtarunt, a quibus docti appellantur, animaduerti poſſunt? totus ordo iudiciorũ, omnes ſpecies actionũ, plurima genera cõtractuum & commerciorũ, infinita denique in nuptijs, tutelis, vſucapionibus, teſtamentis, & alijs conſimilibus, demonſtrant, non ſolúm ipſas leges malè à Barbaris accipi ac enarrari, ſed vniuerſam adeò rempublicam, ad eorum interpretationem ita mutatam & transformatam eſſe, vt veteris illius Romanæ reipublicę, vix vlla ampliùs apud nos veſtigia ſuperſint. Qua quidem re fit, vt tum in ſumma rerum omnium obſcuritate, quę, ſi veterem haberemus rempublicam, nulla eſſet, verſemur: tum verò, vt Romanæ leges, nõ tam reipſa nobis proſint & directò, quàm argumentatione tantùm & ſententia, per obliquum. Tractatus imperij & iuriſdictionis, quantas apud omnes interpretes turbas vbique det, nemo eſt qui ignorat. Id verò nulla alia cauſa contingere, quàm ob mutatam officiorum & iudiciorum rationem, vel illud ſolum argumento eſſe poteſt, quòd inter veteres iureconſultos, ne vnum quidem ea de re ferme verbum commutetur. Et quòd ea quæ de iudice dato, de mixto imperio, de ſarctis tectis, de interdictis, legibus paſſim noſtris adſperguntur, nullum nobis directum vſum prębere poſſunt, vel ex eo ſolo licet intelligere, quòd ordo

illc

ille magiſtratuum,ad quem illa referuntur,totus interciderit. Atque ita conſequenter indè conficitur,non ad aliud proficere nobis in ijs,leges Romanas, idq; primùm vitio barbarorum interpretum, quàm vt ex ijs argumēta quædam duci, & ſimilia tantùm componi poſſint. Verùm hæc de illis tribus vitijs, quæ totam rationem ſtudiorum & ſcholarum inficiunt.Superſunt totidem,& in ipſo quoq; foro, ac gubernatione ciuitatis vitia.Nam prętcr hoc,quòd magno totius Reipublicæ detrimento, nō experientes homines, ſed rudes: nō docti,ſed indocti: non graues,ſed leues:nō ſenes,ſed pueri,frequenter accedunt ad Rempubl.quid? an hoc primùm tolerandū eſt,ꝙ ineruditi alicuius barbari interpretis aſſertioni,plus momenti & ponderis in iudicijs,quàm vel manifeſtę legum authoritati,vel rationum cum legibus coniunctarum grauitati,nonnunquam tribuitur? Quid ſit legum ſacroſanctam voluntatum prodere ac perrumpere,non ſatìs ſcio, ſi hoc non eſt. Idem puto iudicandum, & de illo altero, quòd tanta interpretantium multitudo, contra manifeſtam Iuſtiniani voluntatem, toleratur, quodque illorum opiniones & ſententiæ,non rationum & legum pondere, ſed ſolo numero æſtimantur. Cui & hoc accedit tertium,quod ipſarum legum ciuilium cuſtodiam, & publicis literis conſignatam memoriam publicam,nullam habemus. Nā ita fit,vt cùm non à nomophylacibus,quemadmodum apud Gręcos, ſed à librarijs tantùm, leges petere poſſimus: nūquam ſatìs de ipſa lege conuenire queat, & non tam certis & deſcriptis legibus degere, quàm pragmaticorum, & leguleiorum hominum commentis viuere, dici debeamus.Sed de ijs vitijs, que tum incœpta eorum qui leges ſuſtinent,tum verò ſtudia & iudicia perturbāt,iam ſatìs,vt puto,dictum eſt.Nam ꝙ ex ijs omnia porrò ſcelera,ſicæ,venena,falſa teſtamēta naſcūtur,quòd inde furta, peculatus, expilationes ſociorum & ciuium, opum nimiarum potentiæ non ferendæ,poſtremò etiam in liberis ciuitatibus regnandi cupiditates,& legum con

tortiones existunt, quibus nihil nec tetrius nec fœdius excogitari potest: quid est opus, pluribus hoc loci cōmemorare? Ipsa enim quotidie res & vsus docet, etiam eos qui mediocres sunt, & non omnino hisce vitijs infecti, à vera perfectaque Reipublicæ rectione, longissimè abesse, nec posse populos reuera sanare, sed tanquam imperitos medicos, in suis imperfectis moribus, tanquam ægrotantium quibusdam lectulis, vt inquit Plato, languentes conseruare. Nam si quis est ferè de decē milibus, qui summo Dei munere, (nam humanis studijs id fieri non potest) purus & syncerus euaserit, & ex hisce vitiorum, tanquam tempestatibus quibusdam & naufragijs elapsus, ad perfectam boni & æqui cognitionē peruenerit: si quis inquam talis reperiatur: is vel confestim, cùm nullam nefariam cum alijs societatem vult inire, non aliter atq; homo, qui in feras incidit, dilaniatur & perit: vel nullum studio sapientiaq; sua, dignum reportat fructum, ob id, quòd pura synceraque philosophiæ præcepta, in communes hasce Respublicas incidentia, non aliter atq; peregrina semina, in alienum solum iniecta, degenerant, & amissa propria virtute, in aliam quandam speciem formamq; transmutantur. Atque hæc videns ille, nihil putat esse satius, quàm ab harum rerum inferiorum tractatione, se abducere, & ad vmbratilem ac tranquillā vitam perfugere, atq; alios porrò omnes, vtì idem imitentur, etiam atque etiam admonere. Quasi scilicet, cùm ea, quæ perfecta expletaque sunt, obtineri in populo non possint, satis sit, tanquam in procella, dum turbine cœlum ac ventis, & pulueribus agitatur, intra parietes domi tuto se continere, & dum alij nunc his nunc illis scelerum fluctibus obruuntur, & sursum ac deorsum iactantur, ita se collocare, vt intrò se recipiat, & purus ac integer permanens, in summa mentis tranquillitate, sedataque constantia degat, & decursis vitæ suę spatijs, cum bona tandem spe, hilàris ac pius decedat.

DE OFFICIO EORVM QVI LEGES SVSTINENT, ET DE ARTIBVS QVIBVS INSTRVCTI ESSE DEBENT.



VNC ſequitur vt videndum ſit, de officio tum Iureconſulti & legumlatoris, tum verò iudicis: & quibus diſciplinis ac artibus formati, expolitiq́; eſſe debeant. Perfectum Iureconſultum vocamus non eum, qui vel pragmaticus, vel leguleius, vel preco aliquis actionum, vel cautor formularum, vel auceps ſyllabarum ſit, vel in huius aut illius ciuitatis regioníſue moribus & legibus verſatus: ſed qui omnium diuinarum & humanarum rerum notitiam, & iuſti & iniuſti per eas diſtributi, ſcientiam poſſidet: idque ſiue apud hos, ſiue apud illos populos degat, ſiue de rebus diuinis & humanis exterioribus, ſiue etiam de interioribus tractetur. Officium verò eius ac munus, longè ſanè ac latè porrigitur, & per omnes omnino Reipublicæ partes ac membra diſpargitur. Diuiſam conſtat eſſe totam ciuitatis informationem, tum in eam partem, quæ in doctrina inſtitutioneque, quemadmodum author eſt cum Platone Xenophon, verſatur, tum in eam, quæ regendæ gubernandæque ciuitati præſidet, quæ quidem vel ad principes pertinet, vel ad ſubditos, vel ad medios, inter principes & populares, magiſtratus, ſiue iudices. Ad has omnes partes, ſic vocatur Iureconſultus, ſiue ſapiens, vt nulla ſit omnino pars, quæ illius beneficio, vacare vel carere poſſit. Primùm in inſtitutione ſic debet verſari, vt ea quæ procemia legum à Platone vocari diximus, qualia ſunt. quæ ad temperantiam, fortitudinem, prudentiam, iuſticiam, & omnem denique virtutem pertinent, non ijs tantùm qui ad Rempublicam acceſſuri ſint, ſed toti ſæpe populo proponat. In ijs, quibus hodie viuimus, legibus tradendis, ſic progredietur, vt primo loco libros Inſtitutionum tradat, qui præexercitamentorum

loco sunt. Secundo, Digestorum siue Pandectarum, qui vniuersam, & omnibus suis numeris absolutam legum traditionem continent. Tertio, Iustinianæi codicis & nouellarum, qui multa supplent, corrigunt, & emendant, de prioribus. Sed hîc sunt obseruandi, quatuor ipsius lectionis quasi gradus. Prima lectione satis sit, voluntatem & sententiam legislatoris in plerisque assequi: quod quidem ita poterit obtineri, si tum verba diligenter explicentur, tum verò à generalibus ad specialia pedetentim fiat profectio, & principiò quidem omnium titulorum, tum connexio, tum explicatio, in vnum quasi conspectum proponatur: pòst deinde verò, eorum quæ sub titulis traduntur, partim secundum quæ suprà memorauimus, diuisio, partim enarratio quædam, facilis & expedita, exhibeatur. Secunda lectione, paulò altiùs est assurgendum, & non solùm in id quod vult legumlator, sed cur ita velit, & quam causam ac rationem in singulis habeat, inquirendum. Ad quam quidem rem, mirificè conducit, subindè legum ipsarum inter se collatio, subindè præceptionum philosophicarum, & ipsius antiquitatis cognitio. Estque non tantùm in nonnullis quærēdum, cur hoc vel illo modo sit aliquid constitutum, sed etiam quæ dubitandi & ambigendi ratio esse possit. Tertia lectio, ad legum prima specie discrepantium conciliationem nititur, quæ quidem conciliatio, nō solum hoc efficit, vt ipsa iuris quasi harmonia intelligatur, verùm etiam, vt quid quaque lege dicatur, & quā rationem habeat, plenè tandem ac perfectè, sine vlla hæsitatione cognoscatur. Sed est ad illam rem necessaria, summa in distinguendis separandisque speciebus subtilitas, quæ plerumque quidem ex verbis ipsis, quæ diligenter intuenda sunt, nonnunquam verò ex positu legū & ipsis titulis, sub quibus leges continentur, capi debet: adferuntque ei rei multum lucis, partim disputationes scholasticæ, partim interpretationes nostrorum prudentum, quas quidem hactenus puto recipiendas, vt ne ipsius veritatis indagationi quid-

quam

quam adferant præiudicij. Quarta denique lectio, ad ipſum fori vſum, & ipſum puluerem ac ſolem ſe præparat. Intellectis enim probè legibus, è re fuerit, vt ſua ſponte quis exſpaciari, & ſuo marte pedem proferre incipiat. Nam cùm notiſſimum ſit non ita leges ſcribi poſſe, vt omnes caſus, qui quandoque incidere queant, comprehendantur: huius quartæ lectionis munus eſt, eas ſpecies, quę inter manus quotidie verſantur, cum ijs, quæ legibus propalam expreſſæ ſunt, componere: & quomodo ab ijs quæ ſcripta ſunt, ad ea quę ſcripta non ſunt, argumenta duci poſſint, indagare. Atque in hac quidem re, ſic poterit progredi, vt aliàs quoddam ſibi iuriſprudentiæ breuiarium faciat, quemadmodum Philo præcipit, aliàs verò, locos quoſdam communes, in quos cuncta negotia conijcere poſſit, conſcribat. Nam hac ratione conſequetur, vt & ea quæ legibus deſcripta ſunt, & ea, quæ in res quotidianas incurrere ſolent, ad manum habeat.

Verùm hæc hactenus de illo iuriſperiti officio, quod ad erudiendam informandamque ciuitatem pertinet. Nunc autem, quid principi ac populo iudicibuſque prędstare debeat, non eſt in obſcuro. Si enim legibus munienda fundandaque eſt ciuitas, quid? an alium adhibebimus principi ciuitatis, quàm qui ſciat, vt inquit ille, Publica priuatis ſecernere, ſacra prophanis, Concubitu prohibere vago, dare iura maritis, Oppida moliri, leges incidere ligno? Si leges conditæ, vel in ordinem includendæ, vel corrigendæ, vel amputandæ, vel explicandæ, vel aliquo denique modo interprętandę ſunt, nónne illum adſciſcet ſibi princeps, qui iuris nodos, & legum ænigmata callet? Quantum autem populo exhibeat conſultus, vel ſola, vt inquit Cicero, Quinti Mutij ianua, teſtis eſſe poteſt, quę etiam in infirmiſſima eius valetudine, affectaque iam tum ætate, maxima quotidie frequentia ciuium, & ſummorum hominum ſplendore, celebrari ſolebat. Sed eſt diligenter ab ijs, qui ſe conſultoribus præbent, cauendum, ne ad gratiam eius, qui conſultationem proponit,

 reſpō-

respondeant, néue eum quem adiuuare debent, decipiant, & in sumptum inanem conijciant. Quod quidem multò religiosiùs custodiendum est, in ijs responsis, quibus ad ea, de quibus iudex ambigit, respondetur: quæ quidem responsa, quoniam ipsius rei iudicatæ instar obobtinent, non debent solis interpretum opinionibus & sententijs, sed vel ipsis apertè legibus, vel manifestissimis secundum leges rationibus, esse subnixa. Nunc transeamus ad ipsius legumlatoris officia. Nam eius primum, & haud scio an maximum, munus est, vt omnibus, qui in ciuitate sunt, specimen sit, vt inquit Cicero. Nam quemadmodum cupiditatibus principum & vitijs, infici solet tota ciuitas: sic contrà, emendari & corrigi, continentia. Et certè, in ijs, quos Philo leges non scriptas vocat, hominibus, in quibus est Abraham, Iacob, Ioseph, cum nonnullis alijs, hoc licet passim in sacris literis obseruare, quòd ad eorum vitam & rationem, omnes pòst deindè posterorum mores, tanquam ad certam legem & regulam, exiguntur. Atq; id adeo est, quod nos ex Diuo Paulo ferè dicimus: Omnem Christi actionem, nostram esse institutionem. Alterum legumlatoris officium est, vt in conscribendis legibus & moribus ferendis, prudenter ac prouidè versetur. Nam quemadmodum pictores tabulam, priùs quàm pingant, abluunt, expurgant, abradunt, ita & oportet eum, qui leges populo laturus sit, ante omnia præcidere, auerruncare, & stirpitus euellere id, quod prauum in eo est & vitiosum.

Videturque non alio consilio populum suum Moses, iussu Domini ab omnibus gentibus segregasse, ac in vastas solitudines abduxisse, quàm vt eam integram, puram, synceram, & ab omnibus aliorum hominum vitijs alienam, haberet, priusquam ad leges ferendas, & Rempublicam conformandam accederet. Quantum autem ad ipsas leges attinet, sic statuet, vt se, non pro ipso legum authore, sed authoris Dei interprete ac instrumento, habeat: cogitans, cor regis in manu Domini

esse: & Mosen, non ipsum per se, sed dictante Domino, leges suas conscripsisse. Nam hoc illud ipsum est, quod vult Homerus, cùm sceptrum Agamemnonis, non ab hominibus, sed à Dijs immortalibus fabricatum, & ab ipso Ioue, per multas manus ei traditum, fabulatur. Iam verò legum ordinem sic disponet, vt primò certa quædam, & ea pauca capita constituat, ex quibus omnes porrò leges inferiores, tanquam ex suis fontibus emergant, & effluant, & ad quæ, tanquam ad sua capita, certo quodam ductu ac serie, reduci ac reuocari possint. Sic enim in iure Romano, quod duodecim tantùm tabulis initio contineri solet, factum esse, nemo dubitat. Sic Mosaicas leges vniuersas ad prima decem præcepta reuocari posse, & Philo scriptum reliquit, & omnes intelligimus. Sic denique cunctam legem & prophetas, duobus Christi præceptis comprehendi, ipse Christus author est. Nunc autem post leges conditas, si videat aliquid desiderari, prudens legislator, id pro rerum & temporum ratione ac necessitate, tum supplebit, tum corriget, tum mutabit: sciens propter rerum humanarũ instabilitatẽ, fieri nõ posse, vt omnes semper leges inferiores, firmę ac fixę maneant: sed opus esse, vt is, qui artem regendæ gubernãdęue nauis habet in Republica, & leges tenet, mutatis personis, locis, & temporibus, quasi ventis & tempestatibus, & deficientibus scriptis legibus ad artem suam confugiat, & scriptas priùs leges, quatenus in ijs desiderari aliquid videtur, in melius producat. Atque ita quidem decedens, nõ solùm leges publicè latas populo relinquet, sed ipsam artem etiam condendarum legum, quibusdam quasi per manus tradet, vt videlicet per eos, tum ea quę redũdant, detrahi: tum verò quę desunt, adijci: tum denique quæ collapsa sunt, quemadmodum in picturis, reformari, & in integrum restitui possint. Sequitur officium iudicis, quod quidẽ partim in eius persona spectatur, partim in custodia legum, partim in causarum tractatione. Si de moribus.

bus eorum quęras, qui rebus iudicandis præſident, regula Philonis Iudæi eſt, vt ab omni animorum perturbatione, quæ à ratione ſit auerſa, & ab omni genere vitioſitatis, quo vulgus implicari & infici ſolet, ſint liberi: vtque non ſerendis litibus & producendis, ſed amputãdis potiùs & per arbitros componendis, operam nauent; non ſolum abnuentes ea munera, quæ pro rebus malè iudicandis, verum etiam quæ pro bene iuſteque definiendis, offeruntur. Si de ſtudijs eorum & diſciplinis, præcepit ex Moſe idem Philo, vt primo magiſtratus ſui anno, breuiarium ſibi vniuerſæ legis cõficiant, & propria ſua manu deſcribant, idque eo potiſſimum conſilio, vt omnia ſemper legis capita, añ oculos cõſtituant, & in ijs probè percipiendis & iudicijs accommodandis, omnes ſuas cogitationes curasq; ponant. Porrò autem, quantum ad ipſas leges attinet, illud etiam atque etiam ad curam ſuam reuocare debet legum cuſtos, ſiue iudex: vt eas ſarctas tectas, & integras conſeruet, nihil eorum permittens, vel mala conſuetudine deleri, vel obliuione obrui, vel negligentia intercidere, vel malitia corrumpi, vel alio denique atque alio modo peruerti. Nam quòd Talus per omnes vbique pagos proficiſci ſolet, & leges æneis tabulis inſculptas circumferre, luſtrans, ecquid alicubi mutatum, vel corruptum, vel minùs obſeruatum in legibus eſſet, manifeſtè argumẽto eſt, id vnicè iudici curę eſſe debere, vt ne quid à lege detrahatur, neue quid ſecùs, quàm illa velit, perpetretur. Nam quòd ex bono & æquo ſubindè quid ſtatuere conceditur, longè alia res eſt, nec debet hoc ſibi iudex, niſi exſtrema vrgente neceſſitate, aſſumere. Circa cauſarum tractationem, duplex prodita eſt regula. Vna eſt, vt nulla perſonarũ ratio habeatur, nec pro paupere, nec pro diuite, nec pro nobili, nec pro ignobili, nec pro amico, nec pro inimico, nec pro coniũcto, nec pro alieno: ſed pro ipſius cauſæ tãtùm & negotij iuſta ratione, ac merito iudicetur. Altera, vt ſi qua ſit grandior cauſa, ea per ipſum iudicem expediatur: ſi qua

vero

verò leuior, vt ad inferiores & pedaneos iudices reijciatur. Et vocantur quidē grauiores causæ, nō ille quidem, quæ de magna aliqua pecuniarum quantitate inferuntur, vel quę ad potentiores, honoratioresque, aut locupletiores pertinent: sed quæ viduas, pupillos, aduenas, & alios miseros & oppressos attingunt, quique hominum auxilio destituti, ad solum iudicem, tanquam ad ipsum Deum, confugiunt. Sed hæc quidem breuiter sufficiat perstrinxisse, de muneribus ac officijs eorum, qui pro legibus non scriptis habentur, quique vel prudentis in Republica, vel legumlatoris, vel iudicis locum obtinent. Iam autem quantum ad artes & disciplinas attinet, quibus perfecti & instructi esse debent: tria sunt omnino doctrinarum genera, quæ in perfecto, vel Iureconsulto, vel principe, ac iudice requiruntur. Vnum quidem genus est humanū: alterum diuinum: vltimum ex vtroque genere mixtum. In humanis primum est, vt quis se ipse, quemadmodum Apollo præcepit Pythius, cognoscat, & nec in fortunæ, nec corporis bona, sed ea tantum, quæ ipsius animi sunt, intuens, semper diuinum se aliquid habere sentiat, & ingenium in se suum, sicut simulachrum aliquod, ad omne genus virtutum, publicarum pariter ac priuatarum, fabricatum ac dedicatum existimet. Secundum verò, vt vniuersa rerum natura, & omnia ea, quę occulta, & ab ipsa natura inuoluta sunt, percipiantur. Nam qui sic est informatus, vt iam cœlum, terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit, eaque, vnde generata, quo reditura, quando, quomodo obitura, quid in ijs mortale & caducum, quid diuinum æternumq; sit, viderit: is demum aptus & idoneus est, qui de varijs rerum naturis, quæ in communi vita euenire solent, existimet: quēadmodum is, qui se tentatum & exploratum habet, de ijs quæ politica sunt, & ad mores pertinentia, diiudicare potest. Tertium denique est, vt omni liberali ac eleganti doctrina, & omni parte sermonis humanitatisque sit expolitus. Nam qui de vectigalibus, commeatu, bello, pace, ac

alijs

alijs similibus dicturus est, vel in senatu, vel cum populo deliberaturus: eũ partim antiquitatis & rerũ gestarũ cognitione, instructũ esse oportet, partim orationem habere cõpositam & ornatá, & artificio quodá & expolitione distinctam. Sed hæc de humanis artibus. In diuinis autem vnum illud spectatur, vt à corporis obsequijs indulgentiaque quis decedens, & voluptatẽ omnẽ sicut labem aliquam decoris opprimens, omnemque mortis dolorisque timorem fugiens, verum Dei cultum, & puram religionem suscipiat, & in ipsum summum bonum, quod perfectũ & expletũ, & ab omni parte beatũ sit, intueatur. Nam quemadmodum per artes humanas, ea discimus, quę fragilia sunt, & in casu posita, quęque in sensum oculorum cadentia, nihil aliud nobis, q̃ opinionem adferunt: ita per artes diuinas, & per summi boni contemplationem, ad ea cognoscenda deducimur, quę stabilia perpetua, ęterna, & sine vllo tẽporis principatu & occasu sunt, quęq; in mentem tantũ & rationem cadentia, veram nobis & absolutá scientiá pariunt. Nam quod solis fulgor & radij præstãt oculis, ita vt cernẽdi prospiciẽdique facultatẽ acquirãt: hoc summi, quod dico, boni lux & splẽdor, tribuit mẽti ac animo: ita vt ab eo, veri falsique dijudicãdi, & quę bona sunt deligendi, quę contraria reijciendi, facultatem accipiat. Profectò, quemadmodum ea, quæ in communi hominum vsu & tractatione versantur, & item ipsi homines, cum cæteris animantibus, à pictoribus exprimuntur, & omnibus suis, tum coloribus & figuris, tum verò membris, articulis, & lineamentis depinguntur, ita tamem vt multum inter res ipsas & pictas sit discriminis: sic etiam hæc omnia, quæ artibus humanis continentur, collata cum ijs quæ diuinis, vmbrarum tantùm & imaginum instar obtinent, ita vt in ijs, ipsę verę perfectæ, & omnibus suis numeris absolutæ res sint, apud nos verò, inania tantùm simulachra, & vmbrę vagentur, quæ ad eorum, quæ in intellectu cõsistunt, imitationem, sunt effectę. Iam autẽ tertiũ genus artium,

quod

quod tum diuinę naturę, tum humanæ particeps est, & vtriusque quasi vinculum, propriè naturam attingit humanam. Nam homo, partim mortale corpus circunferens & caducum, quod quidem illi cum beluis & brutis animantibus est commune: partim verò ratione vtens ac intelligentia, quod eum Dijs immortalibus, parem & æqualem effecit: illā sortē ac conditionē nactus est, vt pręclara quadā ratione, diuina cum humanis, & contrà, humana cum diuinis, coniungere sciat & cōnectere. Et certè, quoniam animus noster, partim ex substātia cōpactus & cōglutinatus est, partim ex altero & eodē, idque secundum varias & diuersas proportiones: non est vllo modo dubiū, quin ad diuinorū & humanorū connexionē faciendam, data sit nobis Dialectica, quę administris vtens mathematicis proportionibus, hoc solū sibi habet propositum, vt in quaq; rei inueniat, quæ cuiusq; rei sit substātia, quid cū alijs habeat cōmune, quid tandem sibi proprium, & ab omnibus segregatum. Si ergo talis aliquis reperiatur, qui primum omnibus inferioribus & humanis artibus, quæ quidem ad Rempublicam regendam faciunt, sit instructus & paratus: deinde qui diuinas & ęternas res omnes, cognitas ac perceptas habeat: tertiò denique, qui ijs disciplinis sit imbutus, quæ ad diuinarum ac humanarū rerum colligationem sunt concessæ: is est, qui pro vero ac perfecto iurecōsulto, legumlatore, ac iudice, probari potest: cuique vni, votis & suffragijs omnium, tota ciuitas & Respublica committi debeat. Nam is ille est, qui à rebus sensum commouentibus, ad mores & officia, & à moribus & officijs, ad scientias & doctrinas, & à scientijs & doctrinis, tandem ad ipsum summum rerum omnium fabricatorem & architectū Deum adscendere, & rursum per totidem gradus, luce ac splendore rerum diuinarum, ad caliginem & tenebras rerum humanarum illæsus descendere sciat. Et sanè si talis aliquis nanciscatur Rempublicam, is primò quidem omnium,

quem-

quemadmodum boni pictores facere solent, expurgat suis sordibus, ac eluit ciuitatem, tanquam tabulam. Post deinde verò, subindè ad Deum ipsum, & quod reuera iustum, honestum, decens est, subindè ad homines & eorum naturam respiciens, atque id persæpè vltro citroque faciens, non antè conquiescit, quàm nunc delineando, nunc articulando, nunc colores inijciendo, nunc iterum expungendo, nunc corrigẽdo denique, hoc effecerit: vt humani mores, diuinæ respondeant voluntati, & tota adeò Respublica, nihil sit aliud, quàm viua quædam & expressa, quemadmodum oportet, imago Dei.

FINIS.

D. O. M.

IOACHIMI HOPPERI PHRISII IVRECON-SVLTI,

AD PANDECTAS IVRIS CIVILIS Libri duodecim.

LIBER PRIMVS.



BSOLVTIS ijs libris, quibus ipſam condendarum legum artẽ, ac rationẽ, ipſaq; prima quaſi ſemina lineamentaq; Iuris adũbrare conati ſumus: cõſequens eſſe videtur, vt poſt deinde, quẽadmodum polliciti ſumus, ad ipſius Iuris Ciuilis, quo vtimur, explicationẽ ac enarrationem veniamus. Et quidem quemadmodum in reliquis diſciplinis omnibus vſu venit, vt à generibus ad ſpecies, & à præceptionibus artis, ad exempla, quorum lumine præceptiones illuſtrari confirmariq́ue debent, proficiſcamur: ita etiam hîc è re futurum videtur, ſi poſt cognitam & perceptam communem illam, & per omnes vbique populos pertinentem Iuriſprudentiam, poſtq́ue enudatas generales illas artis regulas, quibus iuris & legum confectio continetur, nunc porrò deinceps, de iure ciuili Romanorum, quod ex illo iure vniuerſo dependens, ſecundum illius regulas, arte quadam adhibita, confectum & conſtitutum eſt, exponatur. Ac eſt ea quidem res, non exiguum nobis fructum (niſi vehemẽter fallor) allatura, Primum enim, quia certũ eſt, cognitionem illam fluxam ac inſtabilem eſſe, ac tanquam Dædali aliquam ſtatuam fugacem, quæ non ſit cauſarum & rationum, ex intima natura depromptarum ſciẽtia, quaſi vinculo ligata; vtique futurum eſt, vt ſi intellexerimus

quibus vnaquęque lex ciuilis, rationibus ac fundamentis, in natura nitatur, quaque arte sit ex ea expressa: non errantem nobis aliquam & vagam, sed perfectam iuris ciuilis ac plenam & constantem scientiam pareamus. Praeterea per contrarium, quoniam ea demum ars ac scientia vere confirmata, in animo nostro, ac confecta dicitur, quæ iam exemplis illustrata, & experientia comprobata sit: hoc etiam nobis exhibebit hæc institutio, vt quas prius præceptiões nudas ac vniuersales didicimus, hac via reb⁹ ipsis accõmodare, ac ad singulas leges, ac species facti, transferre discamus. Postremò, cum is demum reuera in Iureconsultorum numero sit reponendus, qui arte vniuersa percepta, cognitisque legibus suæ gentis, & vsu ac exercitatione capta, tantum sibi facultatis comparauerit, vt non ad singulas species, alios consulere, quod quidem infinitum est, cogatur, sed ipse sua sponte de iure respondere, ac Marte, quod dicitur, proprio, se consultoribus præbere queat: non puto equidem alia ratione ac via, quàm isthac, ad tantam præstantiam ac excellentiam perueniri, aut certe quamproximè accedi posse. Quanquam tamẽ non ignorem, tantis esse res humanas obsitas difficultatibus, tantasque rebus omnibus circumfusas esse tenebras, vt homines etiam exercitatissimi, in nonnullis causis, ancipites trahantur, & propter diuersa rationum hinc inde pondera, ac momenta, nunc ad has, nunc ad illas opiniones, se conferre compellantur. Sed accedamus ad id quod instat, & primo quidẽ de vniuersis, post deinde verò, de singulis dicamus.

Libri iuris ciuilis omnes (vt hinc exordiar) triũ sunt, omnino generum: alij sunt, quos Isagogicos licebit appellare, qui quod rudem quãdam, & inchoatam iuris descriptionem continent, Institutionum nomen acceperunt: alij quos proprio nomine legales, quibus à plena perfectaq; legum cõprehensione, Digestorũ seu Pandectarum appellatio collata est: alij deniq; quos Emẽdationũ, quibus, quod multa nouant ac emendant de prioribus, Nouella-

uellarum nomen est impositum. Namquantum quidem ad Codicem Iustinianęum attinet, is hactenus cum veteri iure censendus est, quatenus veteres principum constitutiones, quas seorsum positas Iustinianus voluit, in se cludit: hactenus nouellis aggregandus, quatenus decisiones illas quinquaginta, cum nonnullis alijs nouè positis legibus, complectitur. Et est quidem hic librorum numerus, non temerè, nec fortuitu, sed certa quadam ratione constitutus. Nam è maiori legum volumine, breuiarium aliquod decerpi, quod rudibus ad primam conformationem, prouectis, ad memoriam seruiat, etiam Moses lege lata præcepit. Librum aliquem emendationum haberi, partim ipsius humanæ naturæ fragilitas suadet. nam non omnibus omnia Deus contulit, sed priores cogitationes, per posteriores adiuuari, ac ad maiorē plenioremq; perfectionem, paulatim adduci voluit: partim ipsarum rerum, quas quotidie natura protrudit, varietas requirit: nam quæ post emergunt, nouo, inquit Iureconsultus post Platonem, indigent auxilio. Sed tractemus, quęnam tandem sit inter hæc tria genera librorum, differentia, & quę Pandectarum, siue Digestorum dignitas sit, ac pręstantia. Ac quantum quidem ad Institutiones attinet, eas hac moderatione delibauit, ac desumpsit Imperator ex Pandectis, vt nec in quæstionum difficultates intret, nec in forensium rerum fluctus se immergat: sed propositis præcipuis iuris capitibus, satis habeat, in nonnullis demonstrare, quæ vocabulis iuris ciuilis subiecta sit significatio, quod quidem proprium est pręexercitamētorum: in nonnullis, paucis ostendere, quæ sit nuda simplexque legis sententia, quod ad elementa pertinet. In quibus etiam hoc diligēter obseruatur, vt ne vnū cū alio misceatur, nec cuiusq; negotij actio, cū ipsa re cōfundatur, sed vniuersus potius actionū tractatus, à personis & rebus, declinādę obscuritatis gratia, segregetur: quod quidē lōge diuersum est in Pādectis. Nā in his, quoniā hoc agitur, vt cum ipsarum legū traditione (quod propriū est plenè cumulateq;

perfectæ artis) tum quæstionum varij nodi extricentur, cum vsus etiam forensis ratio implicetur: talis ordo custoditur, vt is nō ad naturalia iuris capita, personarū, rerum & actionum: sed ad vsum magis & cursum forēsem, & ipsarum actionum seriem, accommodetur. Et ideo primo quidem loco, tractatur de his, quę ad ingressum iudiciorum pertinent: secundo, de ipsis iudicijs ciuilibus, prætorijs, & criminalibus: tertio de prouocationibus, & alijs, quæ post rem iudicatam expediri solent. Atque hac quidem etiam re contingit, vt quæ in libris Institutionum, propter naturę propinquitatē copulata sunt, ea in Pandectis propter iudiciorum, ad quæ referūtur, diuersitatem, longè longeque deiungantur. Et quidem cum de obligationibus omnibus, quæ vel ex delicto, vel ex contractu cōsistunt, vno eodēq; tenore ac ordine, in Institutionibus pertractetur: in Pādectis tamē, eas ipsas diuulsas & quasi discerptas videmus. nā si iudicia spectes, earū nōnullæ sunt ciuiles, de quibus sub titulo, de rebus creditis, agitur: nōnullæ prætoriæ, de quibus sub tractatu, de verborū obligationibus: nonnullę criminales, de quibus vna cum priuatis delictis, & item cum iudicijs, explicatur. Et hæc quidem, si à nonnullis fastidiosis, & nimis delicatis rerum ęstimatoribus, diligentius attenderētur, intelligerent profectò, non tam sibi de noua iuris methodo, quam reuera nullam tenent cōstituenda, quàm de vetere confirmanda explicandaq;, cogitandum esse. Codex Iustinianæus, in plerisq; quidem omnibus, deficit à summa illa Pandectarum & expleta, nihilq; requirente perfectione, sed exsuperat tamē & antecedit in nōnullis. Nam perpetuus ille contextus rerum, & continuata series, qua extrema primis, & media vtrisque admirabiliter respondent in Digestis, abest quidem à constitutionibus principum, nisi q, in ordine rescriptorū à prioribus principibus, ad posteriores fiat progressio: sed hoc tamen est, quod habent eximium, quod derelictam in veteri prudentia iuris publici descriptionem, quæ religionum sanctita-

te, &

te,& magiſtratuum authoritate continetur,nobis exhibeant, quodque nonnullas Pandectarum rubricas ſingulares, veluti de minoribus,de iudicijs,de vſucapionibus, & alias ſimiles in plures tractatus ac titulos minutatim diſtribuant ac diffindant. Hiſce verò duobus exceptis, tantum porrò eſt,inter Codicem Iuſtinianæum,& Pandectas iuris diſcriminis, quantum inter id, quod acceſſionis tantum vicem ſubit, & id quod principem locum obtinens,numeros omnes perfectionis habet, diſcriminis eſſe ſolet.Ac eſt Pandectarum quidem nomen,quo & alij nonnulli ante Iuſtinianum Iureconſulti vſi ſunt,inde profectum, quòd omnia hiſce libris iura comprehendantur, ſiue ea publica ſint, ſiue priuata, ſiue pecuniaria, ſiue capitalia,ſiue ciuilia,ſiue prętoria,ſiue ordinaria,ſiue extraordinaria,quodq; nulla ſit, ab vrbe condita,ſpecies iuris ciuilis prodita, à qua non ſit aliquid, quod quidem temporibus Iuſtiniani cõueniret,decerptum, & in hoſce libros trãſlatum, idq; ſiue ſpectes vetuſtiſſimum illud ius Papyrianum,cuius ſub titulo,de verborum ſignificatione,cap.centeſimo quadrageſimoquarto,mentio habetur, ſiue ius duodecim tabularum, cum quo cohærent leges, plebiſcita,ſenatuſconſulta,placita principum, prætorum edicta,& reſpõſa prudentum,ſiue denique morem maiorem,& longam conſuetudinem. Digeſtorum appellatio tracta eſt, à perpetua illa rerum iunctione ac nexu,quo alia hoc in libro texuntur ex alijs,& in vnam aliquam ſummam, induſſolubili vinculo coaptatam,concluduntur. Et eſt quidem hæc tam rata continuatio,præcipuè ad edicti perpetui ſeriem,quam Saluius Iulianus Iureconſultus fundauit,conſtituta,ſed aliorum tamẽ etiam monumentorũ iuris acceſſione locupletata.Nam quod ab editione actionis ac inſtrumentorũ,ad ipſam deniq; appellationem, per omnia genera iudiciorum decurritur, eſt id quidem,ex illo quod dico perpetuo edicto depromptũ: ſed quod his præponitur tractatus de iuſtitia & iure,deq; duobus iuris ſubiectis perſonis ac rebus,& item de ma-

giſtrati

giſtratibus, apud quos eſt legis actio, id omne, partim ab inſtitutionibus veterum conſultorum, partim à principum conſtitutionibus, petitum eſt (de ordine loquor) & acceptum. Quemadmodum & illud etiam, quod poſt explicata iura prouocationum, de iure porrò fiſci, ac militari, municipaliq́ue exponitur, quodq́ue titulis ab edicto ſumptis, nonnulli alij aſperguntur, tum ab illis ipſis conſtitutionibus, tum ab antiquorum prudentum ſcriptis, eſt profectum. Et ſanè, ſi quis non indiligéter, in omnem Pandectarum, ſiue Digeſtorũ rationem ac viam inquirat, inueniet ille quidem, nullum genus eſſe laudis, quo non etiam atque etiam cumulētur: ſed cùm multa illis ſint, cum cęterarum nationum legibus, ac inſtitutis, quæ quidem literis exſtant, communia, hoc tamen Pandectas iuris ciuilis, proprium & ſuum habere reperiet, quod & omnia complectatur, vt dictum eſt, & ordine, & quod non ab vnius alicuius legumlatoris ſenſu, quemadmodum in aliarum gentium legibus videre eſt, fluxerint, ſed (quod caput eſt in fundanda legibus ciuitate, quemadmodum author eſt Ariſtoteles) ex omni prope toto orbe ſapientia, ac politica doctrina, ſint conſtitutæ. Nam ſi gentium diuerſarum ac nationum leges quæras, habes Ægyptiorũ, Aphrorum, Myſorũ, Arabum, Rhodiorum, Athenienſium, Lacedæmoniorũ, & omniũ porrò Græcorum leges & exempla: ſi de prudentum hominum ſentẽtijs, habes ex philiſophis, Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Chryſippum: ex oratoribus, Demoſthenem & Ciceronem: ex poëtis, Homerũ & Vergilium: ſi denique de latoribus legum, & eorum placitis ac inſtitutis, habes Solonem, Lycurgum, Draconem, & alios innumeros, de quib⁹ longũ eſſet cõmemorare. Et profectò, ſi veri rerum æſtimatores eſſe velimus, cum alię aliorum gentium leges mutilę fermè ſint ac mancę, hiſce rebus effectum eſt, vt Imperator, populuſq́ue Romanus, vna cum totius orbis dominatu ac imperio, leges quoque plenas ac perfectas, & ad omnium vbique hominum mores & natu-

naturas accommodatas, fabricarit, & in hosce Pandectarum siue Digestorũ diuinos libros, contulerit. Nam quod hic nonnulli exoriuntur, qui de illo conqueruntur, quod leges, cõcisa potius, & ad speciem redacta, quàm cõtinua, & ad generales disciplinas reuocata, oratione tradantur, næ illi non satis intelligunt, nec ipsius antiquitatis maiestatem, in qua summa cum religione versandum est, ac fide: nec quę sit singularium specierũ magis, quàm vniuersalium doctrinarum vis & efficacia, in gubernanda regendaq; legibus ciuitate. Cui & hoc insuper applicandum est, quod cum Iustinianũ Imperatorem accusant, Papyrium, Appium Claudium, Sextum Ælium, Saluium Iulianum, addo etiam, Mosen & Platonem accusant, quorum alij sic in componendis, & in ordinem includendis legibus à populo latis, sunt versati, vt ne vnum quidem verbũ de suo adiecerint, alij, ipsi leges suas ita conscripsêre, vt casus potius speciales, & inter manus quotidie versantes, quàm generales & in intellectu positas regulas tradiderint. Sed de summa librorum omnium iuris ciuilis diuisione, deque Pandectarum, cum reliquis, collatione, ac pręstantia, hactenus.

DE PARTITIONE PANDECTARVM.



NVNC sequitur, vt de diuisione Pandectarum, siue partitione, sit explicandum. Nam quòd imprimis nostrates, ita librũ vniuersum tribuunt, vt vni parti Veteris, alteri Noui, mediæ Infortiati (ab infarciendo fortasse) nomen affingant: nõ est animus, latius enarrare: vtpote cũ nõ sit ea vetus, nec ab ipsis Iustiniani temporibus ducta diuisio, sed à recentioribus, pro librorũ commoda separatione, excogitata. Quanquam tamen haud omnino alienum est, posteriorẽ partem vocare Nouam, propter ius prætorium, quod in ea prę-

ea præcipuè continetur, quod & nouum ſępe dicitur: & priorem veterem, propter iudicia, contractus, & dotes, quæ a duodecim tabulis, & alijs magis iuris partibus, q̄ à prætoris edicto manarunt. Et q, has tres partes, alijs atq; alijs coloribus à veteribus infectos fuiſſe, memoriæ proditum eſt, non caret omni vetuſtatis exemplo. Nā in Homero quoq; ſic obſeruabatur, vt alterum illius opus, ſanguineo colore, propter cædes: alterum cæruleo, propter maritimos errores, tingeretur. Sed veniamus ad ipſum Iuſtinianum, qui quidem duas nobis præcipuas & vniuerſales diuiſiones reliquit, quarum altera eſt in ſeptē partes, artificialis, haud aliter atque ſi hominis corpus in caput, pectus, brachia, & crura diuidas: altera in libros quinquaginta, artis expers, veluti ſi hominem à vertice vſque ad calcem, in partes æquales diſſeces. Et ſolent quidem veteres, Homeri quoque corpus, quemadmodū author eſt Ælianns, ita diſtinguere, vt id, vel in libros quinquaginta partirentur, vel in certos quoſdam locos, vt in iram Achillis, pugnam Agamēnonis, nauium catalogum, Patrocli cædem, & alios conſimiles, diuiderent. Sed quantum ad ſeptem illas Pandectarum partes attinet, earum prima eſt ΤΩΝ ΠΡΩ͂ΤΩΝ hoc eſt eorum, quæ ad primam informationem iuris & fori requiruntur: ſecunda iudiciorum: tertia rerum creditarum: quarta pignorum, dotium, & tutelarum: quinta vltimarum voluntatum: ſexta poſſeſſionis bonorum ac interdictorum: ſeptima obligationum, delictorum, appellationum, & eorum, quę extraordinaria vocantur.

Ratio autem huius diuiſionis & cauſa, hæc eſt, Quia enim in omnibus diſciplinis ac artibus, hoc vſu venit, vt quaſdam habeant ſuas quaſi præparationes ac procemia: recte comparatum eſt, vt de ijs primo ſtatim ingreſſu exponatur. Quia verò actionū, in quibus ius ciuile, ad exemplum Flauiani ac Æliani iuris vertitur: aliæ ſunt Ciuiles: aliæ Prætoriæ: aliæ Criminales: rectè ac ordine facit Imperator, qui primum ciuiles actiones, quæ in iudicijs,

cijs, rebus creditis, personarum nuptijs, ac tutelis, & vltimis denique testantium iudicijs consistunt, persequitur, deinde vero bonorum possessiones, ac interdicta, quæ à prætorum iurisdictione manarunt, & vltimo deniq; pœnas & delicta, quæ ad criminalia iudicia pertinent, & in septimam partem conijciuntur. Quanquam tamē, si verū dicere volumus, & ad alia nonnulla, quæ in hanc diuisionem, non satis apte cadunt, respicere: Imperator, intra illum numerum, non tam certa ratione, quàm religione quadam, propter septenarij numeri diuinitatem, quod & ipse profitetur, constiterit. Nam cæteroqui, si ad nouenarium vsque numerum, qui & ipse Musis sacer est, procedere voluisset, potuisset fortasse, nō minus luminis Pandectis addere, quéadmodum post docebimus, q̄ nunc addidit, ἀλλ᾽ οὐκ ἀτρείδῃ ἀγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ. Iam verò, de librorum quinquaginta diuisione, ac ordine: non est quod admodum laboremus, in his enim, nihil aliud spectatur, quàm distributa quædam, & ad memoriam accommodata distinctio: sed ordinarium est, vt quoniam de vniuersorum Digestorum, in septem partes, deq; partium, in libros diuisione diximus, nunc porrò, quæ ipsorum librorum sit partitio, paulò propius expendamus.

Huius ergo, hæc est ratio, vt singulæ Pandectarum partes, siue libri, in certos quosdam titulos, tribuantur ac abeant, qui quidem inde hoc nomine funguntur, quod certis tractatibus sint præpositi, & ad memoriam tuendam ac conseruandam parati. Nam & præsidiarij milites, quemadmodum author est Festus Pompeïus, appellantur Tituli, quasi tutuli, quod tuendæ Reipublicæ sint præfecti. Horum titulorum, duplex est inspectio, alij enim sunt generales, alij speciales. Generales sunt, qui rubricas plures sub se continent. Nam titulus, de rebus creditis, tam latè patet, vt vnam aliquam partem Pandectarum de septem, comprehendat. Titulus, de peculio, triplex est, de peculio, de in rem verso, quod iussu: sub titulo, de restitutionibus in integrum, plurifariam prętor

hominibus vel lapsis, vel circunscriptis subuenit, siue metu, siue calliditate, siue ætate, siue absentia inciderint in captionem, siue per status mutationem, aut iustum errorem. Speciales tituli sunt, qui vt plerumq; accidit, vna rubrica cõtinẽtur, cuiusmodi sunt, titulus, de pactis, de trãsactionibus, & alij innumeri. Sed est in eorum inscriptionibus (quę quod rubrica notarentur, rubricę quoq; nomen acceperunt) nonnulla differentia. Quędam enim significationis omnis expertes, vel à primis verbis edicti sumuntur, vt, quorum legatorum, quorum bonorum, vti possidetis, vtrubi: vel ipsius tantum legis, senatúsuecon sulti, aut edicti nomen gerunt, vt ad legem Aquiliam, ad senatusconsultum Macedonianum, de Carboniano edicto, de regula Catoniana: quædam verò certam aliquam significationẽ habentes, vel quę rei subiectæ materia sit, demonstrant, vt de Iurisdictione, de in ius vocando, de ferijs: vel ipsam de re legem, breuiter strictimque propo nunt, vt, ne quis eum, qui in ius vocatus est, vi eximat, quod quisq; iuris in alium statuerit, vti ipse eodem iure vtatur. Et est quidem horum titulorũ omnium, tam apta inter se tamq; rata cõnexio, vt nihil in hoc genere (queadmodum in inferioribus demonstrabitur) nec ordinatius, nec cohęrentius inueniri possit. Cęterũ illud tamen obiter admonendum est, euenire aliquando, vt quid certo loco collocetur, non quod per se ac sua sponte, optimè appositissimeq; illi congruat, sed quod coniunctum sit cum his, & ab ijs hæreat, quæ oportuna sunt, & congrua. Sic enim tractat⁹ de nautis, cauponibus, & stabularijs, nihil admodũ cũ ΤΟΙΣ ΠΡΩΤΟΙΣ habet cõmune, sed qđ eo loci, commodùm agitur de arbitris, qui arbitrium receperunt, hoc admonuit Imperatorem, non abs re fore, propter continentiam materiæ, si vna & eadem opera, de omnibus his, qui aliquid recepissent, cuiusmodi sunt nautę, caupones & stabularij, pertractaretur. Eodem cõsilio factum est, quod titulus, de acquirẽdo rerũ dominio, cum his, qui ad possessionẽ pertinẽt, & tractatus, de verborum

obliga-

obligationibus,cum eo,qui de prætorijs ſtipulationibus agit,ad quem potiſſimũ ibi reſpicitur, fuerit collocatus. Quoniam verò,de titulis, qui ſub libris & partibus Pandectarum continentur,diximus,reliquum eſt, vt videamus,ecquid in ipſis quoq; titulis reperiatur, quod diſtinctionem aliquam, ac diuiſionem recipiat. Et eſt quidem illud imprimis extra omnem dubitationem poſitum, vnumquemq; Pandectarũ titulum, ex pluribus hinc inde conſultorum reſponſis,coagmentatum,ac cõglutinatum eſſe. Et ideo,quoties contingit,authorem immutari,toties & nouum caput exoritur, & noua ponitur inſcriptio authoris:quod equidem & tunc quoq; obtinet,cum non author quidẽ ipſe,ſed liber authoris mutatur.quanq̃ tamen,ſi idem liber maneat, non ad nouum protinus caput,ſed ad paragraphorum diſtinctionem decurratur,veluti,ſi quando cõtingat,ex eodem libro, alia atq; alia loca decerpi.in quo & illud nonnunquã cõtingit,vt vnum caput, duorum ſit authorum. Illud quæſtionis eſſe ſolet, vtrum ipſorũ inter ſe capitum nexus aliquis ſit, & copulatio,nec ne. Et eſt vetus quidem opinio,quæ & recentiorum omnium firmata eſt cõſenſu,nullam eſſe capitum inter ſe cohærentiam,ſed rudẽ indigeſtamq; molem.Cæterum mihi rẽ propius aſpicienti,ac cõſideranti preſſius, paulò aliter ſemper viſum eſt, voluiſſe videlicet Iuſtinianũ,certum aliquẽ ordinẽ & proceſſum,in digerendis diſponendisq; legibus cuſtodire. Nã cũ ꝑmultos reperiã titulos,in qbus nemo vel leuiter erudit⁹,negare poſſit,methodũ aliquã verſari.Itẽ quia multis locis video, q̃ta diligentia,ſiue potius religione,vnã aliquã ſententiã,è pluribus conſultorũ reſpõſis,cõnectat Imperator: nõ poſſum in animũ inducere,quin ꝙ plurib⁹ in locis reapſe præſtiterit,& euidẽter:id in oĩbus eũ feciſſe credã, licet in alijs obſcurior quędã & min⁹apta,in alijs promptior ac expeditior rõ,íueniatur.Atq; adiuuat qdẽ &cõfirmat hãc meam ſententiã,partim ꝙ in pleriſq; oĩbus Pãdectarũ tit.periclitatus ſum,poſſe fieri,vt ordinis aliqua via reperiatur:

partim, quia quotidie animaduerto, eos, qui id ex professo suscipiunt, vt leges in ordinem adducant, idque suis, nō alienis verbis, maiore in obscuritate versari, quàm Iustinianum ipsum, qui etiam seruatis veterum prudentum verbis, id effecerit. Et ideo, ne prolixior sim, ego sic existimo, capita titulorū omnia, sic esse collocata, vt ad certū aliquem articulum, certumq; mēbrum, quæq; referantur, non quidem vt perpetuam orationem & cōtinuam, semper (licet hoc nonnunquam fiat) constituant, sed vt tanquam plures sententiæ, ad eundem communem locum pertinentes, in eundem ordinem cōcludantur: quáquam tamen, & hoc etiam concedam nonnunquá fieri, vt vna cum his quæ proposito seruiunt, irrepant simul, & ea, quę alieniora sunt, & ad rem nō admodum pertinentia, idq; propter implicationem & continentiam sermonis, qua contingit, vt vnus & idem sermo, plures in se sententias complectatur. Verum quęsiuerit hîc aliquis, quænam igitur sit illa ratio, quæ sub singulis titulis obseruetur? Et est quidem hîc sciendum, legum Romanarum, alias principes esse, cuiusmodi sunt, duodecim tabularū, prætoriæ, populi, senatus, principum: alias ad earum explicationem, ac vsum fori accommodatas, cuiusmodi sunt interpretationes, quæstiones, ac responsa prudentum, & quæ vocantur legis actiones. Quoniam igitur ex hisce tribus generibus, conflatæ ac compositę sunt nostrę Pandectæ, nihil illud imprimis dubium est, quin eadem illa, in ipsis Pandectis, maneant impressa vestigia, videlicet, vt in singulis Digestorum titulis, hæc tria fermè cuncta, liceat inuenire, legem ipsam, interpretationem legis, & legis actionem. Legem quidem, veluti cum lex plebiscitum, senatusconsultum, principis placitum, prætoris edictum, longa consuetudo, aut prudentis alicuius, veluti Catonis regula, cautióue, proponitur: Interpretationē verò, vt cū verborum & quęstionū enodationes, legibus applicátur: Legis denique actiones, vt cum de formulis, temporibus, rebus, personis, actionum, & alijs cōsimilibus, exquiritur.
Iam

Iam autem, quantum ad ordinem horum attinet, eius in hisce proponendis, non idem vbique tenor obseruatur. Aliâs enim id custoditur, vt secundum hanc ipsam, quàm diximus, seriem procedatur, nimirũ, vt propositis verbis edicti, senatúsue cõsulti: post deinde materia interpretationis & quæstionum, actionumq; subiungatur: aliâs illa via potius probatur, vt hisce tribus inter se confusis, & in vnum coniectis, in certos aliquos locos dialecticos tractatus vniuersus includatur, quod quidem in vltimis voluntatibus, & alijs permultis, cõstanter obseruatur, veluti cum in tractatu de suspectis tutoribus, & curatoribus quæritur, vnde suspecti crimen descendat, apud quos quis postulari possit suspectus, quis, à quo, & ex quib' causis remoueatur, & quæ pœna suspecti. Planè vtriusq; viæ ac ordinis, duo fermè communia reperiuntur: vnum, vt proœmia quædam, & quasi præfationes nonnunquã ipsi tractatui præponantur: alterũ, vt post absolutum principalẽ tractatũ, quædã quasi ΠΑΡΑΛΕΙΠΟΜΕΝΑ subijciantur. Prioris generis sunt, commẽdationes, origines, causæ connexionis, & ΠΡΟΘΕΩΡΙΑΙ rerum tractandarũ. Posterioris, emẽdationes, suppletiones, distinctiones, & expositiones eorum, quæ dicta prius & tractata sunt. Qua quidẽ re sæpenumero fit, vt quæ in fine calceq; ponuntur, cum ijs, quę principio tractata sunt, cognationem quãdam & affinitatẽ, habere videantur. Quod quidem pleriq; omnes animaduertentes, & qua id causa fiat, ignorantes, pleno ore clamant: nullam esse legum inter ipsas coniunctionem. Sed quoniã hoc in omni recta scribendi ratione vsu venit, vt perpetuitas orationis tuenda sit, & si qua in ipso sermonis quasi cursu difficilior existat quæstio, vti ea fini reseruetur, sic enim apud Platonẽ, Aristotelem, Ciceronem, Cebetem, & alios videmus: nihil profecto mirãdum est, si idem hisce in libris Pãdectarum reperiamus. Atque hucusque quidem de Pandectarum in partes & libros: & partium rursus, in titulos & rubricas: & titulorum deniq;, in sua membra legesq; distinctione.

DE IVRECONSVLTIS.



ILLVD iam restare videtur, vt de ipsis legum capitibus, paulò latius dicamus. In quo quidem argumento, primum illud occurrit, vt de authoribus legum Iurecōsultis, dispiciendum sit. Et quidem licet aliarum quoque partium iuris ciuilis, crebra mentio in Pandectis habeatur, attamen ipsa compositio, è solis Iureconsultorum & prudentum monumētis est petita, qui quidem Iurisconsulti, quemadmodum fieri assolet, nunc hos, nunc illos authores laudant: partim externos, cuiusmodi est Solō, Plato, Aristoteles, Theophrastus, Chrysippus, Homerus, Vergilius, Demosthenes, Cicero: partim suos, cuiusmodi est ius Papyrianū, lex duodecim tabularum, plebiscita, Senatusconsulta, principum placita, magistratuum edicta, responsa prudentum, longa consuetudo. Sed sunt omnium prudentum qui ab vrbe cōdita extiterunt, quinque quasi gradus ac ordines. Qui primi erant, non discere quidem volentibus, sed consultoribus se præbebant, in quibus sunt Papyrius, Appius Claudius, Scipio, Nasica, Quintus Fabius, & alij. Professionis exordium à Tito Coruncano cœpit, quē post deinde Sextus Ælius & Porcius Cato sunt insecuti, qui & cōmentarios ad leges duodecim tabularum, applicarunt. Post hos tertio loco extitit Publius Mutius, qui cum Bruto & Manilio, ius ciuile primum fundauit, quod non in commentarijs ad leges, sed in responsis reddendis & quęstionibus tractandis, consistebat. Hos non magno interuallo excepit Quintus Mutius Publij filius, qui ius ciuile primus constituit, generatim in libros decem & octo redigēdo, cuius auditores fuêre, Gallus Aquilius, Seruius Sulpitius, Trebatius, & alij, à quibus plurimi præclarissimi Iureconsulti profluxêre. Post hos quinto loco exorti sunt Antistius Labeo, & Atteius Capito, qui primū veluti diuersas sectas fecerunt. Et cum ante hæc tēpora publicè

blicè respondendi ius, non à principibus daretur, sed qui fiduciam studiorũ suorum haberet, consulentibus responderet: primus diuus Augustus, vt maior iuris authoritas haberetur, constituit, vt ex authoritate eius respõderent. Cuius quodammodo vestigijs insistens Iustinianus, non ex alijs prudentibus Pandectas suas, quàm qui authoritatem publicam habuissent, & ijs tantum selectis, componi voluit, & eorum nomina singulis capitibus, siue legibus, pręfigi iussit. De horum autem consultorum temporibus ac scriptis, si paulò exactius & distinctius dixerimus, q̃ ab alijs proditum sit, non alienum, vt videmur, facturi sumus. eo magis, quòd hæc res, in diiudicandis, discutiendisque responsis ipsis, non minimum habeat oportunitatis. Primũ ergo inter istos locum obtinet, tam authoritate quàm tẽpore, Antistius Labeo, homo priscæ (quemadmodum author est Gellius) virtutis, & omni literarum, ac philosophiæ genere, & maximæ quidem Platonicæ, tinctus ac imbutus. Nam quod nonnulli sunt, qui Domitij potius Labeonis, Iubentij Celsi æqualis, libros huc allatos contendunt, quàm Antistij, quem negant vllam de Iure respondendi authoritatem publicam habuisse: nihil me cõmouet. Nam quia floruit per Diui Augusti tẽpora, qui primus hanc authoritatẽ fundauit in Iuriscõsultis, in quibus familiã ducebat, & princeps habebatur Antistius: multum verosimile est, vel authoritatẽ publicam eum habuisse, vel non in minori honore ac æstimatione fuisse apud posteriores, propter propinquitatem temporum, quàm si habuisset. Cui & hoc adde, quod ijdẽ illi ΠΕΙΘΑΝΩΝ & posteriorũ libri, qui Antistio apud Gellium adscribuntur, etiam hîc commemorantur, & quod nullum eorum, qui post Augusti tẽpora in precio fuerint, citatũ ab eo reperimus. Post Labeonẽ proximè succedit (loquor autem de his, qui in numero sunt eorum, qui responsis suis & commentarijs Pandectas nostras constituerunt.) Masurius Sabinus, discipulus Capitonis, qui primus beneficio Tiberij Cæsaris, publicè respondisse dicitur, & Sabinia-

norum sectam constituisse. Atque hunc ipsum ego Sabinum esse puto, ad quem Vlpianus, Paulus, & Pomponius scripserunt, quanquam id de Fabio Sabino potius accipiunt nonnulli, qui ad Sabinum scribere quid sit, non satis intelligunt. Nam scripsit ad Quintũ fratrem Cicero, scripsit & ad senatusconsultũ Macedonianum Vlpianus: verum ille quidem lucubrationes suas, ad illum mittẽdo, hic verò, cõmentarios suos ad verba senatuscõsulti applicando. Tertius in ordine est, nõ leuis iuris author (quemadmodum inquit Vlpianus) Pròculus, qui sub Othone florens, & Vitellio, tum Proculianorũ à Labeone manantem familiam iuris instituit, tum Reipublicæ quoq; gubernandæ, cũ magna gloria præfuit. Et solent Proculum inter cognomina veteres eum dicere, inquit Festus, qui natus esset patre peregrinante à patria procul, vel patre sene, ac ætate procul progresso. Hunc secuti sunt, Iubẽtius Celsus pater, & Priscus Nerati9, qui per Traiani tẽpora ius ciuile sustinentes, summo apud principẽ loco fuerunt. Nam quod ea quę in Pandectis exstant Celsi, nõ ad hunc Iubentium, vel eius filium, sed ad eum, qui sub Alexandro fuit, nonnulli referunt: hinc conuincitur, quòd nullum de his, qui post Traiani tempora vixerunt, ab eo citatũ & laudatũ reperimus. Post hos exorti sunt, tẽporib9 Adriani, Celsus filius, Priscus Iauolenus, qui ad Antonini Pij tẽpora quoq; peruenit, Salui9 Iulian9, discipulus Iauoleni, qui edictum perpetuũ composuit, & Antonino Pio charus fuit. Hos exceperunt, sub eodem Antonino Pio, Volusius Mœtianus, quẽ & diui post deinde fratres in precio habuerũt, Aburni9 Valens, & Tertullianus, sub quo senatuscõsultũ Tertull. cõditũ est. Inde extitit sub Marco Philosopho Serbidi9 Scæuola, magni illius Papiniani doctor, cũ Terẽtio clemẽte, Marcello ac Marciano, q à Didio Juliano iussus occidi, vix elapsus discrimini, post in cõsilio Alexandri fuit. Post hos secutus est nodus, vt ita dicã, omnis ciuilis sapientię Papinianus, prętorio à Septimio Seuero pręfect9, ab Antonino Bassino post deĩde occisus.

Reliquit

Reliquit auté hic discipulos, toto orbe celeberrimos, qui per Alexádri optimi principis tépora, in maximo precio fuêre. Quorum autem libri ad Pandectarum nostrarum cõfectioné collati sunt, hij ferme reperiũtur. Vlpian⁹, qui Mauricianum, Alphenum, Alphricanũ & Pomponiũ laudat. Iulius Paulus, qui Mauricianum, Pomponium & Alphenum: Modestinus, qui Vlpianum: Macer, qui Paulum, Vlpianum, & Mœtianum: Callistratus qui Marcianum: Arcadius qui Modestinum. Item Alphenus, Pomponius, Caius, Aphricanus, Florentius, Maximus, Cellus, Saluius, Venuleius, Iustus, Triphoninus, Mœnander, Mœtian⁹, Hermogenian⁹, Proculus, q q̃q̃ suos ęquales nõ citent, tñ sub hęc tépora floruisse, ab Ælio Lãpridio traduntur. Ná q, de Caij Iurecõsulti ętate disceptatur, is proculdubio, Põponio socius & familiaris fuit, q quidẽ Põponi⁹, inter amicos Alexandri numeratur, q̃q̃ eum admodũ senem tum temporis fuisse oporteat, propterea q, à Serbidio Scęuola citetur, & quod magis mirũ est, à Saluio Iuliano, qui ad Cõmodum vsq; peruenisse dicitur, inter cuius & Alexandri tépora, 47. anni interfluxêre. Post expositam successionem prudentum, consequés est, vt de scriptis eorum ac monumentis, nonnihil in mediũ proponamus, & quis cuiusq; quasi genius fuerit & indoles, tá in respondẽdo de iure, q̃ in disputando, notandoq;, (ná in his duobus, versatos ferè fuisse, veteres illos iurecõsultos, satis manifestũ est) videamus. Librorum quæ nobis reliquerũt, tria fermè gñ a reperiuntur: vnũ pragmaticũ, quod in quęstionibus, respõsis, & epistolis cõsistit: Alterũ iuris ciuilis, quod vel vniuersales Digestorũ ac Pandectarũ libros cõtinet, vel speciales definitionũ, ambiguitatũ, adulteriorũ, fideicommissorum, & alios eiusdem modi. Tertiũ deniq; scholasticũ, quod vel ad interpretationes aliorum pertinet: vel Breuiaria: vel Notas. Interpretationes quidem, vt cum ad edictum, ad leges, ad Plautiũ, ad Sabinum scribitur: Breuiaria verò, vt videre est, in libris posteriorum Labeonis epitomatis à Iauoleno,

& Py

& Pythanon eiusdem à Paulo. Item in Enchiridio Pomponij, Epitome Hermogeniani, & manualibus Iulij Pauli: notas, ad Labeoné scripsit Paulus: ad Saluium Iulianum, Marcellus & Iulius Paulus: ad Æmilium Papinianũ, Vlpianus & Paulus :in Terentium clementem, Martianus: in Scæuolam, Claudius Triphoninus, & Paulus. Quanquam tamen, quantum ad eas notas attinet, quæ in libris nostris supersunt, eę non tam repræhensiones & notæ, quàm admonitiones quædam (sic enim voluit hoc Iustinianus) dici debeant. De studijs ac doctrina prudentum, nihil illud dubium est, eos omni genere doctrinæ cultos ac expolitos fuisse, nec vllum exstare genus humanitatis, in quo non fuerint apprimè versati. Ac vt antiquos illos, Sempronios, Nasicas, Tuberones, Crassos prætermittam, qui cum ciuili sapientia, tum philosophiam, & eam stoicam, tum dicendi facultatem, & antiquitatis, omniũq; optimarũ artium cognitioné cõuinxerunt, & de ijs tantum dicam, ex quibus libri nostri sunt confecti: imprimis Labeo, tam variæ doctrinę fuisse perhibetur, vt solius philosophiæ, quę in eo summa erat: nã & Platonem in Larario colebat, & humanitatis ac hystoriæ pręsidio, magnam partem antiquę Iurisprudétię, non tam innouasse, quàm ad integritatem suam reuocasse feratur. Ab eo profecti Proculiani, hoc semper retinuerunt Labeonis, vt in verborum proprietatem diligẽter inquirant, & à Sabinianis ita differunt, vt Sabiniani magis ea sequantur, quæ manu teneri & pręhendi possunt: Proculiani, quę ratione ac intelligentia. idque satis ostendit nobilis illa disputatio, de cõfectione rei alicui⁹, ex materia aliena: nã Sabiniani formã materię cedere volũt, contra Proculiani, materiam formę, tanq̃ nobiliori. Celso ferè propriũ hoc est, vt à verbis & sentẽtia legis, propter speciẽ ęquitatis, nõ temerè recedat, estq; in ridẽdis aduersarijs, satis multus. Iuliani vox ista exstat memorabilis: & si alterũ pedẽ in sepulchro haberẽ, adhuc tñ discere vellem. Volusius Mœtianus præter veterẽ & bene fundatam pe-

ritiam

ritiam, etiam anxie diligens à diuis fratribus dicitur. Marcellus plus ſatis ſtudioſus fertur ęquitatis, & ob id in multorum repræhenſionem ſæpe incidit. Serbidius Scæuola multa habet intricata, & in reſponſis dandis valde cautè fere verſatur, adijciens fere hanc clauſulam: Secundum ea quæ proponuntur. nec vult reſponſum ſuum vltra ſpeciem propoſitam porrigi, reijciens eas quæſtiones, quæ facti ſunt, ad oratores, quemadmodum & de Gallo Aquilio refert Cicero. Aphricani multa ſunt obſcura: Papinianus homo acutiſſimus eſt, & ad ſuperſtitioné etiam nonnunq̃ ingenioſus fertur, verũ exceptis verborũ proprietatibus, in quibus ſatis anxiè verſatur, cætera ſic æquitatis ſtudioſus eſt, vt nemo magis. Paulus non tá æquitatem. ac rationem moralem ac politicá, quàm Phyſicam intuetur, & in ea perſtans ſæpe diſſidet ab alijs, eſtque in nonnullis dubitabundus. Vlpianus mediam quodammodo viá ſequitur, quemadmodũ & in pleriſq; Caius, qui diſtinctionis temperamentũ adhibet, prętractis aliorum ſententijs. In Pomponio tantum fuit ſtudium, vt nihil præterea in vita expetendum cenſeret: Modeſtinus non contemnendæ authoritatis Iureconſultus vocatur, quemadmodum Papinianus acutiſſimus & excelſi ingenij vir & coryphæus legum, Vlpianus. Quoniam autem dictum eſt de inſcriptionibus & authoribus legum, ſupereſt vt & de ipſarum inter ſe collatione, ac vera interpretandi ratione nonnihil dicamus.

DE COLLATIONE LEGVM.



OLLATIO legum omnis, pręcipuè ponitur in duobus, quorum vnum eſt, vt ſimilia cum ſimilibus componamus: alterum, vt quæ contraria videntur & pugnantia, conciliemus. In priori genere: hoc quidem non eſt infrequens, vt eadem iuris regula ſententiaque, pluries recurrat, eò ſcilicet

licet, quia multę rerum species, iisdem pœne iuris regulis contineantur: sed vt idem plane casus, alijs atque alijs locis repetatur, haud temerè puto inueniri: Plane si dicas tantam esse singularium specierum in Iure nostro multitudinem, vt multę possint sine vitio, addo etiam cum aliquo Reipublicæ bono, pręcidi: alia res est, sed pręter caput tertium decimum tituli, de eo quod metus causa factum erit, repetitũ in cap. septimo, tit. de vi priuata, vix puto exstare vllam aliam speciem, quæ bis in Pandectis repetatur. Quantum ad contrarias & dissidentes leges attinet, earum longè diuersa est ratio: nã antinomiarum tanta est multitudo totis fermè Pandectis, vt nulla sit omnino Iuris pars, in qua magis exultet interpretum oratio, quàm in ijs subtiliter & cum ingenio conciliandis. Sed an conciliationem commodam omnes admittant, haud satis habeo compertum. Nam hoc inprimis in confesso est, nonnullas de nostris legibus contrarijs, ab ijs desumptas esse Consultis, qui suam dissensionem, non obscurè, sed apertè tulerũt. Nam quod sub capite vicesimoquarto, tituli, de rei vendicatione, ait Iulius Paulus: Sed & id quod in charta mea scribitur, aut in tabula *mea* pingitur, statim meum fit, licet de pictura quidam contra senserint, propter preciũ, sed necesse est ei rei cedi, quod sine illa esse non potest. quod inquam, sic ait Paulus: quid, an nõ hoc apertè significat, ipsum ex professo, ab alijs discedere ac dissentire voluisse, nec quantum ad ipsam attinet, cum illis in concordiam redigi posse? nisi forte dicamus, hoc in libris nostris perpetuo esse respiciendum, vt si quando in contraria responsa, diuersis locis inserta, inciderimus, ea, distinctione quadam adhibita, pro locorum in quibus ponũtur qualitate, conciliemus: quod quidem non puto improbandum, maximè cum videamus, multa diuersarum scholarum dogmata, penitus contraria, per distinctionis modum & temperamentum, in vnum reuocari, & ipsum etiam Aristotelem, plurimis in locis à Platonis doctrina manifestò recedentem: hoc eodem modo ad

do ad

do ad authoritatem eius & sententiam, quasi per diuerticulum, deduci. Sed non abs re fortasse fuerit, si quemadmodum conciliatio plerumque fieri possit, quibusdam generalibus disciplinis ac regulis, comprehendamus. Et pendet quidem omnis conciliatio, vel ex ordine scripturę, vel ex casuum ac specierum distinctio ne, vel ex ipsius iusti ac iniusti varia ratione ac figura. Primi modi exemplum exstat apud Vlpianum, sub titulo, de acquirendo rerum dominio, capite vicesimotertio, vbi vulgata exemplaria habent in hunc modum. Quod autem ex re alterius est, vtrum pro parte ei cui bona fide seruit, an verò ei debeat acquirere, ex cuius re est, videamus, quá quęstionem Scęuola quoque tractat libro secundo quæstionum. ait enim: Si seruus alienus duobus bona fide seruiat, & ex vnius eorum re acquirat, rationem facere, vt ei duntaxat in solidum acquirat, sed & si adijciat eius nomen ex cui⁹ re acquiratur, nec dubitandũ esse ait, quin ei soli acquiratur. Hanc cõmunem scripturam, si sequaris, non poterit vlla ratione euitari, vt non aduersetur, huic responso Iulianus, sub titulo, de vsufruct. cap. 32. vbi ait in hæc verba: Nam & in duobus bonæ fidei possessoribus, hoc idẽ est apud Scæuolam agitatum, libro secundo quęstionum, & ait vulgo creditũ, rationemq; hoc facere, si ex re alterius stipuletur, partem ei duntaxat quæri, partem domino. Quod si nominatim sit stipulatus, nec dubitari debere, quin adiecto nomine, solidũ ei quęratur. Equidẽ hũc aduersantiũ ac pugnantium legũ conflictũ, haud alia ratione dirimere licet, quàm alia scripturæ distinctione constituta, quę quidem in Pandectis Florentinis est manifesta, & sic habet: Ait enim: si alienus seruus duobus bona fide seruiat, & ex vnius eorum re adquirat, rationem facere, vt ei duntaxat in solidum acquirat, sed si adijciat eius nomen, ex cuius re acquiratur. Pertinet ad hanc formam conciliãdarum inter se legum, quòd nonnullorum Cõsultorum, & maxime quidem Marcelli, sententię, non quidem vt receptæ, sed vt explosæ repudiatæque, nonnunq̃

nunquàm proponuntur. Item quod persæpe contingit, vt cum ijs quę probantur, etiam alia irrepant & influant tacitè in contextum, quę propter orationis continentiam, separari non possunt. Quo quidem pertinet & illud, quod nõnulla obiter & respectu aliorũ, & quasi in transcursu aliter dicũtur, quàm cũ principaliter & ex porfesso traduntur. Exemplum primi generis habemus 14. cap. tit. de Nouationibus, cuius verba hęc sunt: Quotiẽs quod purè debetur, nouandi causa, sub conditione promittitur, non statim fit nouatio, sed tunc demum, cùm conditio extiterit: & ideo si forte Stichus fuerit in obligatione, & pendente conditione, decesserit: nec nouatio continget, quia non subest res eo tempore, quo conditio impletur. Vnde Marcellus, etsi post morã Stichus in conditionalem obligationem deductus sit: purgari moram, nec in sequẽtem deduci obligationem putat. Sed si quod sub cõditione debetur, pure quis nouandi causa stipuletur: nec nunc quidem statim nouat, licet pura stipulatio aliquid egisse videatur, sed tunc nouabit, cum extiterit conditio: etenim existens condicio, primam stipulationem committit, commissamque in secunda transfert, & ideo si forte persona promissoris, pendente conditione, fuerit deportata, Marcellus scribit, ne quidem existente conditione, vllam contingere nouationem, quoniam nunc cum exstitit conditio, non est persona, quæ obligetur, Quæ hic ex Marcello recitantur, non possunt cũ 31. cap. eiusdem tituli, conciliari, nisi dicas, Marcelli sentẽtiam, tanquam euidentur falsam & improbatam proponi, quemadmodum & in 15. cap. tit. de vsucap. factum existimo, vbi hæc sunt verba: Quod si seruus eius, qui in hostium potestate est, emerit, in pendenti, esse vsucapionem, Iulianus ait. Nam si dominus reuersus fuerit, intelligi vsucaptum. si ibi decesserit, dubitari, an per legem Corneliam ad successores eius pertineat. Marcellus, posse plenius fictionem legis accipi. quemadmodum enim Postliminio

liminio reuersus, plus iuris habere potest in his, quæ serui egerunt, quàm his, quæ per se, vel per seruum possidebat, cùm ad hostes peruenit? Nam hæreditatem in quibusdam vicè personæ fungi, receptum est: ideoque in successoribus locum non habere vsucapionem. Etenim hæc illatio, penitus absurda est, & minime congruens præcedentibus, nisi eam, tanquàm ex euidenter falsa & explosa Marcelli sententia, consequi dicas, quod & capite 22. tit. de petit. hęred. obseruandum est. Iam verò quod sub capite 23. tituli, de rei vendicatione, profligata illa & iamdudum correcta, Pauli sententia ponitur, videlicet, picturam cedere tabulę: nō alia ratione contigit, quàm quod vnà cum alijs locis Pauli, à quibus separari non facile potuit, in contextum obiter irrepserit. quemadmodum & vrbis Romę nomen, subinde pro qualibet ciuitate accipitur, licet regulariter habeat priuilegium. Atque hęc, de prima ratione, conciliandarum legum, Distinctio specierũ & casuũ, qui prima ratione, vel similes, vel ijdem videntur, sed tamen diuersas habent iuris definitiones, non vno modo capi potest. Vnus est, cum ad singula cuiusque responsi verba, diligenter attenditur. Nã vna sępe aliqua vocula, magnam inducit specierum diuersitatem, veluti in hoc exemplo. Si ego, inquit Vlpianus pecuniam tibi quasi donaturus dedero, tu quasi mutuum accipias: Iulianus scribit, donationem non esse. Sed an mutua sit, videndum est, & puto nec mutuam esse: magisque nummos accipientis non fieri, cùm alia opinione acceperit. Cùm hoc implacabiliter pugnat, prima facie, quod Iulianus refert. nam id sic habet: Cùm in corpus quidem, quod traditur, consentiamus, in causis verò dissentiamus: non animaduerto, cur inefficax sit traditio: veluti, si ego credam me ex testamento tibi obligatũ esse, vt fundum tradam, tu existimas ex stipulatu tibi eum deberi. nam etsi pecuniã numeratam tibi tradam, donandi gratia, tu eam quasi creditam

accipias

" accipias, conſtat proprietatem ad te trāſire, nec impedi-
" mento eſſe, quod circa cauſam dandi atque accipiendi,
" diſſenſerimus. Hic nulla eſt alia verborum differentia, quàm quod vno loco mutui, altero, crediti, fiat mentio: & ideo ſi tu te putes mihi donare, ego id recipere, qđ aliquando tibi credidi, transferetur dominium, quia vtique in hoc cōuenimus, vt ſine vlla repetitione, trāſeat dominium. Sed ſi tu te donare exiſtimes, ego me tanquàm mutuum aliquando reſtituendum accipere: quia nō conuenimus circa formam tranſlationis dominij, merito reſponſum eſt, non aquiri mihi dominium. Fit pręterea nonnunquam, vt ſeparatio ſpecierum, non tam ex ipſis verbis legum, quàm ex titulis & rubricis, ſub quibus collocātur, & item ex Iureconſultorum libris, ex quibus decerptæ ſunt, accipiatur. Nā quod ædictum, de eo quod metus cauſa factim erit, nonnunquàm prætori, nonnunquam procōſuli adſcribitur: nihil mirum videbitur, ſi intelligas, eas leges, quę prætoris mentionem habēt, ex cōmentarijs Vlpiani ad ædictum vrbicum, deſumptas eſſe, alias, quæ proconſulis, Caij eſſe, ad ędictum prouinciale. Nam proconſulum in prouincijs, tam plenam *fuiſſe* Iuriſdictionem, quàm omnium magiſtratuum Romæ, ſatis manifeſtum eſt. Pręterea, quod alibi dicitur vſumfructum ſine vſu legari non poſſe, perfacile conciliatur cum eo, quod alio loco refertur, ſolius fructus, non vſus, ſtipulationem recte fieri, ſi ad diuerſitatem titulorum, qui diuerſos reſpectus inducunt, attenderis. Nam fructum quem non habere, quin & vſum habeat, ſub titulo de vſu & habitatione recte traditum eſt: ſed quod ſub eo tractatu, quo vſufructuarius quemadmodum caueat agitur, aliud dici videtur, ſic eſt accipiendum, vt ſi fructus ſit legatus, cautio de fructu ſolo exhibeatur, nulla facta mentione vſus: non vero, vt fructus ſine vſu, quod quidem fieri non poteſt, conſiſtat. Sequitur tertia regula, ac via conciliationis, nam ipſius iuris & iuſtitiæ ratio, tribus ferme modis, ſupputatur. Vel enim hoc antinomiæ ſuſpicionem inducit

ducit, qđ quæ hic obiter poſita ſunt, & craſſiore Minerua definita, alibi aliter, & exactius expenſa reperiuntur: vel illud, quod ea, quæ à poſterioribus principibus nouè conſtituta ſunt, cum ijs ipſis, quæ mutata ſunt, conciliare fruſtra conamur: vel deniq;, quod cum variæ ſint ſpecies, graduſq; iuſtitiæ, ac principiorũ iuris: non ſatis intelligimus, perfacile contingere poſſe, vt reſpectu diuerſorũ, aliud atque aliud, circa vnum & idem, ſtatuatur. Primi modi exemplorum, plenus eſt liber Inſtitutionum ciuilium. Nã quod ibi traditur, frumentũ in ijs eſſe rebus, quæ ad priſtinam naturam reduci non poſſunt: eum, qui ſtipulanti decem, quinque promittit, non videri ad interrogata reſpondere: quod quidem longe aliter in Pandectis traditum eſt, id vero non ſic exaudiendũ eſt, quaſi certi aliquid Iuris, ijs de rebus ſtatuere voluerit in Inſtitut. Imperator, ſed quod illi ſatis eſſe, t rem propoſitam, per exempla (quæ ius non faciunt) prima ſpecie nõ aliena, demonſtrare. Secundi generis, non pauca ſunt, in Codice Iuſtiniani. Nam per poſteriores leges, priores multas correctas eſſe, nemo ſanè mentis, inficias ire poteſt, quanquàm putem, non facile ad hoc decurrendum eſſe, ſi modo alia ratione ac via, res cõmodè poſſit expediri. Tertij modi non pauca occurrunt exẽpla, in quibus, pro cuiuſq; Iurecõſulti ingenio, & varia rei ſubiectę natura, diſcreta quoque iura reperiuntur. Nam cũ multa ſint & diuerſa iuris principia, Paulus eam fermè rationem ſequitur, vt ad naturalia potius principia, quàm ad quęuis alia, ſe conferat. Qua quidem re porrò fit, vt & in multis ab alijs diſcedat, & ſuam propriam quandam ſententiã, ac opinionem teneat. Nã quòd tabulam picturę cedere pleriq; volũt, ab externis iuris principijs, propter pręualentiam, petitum eſt. quod verò contrà nonnulli ſentiunt, id nulla alia de cauſa ſic ſtatuunt, quàm quòd ad naturalem rationem, affixi adhæreſcentes, ab ea diuelli nequeunt. Quod ex pacto nudo, nulla iure ciuili actio producitur, ab ea parte Iuſticiæ profectum eſt, quę mediocritate quadam officiorum

contenta, non in id ſolum, quod natura ſuadet, verum in id quoq;, quod in populis commodè obtineri poteſt, intuetur: quòd autem contra, pontificij iuris authoribus ſedit, id verò nulla alia ratione conſtitutum, & inductum eſt, quàm quod ijs, ad perfectam illam, & quæ omnibus ſuis numeris expleta ſit iuſtitiã, quæ nullum promiſſum deſeri patiatur, reſpicere placuerit. Sic perſæpe fit, vt circa vnam & eandem rem, alius ſtrictum & ſummum ius vrgeat: alius id quòd æquum bonum eſt, ſequatur: alius ciuilem rationem inducat: alius in ſola ratione naturali acquieſcat: alius ad principia diuina reſpiciat: alius ad naturalia magis, vel externa, ſe conferat. Quod quidem, quoties in hiſce Pandectarum, ſiue Digeſtorum legibus occurrit, vna cautio eſt, vt quantum ad vſum forenſem attinet, id ſequamur, quod rei gerendæ, aptius & accommodatius inuenimus. Et quidẽ ſic in rebus quoq; ipſis contingit, vt quoties duę pluréſue conſiderationes, quæ viſiones Conſultis noſtris dicuntur, quarum tenue admodum diſcrimen ſit, circa vnam & eandem rem occurrunt, perſæpe fiat, vt aliud atq; aliud, circa idẽ ſtatuatur. Nam, quod alibi dicitur, prædonem eum non eſſe, qui in iure errans, poſſeſſionem alterius apprehenderit: & quòd contrà alio loco, malæfidei idem ille vocatur, vtrumq; certe verũ eſt, nã nec ita malęfidei eſt, vt odioſum illud prędonis nomen, accommodari illi debeat, nec rurſum ita bonęfidei, vt fructus lucrari, & reliqua bonafide poſſeſſorum commoda, percipere debeat. Sed de ijs quæ ad generalem Pandectarum intellectum pertinent, hæc nunc dicta ſufficiant. Reliquum autem eſt, vt poſt deinde ad ſingulorum interpretationem trãſgrediamur. Et quidẽ, cum, vti antẽ diximus, cuiuſq; iuris tractatus, tres ſint præcipuę partes, quarum vna legem ipſam cõtinet, altera legis interpretationem, tertia verò actionem legis: quæ quidem tres partes, non diſcrete ſemper in Pandectis, ſed confuſe plerũque, ſecundum ordinem locorum communium, ſub titulis contentorum, proponuntur: labor noſter præ

ster præcipuus,& cura, in eo ponetur,vt eã ipsam,de qua dicimus,in quoq; tractatu legem,eruamus, in apertumq́; proferamus,& quibus in natura ratiõibus nitatur,quasq́; in recessu antiquitatis,causas,origines,& progressus habuerit,demonstremus.Atque hisce quidẽ rebus, hoc nos consecuturos , approbante Deo, speramus , vt obscuris, istis ac vastis Pandectarum voluminibus,lumen aliquod breuitatis accedat , vtq́; ipsa principia fundamentaq́; iuris ciuilis,vel potius ipsum purũ putum(vt ita dicam)ius ciuile,in quo summa dignitas,ac maiestas versatur,& cui reliqua omnia , tanquam accessionis quadam vice applicantur:ad principia sua reuocetur,& in vnũ conspectum, quasi per epitomen proponatur, & quomodo reliquæ omnes quæstiones,& actiones,ad id accommodari possint ac debeant,intelligatur. Cui & illud insuper accedit(nisi fallor) eximium,quod tum isagogen,quandam & præparationem,ac viam, ad ipsas Pandectas,hęc nostra institutio aperiat : tum verò breuiarium quoddam , ac summarium,ad earundum iam perceptarum conseruationẽ,exhibeat:tum deniq; viam quandam ac modum,quo & admirabilis earum ordo cohęreat,& quo legis vniuscuiusq; ratio , à primis nobis insitis naturæ datis & commendationibus(quod quidem longe omnium magnificentissimum est) arte quadam adhibita trahatur, ostendat . Sed redeamus, ad id quod propositum est .

IOACHIMI HOPPERI PHRISII IVRECONSVLTI,

AD PANDECTAS IVRIS CIVILIS,

LIBER SECVNDVS.



IVVS ergo Iustinianus, librum Pandectarum vniuersum, ita composuit: vt in tres omnino partes tribuatur. Vnam autem principiorum, in qua, quemadmodum in reliquis disciplinis omnibus contingit, quędam quasi proëmia iuris, quę τὰ πρῶτα dicuntur Iustiniano, exhibētur. Alterum verò, ipsorum iudiciorum, in qua de omnibus his, quæ in iurisprudētum disputatione versati solent, exponitur: idque hac potissimum ratione ac via, vt (quòd plenæ perfectæq; artis est) vna cum rebus ipsis, ordo quoque iudiciorum ac processus, & actionum formulæ, implicentur. Tertiam denique, posteriorum, in quam illa fermè conijciuntur, quæ extraordinaria sunt, & in cuiusque institutionis finem, reijci solent. Et quidem, cùm omnis Iurisprudentia, hisce præcipuè tribus cō tineatur, bono scilicet ac ęquo, rebus ipsis, in quibus tanquam in materia, bonum & æquum versatur ac hęret, & vsu deniq; forensi: sic quidem composita sunt τὰ πρῶτα, vt primo de principijs boni & æqui pertractetur, pòst deinde verò, de materia iuri subiecta, & tertio denique, de principijs, & præparatorijs iudiciorum. Qui quidem ordo retroactus, in posterioribus quoq;, diligenter custoditur. in quibus, primo loco agitur, de appellationibus, quę post absolutum iudicium interponi solent: secundo,

secũdo, de rebus fiscalibus, militaribus, & municipalibus, quæ in ordinariam iuris rationem non cadunt: & postremò, de verborum significationibus, & regulis iuris, quibus quasi breuiarium quoddam vniuersi iuris, & epitome boni & æqui, continetur. Nam quod in secunda parte de iudicijs, hæc tria confunduntur, & in vnum commiscentur, nulla alia causa fit, q̃ quòd ita natura comparatum est, vt licet illa tria, ratione ac intelligentia separari possint, tamen post percepta prima principia, multo melius & expediti⁹, & ad cõmunem captum, breuitatẽq;, ac vsum accõmodatius, permisceantur, & eodem orationis cursu ac ordine pertractentur. Qua quidem re fit, vt & in ΤΟΙΣ ΠΡΩΤΟΙΣ, non alia, quàm quę ad primam informationẽ pertineant, proponantur: & reliqua ipsius iuris difficiliora, quasi cum rebus ipsis, & iudicijs, permistè commodius tractanda, differantur. Sed accedamus ad ipsam rem, & primò quidem, ad ipsius per se iuris, tractationem.

DE IPSO IVRE.



IVRI operam daturum, inquit Vlpianus, prius nosse oportet, vnde iuris disciplinę nomen descendat. Et est quidem ius, in hoc significatu acceptum, à fine suo Iustitia, sic appellatum, quæ iustitia est constans & perpetua voluntas (vti superioribus libris latius dictum est) ius suum cuiq; tribuendi: Ipsum verò ius, vt eleganter Celsus definit, est ars boni & æqui, cuius merito quis nos sacerdotes appellet. Positiones autẽ & articuli, circa quos hæc ars, tanquàm circa suas theses (sic enim accipit Cicero positiones) versatur, duo sunt, Publicum, & Priuatum. Publicum est, quod ad statum vniuersæ rei Romanæ pertinet: Priuatum, quod ad singulorũ vtilitatẽ. Nam qua ratione medici, vel ijs morbis curandis operam nauant, qui per

DE IVSTITIA ET IVRE.

totum

totum corpus pertinent, vel ijs, qui partem aliquam afficiunt: eadem etiam Iureconſulti, vel publicam vtilitatem procurant, vel priuatam. Sed quia homo, vel vt animal ſpectatur, vel vt homo, vel vt ciuis: priuatũ ius (quod idem & in publico probari poteſt, de quo idoneo loco) tripartito ferè collectum eſt. Conſtat enim, partim ex naturalibus præceptis, quæ natura, omnia animalia docuit, cuiuſmodi eſt maris & fœminæ coniunctio: partim ex gentium, quæ à ratione profecta, ſolis & omnibus hominibus inter ſe communia ſunt, vt eſt erga Deum religio: partim ex ciuilibus, quæ pro locorum & perſonarum differentijs, cuiuſque propria ſunt ciuitatis, & vel certis legibus continentur, tam ſcriptis, quam non ſcriptis, vel viua quaſi voce magiſtratus, qui legum cuſtos, quemadmodum author eſt Plato, vel lex viua dicitur. Verum hic nunc ſciendum eſt, quænam Iuris noſtri ciuilis origo ſit, & quæ magiſtratuum & prudentum, per quos ſuſtentatum ſemper fuit, ſucceſſio, & quæ denique partes illius. Acquantum quidem ad originem attinet, initio ciuitatis Romanæ, populus, ſine certa lege primum agere inſtituit, omniaque manu à regibus gubernabantur, non legibus, niſi curiatis, quas in vnum componens Papyrius, ius quod Papyrianum dictum eſt, primus conſtituit. Exactis regibus, & ſublatis legibus curiatis, exortum eſt ius duodecim tabularum, cui poſt deinde acceſſère, diſputationes fori, ac interpretationes prudentum, & quæ vocantur legis actiones. Tertio aucta ciuitate, conſecuta ſunt, plebiſcita, Senatusconſulta, prætorum edicta, & placita principum, quæ pro ipſius ſtatus Reipub. ac formę mutatione (habet enim vnaquæque Reipublicæ ſpecies, ſuas quaſdam proprias legum formas, vt inquit plato) exoriebantur. De magiſtratibus, initio vrbis Romanæ, conſtat quidem regem, omnem poteſtatem habuiſſe, ſed expulſis regibus, conſtituti ſunt conſules, cenſores, dictatores, tribuni plebis, quæſtores. Et poſtea, cum conſules auocarentur bellis finitimis, ne-

DE ORIGINE IVRIS, ET OMNIVM MAGISTRATVVM, & SVCCESSIONE PRVDENTVM.

que-

que eſſet qui in ciuitate ius reddere poſſet, factum eſt vt prætores crearentur, decemuiri, cum triumuiris & nonnullis alijs, nam quemadmodum in minoribus ciuitatibus contingit, in vni alicui, plura diuerſa committantur, ita per contrarium, in maioribus vſu venit, vt eadem res, per plures perſonas, authore Ariſtotele, diſtribuatur. Iuriſprudentiam, plurimi & maximi viri profeſſi ſunt, qui quidem à paruis initijs, quemadmodum fieri aſſolet, quinque quaſi gradibus creuerunt. Nam qui ante Tiberium Coruncanum fuerũt, à Papyrio profecti, publicè profeſſi non ſunt, ſolumque conſultoribus vacare potius, quàm diſcere volentibus ſe præſtabant. Tiberius Coruncanus, primus profiteri & commentari cœpit. Publius Mutius, ius ciuile primus fundauit, quem ſecutus Quintus Mutius Pontifex Max: plene ius ciuile conſtituit, generatim in libros decem & octo redigendo. Atteïus Capito & Antiſtius Labeo, primum veluti diuerſas ſectas fecerunt, quo etiam ferme tempore Maſſurio Sabino, conceſſum eſt, à Tiberio Cæſare, vt (quod prius priuatum erat) populo publice reſponderet. Partes iuris ciuilis, quæ quidem hodie vſu frequentantur, hæ ſunt, Lex, Senatusconſulta, longa conſuetudo, & conſtitutiones principum, idque pro trium formarum Reipublicæ, Democratiç ſcilicet, ariſtocratiç, & monarchiæ differentia. Legem definit Papinianus his verbis. Lex eſt commune præceptum, virorum prudentum conſultum, delictorum, quæ ſponte vel ignorantia contrahuntur, coërcitio, communis Reipublicæ ſpontio. Ideo autem commune præceptum vocat, quoniam lex, omnes obſtringit æqualiter: Ideo prudentum conſultum, quia vix fit, vt vniuerſus populus, rectè deliberet, ſed ſunt rogationes ad populum, de ijs quç prudẽtibus ſalutaria viſa ſunt: Ideo coërcitionẽ delictorum, quoniam lex ciuilis & externa, non tam viros bonos efficit, quemadmodũ author eſt Auguſtinus, quàm coërcet, & in officio retinet malos; Ideo deniq; communem Reipubli-

DE LEGIBVS, SENATVSQVE CONSVLTIS, ET LONGA CÕSVETVDINE.

publi-

pub. ſponſionem, quia hoc demum vim illi & effectum tribuit, ſecundum Ariſtotelem ſi à populo recipiatur, quo quidem fit, vt & pacti nomen, ad legem ſubinde transferatur. Senatusconſultum eſt, quod ſenatus iubet atque conſtituit, nam & ſenatum, tanquàm optimatum concilium, ius facere poſſe, nõ ambigitur. Longa cõſuetudine comprobata illa dicuntur, quæ per annos plurimos obſeruata, velut tacita ciuium conuentione conſtituta, non minus quàm ea, quæ ſcripta ſunt iura, ſeruantur. Nam quia fieri nõ poteſt, vt omnia, etiã minutiſſima quæque, legibus comprehẽdantur, de quibus cauſis, ſcriptis legibus non vtimur, id cuſtodiri oportet, quod moribus, & conſuetudine introductum eſt. De conſtitutionibus principum, quod principi placuit, inquit Vlpianus, legis habet vigorẽ, vtpote cum lege regia, quæ de imperio Augusti lata eſt (nã eſt & alia, quę à prioribus regibus lata, Regia dicitur, cuius Marcellus ſub tit. de mortuo inferẽdo, meminit) populus ei, & in eum omne ſuum imperium ac poteſtatem cõtulerit. Atque hęc quidem de ipſo iure, nunc verò videamus, de materia iuri ſubiecta.

DE CONSTITVTIONIBVS PRINCIPVM.

DE MATERIA IVRI SVBIECTA

DE IVRE PERSONARVM.



MNE ius quo vtimur (quẽadmodum & Vegetius de re militari tradit) vel ad perſonas pertinet, quarum cauſa ius cõſtituitur: vel ad res, quibus homines exhibentur. Nam quod & actionum, Caius Iureconſultus meminit, non eo quidem pertinet, quaſi illarum quoque materia, tanquàm propriè iuri ſubiecta, poni debeat. nam hac ratione liceret, etiam leges ipſas, in eundem numerum reponere, quæ vtique certa quadam & iure pręſcripta regula, condi debent: ſed quia liber Inſtitutionum ciuilium, non alia facile promptiore ac expeditiore via, in ordinem includi poterat, quàm huiuſmodi quadam partitione pro-

ne proposita. Sed est personarum duplex prodita diuisio, quarum vna iurisgentium est, altera iuris ciuilis. Iuregẽtium, omnes homines, aut liberi sunt, aut serui, quemadmodum & natura cotingere, dicit Aristoteles, vt videlicet alij ad imperandum, alij ad obediendum formati à natura, in lucem edantur. Libertas est naturalis facultas, eius, quod cuiq; facere libet, nisi si quid vi aut iure prohibetur. Nam nec vis, quę facti est, tollere potest libertatem, quæ est iuris: ex quo quidem fit, vt à latronibus capti, serui non fiant: nec ius quoq;, quoniam id demum vere velle dicimur, secundum Proculum, quod iure volumus. Seruitus est constitutio, siue constitutione iuris gentium ad malorũ repressionẽ, introducta potestas, qua quis, nõ dico Iurisdictioni, quæ diuinitus collata est, sed dominio alieno, tanq̃ proprietati, & ei quidẽ, quę cõtra naturã est, nõ verò illi naturali, quę in potestate patris cernitur, est subiectus. Et quidem, cum serui tam iure gentiũ, quàm ciuili, pro nullis habeantur: eorum nulla est iuris differentia, sed omnium vnum nomen, à seruando tractum: quemadmodum ancillarum ab anculari, quod antiqui pro ministrare dicebant, licet quantum ad rem familiarem attinet, paulò secus habeatur. Liberorum autem hominum, alij ingenui sunt, alij libertini. Ingenui sunt, qui ex libera matre, quæ quidem sola, tanquam certa, spectatur in his rebus, nati sunt, quanquam in dignitatibus & similibus, patris potius, tanquã dignioris, quàm matris, fortunam sequatur is, qui nascitur. Libertini sunt, qui ex iusta seruitute, manumissi sunt. Dico autem iusta, quoniam quemadmodum vxorum, aliæ sunt vulgares, aliæ iure Romano copulatæ: ita seruorum, alij tantum sunt in bonis nostris, alij ex iure Quiritum, iustam nobis seruiunt seruitutem. Sed erant olim libertinorum: tria fermè genera, videlicet pro numero ac differentia eorum, qui à Romanis bello vincerentur. qui quidem fiebant, vel ciues Romani, vt idoneo loco dictũ est, vel Latini, vel Dedititij, de quibus latius apud Theophilum. Verum hæc

diuiſio, nunc penitus exoleuit, ſunt enim omnes ciues Romani: propter exæquatam conditionem eorum, qui ſubditi ſunt Imperio Romano, qui quidem omnes ciuitate ſunt donati. Iure ciuili, diuiduntur homines, partim in eos, qui ſui iuris ſunt, partim in eos, qui alieno iuri ſunt ſubiecti. Horum alij ſunt in poteſtate dominorum, quæ quidem poteſtas eſt iuris gentium, nam apud omnes peræq; gentes, animaduertere poſſumus, dominis in ſeruos, vitæ, neciſq; poteſtatem fuiſſe, & quodcunque per ſeruũ acquiritur, id domino tanquam per instrumentum, acquiri: alij in poteſtate ſacriſq; parentum, quod ius proprium ciuium Romanorum eſt, quemadmodum ius legionariæ militię, togę ferendę, gentilitatis, adoptionis, & aliorum omnium, quæ ad eandem ſimilitudinem rediguntur, quæ quidem, licet apud alias quoq; gentes, aliquo modo reperiantur (quis enim neſcit, apud Grȩcos, ius vitæ ac necis, in liberos quoq; fuiſſe) tamen ideo propria dicuntur ciuium Romanorũ, quoniam haud alijs, de ſubditis Romanorum, conceduntur, quam qui ciuitate donati ſint, idque non alia de cauſa, quàm quod quibuſdam, non cõmunibus omnium gentiũ, ſed proprijs Romanorum conſtent ceremonijs ac ſolennitatibus. Conſtituitur autem hæc ſacroſancta poteſtas, vel per iuſtas nuptias, de quibus idoneo loco tractabitur: vel per adoptionem, quæ quidem tũ ad ſolatium eorum, qui liberos non haberent, primum fuit conſtituta: tum iis etiam, qui ſine ſui nominis & familiæ hæredibus, alioqui deceſſuri eſſent, apud nonnullos Græcos, quemadmodum author eſt Plato, per legem impoſita. Hæc rurſum fit duobus modis, aut Imperio magiſtratus, prætoris, vel præſidis: aut populi, vel principis authoritate. Imperio magiſtratus adoptantur, qui à parẽte, in cuius poteſtate ſunt: tertia mancipatione, quẽadmodum refert Gellius, in iure cedũtur, atq; ab eo qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio eſt, vendicantur. Authoritate principis, vel

DE HIS QVI SVI VEL ALIENI IVRIS SVNT.

populi,

populi adoptantur ij, qui sui iuris sunt, & in alienam potestatem se tradunt, quę species adoptionis, dicitur arrogatio. Ná si apud principē fiat, & is qui adoptat rogatur, an velit eum, quē adoptaturus sit, iustum sibi filium esse, & is qui adoptatur rogatur, an id fieri patiatur. Si vero apud populū, rogatur vniuersus populus, secūdum hanc formulam: Velitis, iubeatis, vti Lucius Valerius, Lucio Titio, tam iure, legeq; filius, sibi fiat, q̃ si ex eo patre, matreq; familias eius, natus esset, vtq; ei vitę necisq; potestas fiat, vti pariendo filio est, hoc ita vt dixi, ita vos Quirites rogo.

DE ADOPTIONIBVS ET EMANCIPATIONIBVS, ET ALIIS MODIS, QVIBVS POTESTAS SOLVITVR.

Soluitur aūt oīs patria potestas, vel adoptione, vel emácipatione, vel alijs quibusdā modis. Adoptione, veluti, si qs filiū suū, alij dás adoptandū, eū, de potestate sua dimittat, qđ quidē olim semper fieri solet, authore Cicerone. Emácipatiōe, veluti si quis, quinq; testib⁹, pro numero tribuū Populi Romani, præsentib⁹, & itē libripēde præsente, qui tanq̃ publica persona, omnibus olim emptiōibus interuenire solet, cū nōdum signato, sed appēso ære, populus Roman⁹ vteretur, vēderet filiū suū, fiduciario alicui emptori, vno nūmo, hac spe ac fiducia, vt is, nō pro seruo eū retineret, sed cōfestim vindicta manumitteret, qua quidē solénitate, ter repetita, cōtingebat plena solutio, patrię potestatis. Et causa quidē, cur hac circuitione potius, q̃ simplici manumissione vterētur, hæc erat, qđ nihil iure Quiritū alienatū cēseretur, nisi qđ vel anno possessum esset, vel cessum in iure, vel legittimè mácipatū. Ter vero repetēdę solēnitatis ratio erat, imitatio ipsius veritatis: ná filius reuera vēditus, & ab emptore manumissus, nō aliter plenā adipiscebatur libertatē, quá si ter vēditus, & manumissus esset. author Dionysius.

DE DIVISIONE RERVM ET QVALITATE.


Nūc sequitur vt de rerū diuisiōe, & qualitate dispiciēdum sit. Et summa quidē rerū diuisio, in duos articulos diducitur, idq; pro ipsius vniuersi partitione, nam alię sunt diuini iuris, aliæ humani. Diuini iuris sunt, veluti res sacræ, religiosæ, & sanctæ, quæ & nullius in bonis sunt. Humanæ, quæ alicuius plerunq; creduntur esse in bonis. Alia diuisio rerum, in corporales &

incorporales deducitur. Nã quæcunq; hoc mundo contĩnẽtur, ea, vel manibus tractari, & in sensum oculorũ cadere possunt, vel sola mentis & animi cogitatione prehendũtur. Corporales hæ sunt, quę tãgi possunt, veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum, & deniq; alię res innumerabiles. Incorporales sunt, quæ tangi non possunt, qualia sunt ea, quæ in iure cõsistunt, sicut hæreditas, vsusfructus, obligatiões quoquo modo cõtractę. Tertia diuisio, secũdũ illum rerũ ordinẽ, qui à latissimè patẽtibus, ad indiuidua proficiscitur, est cõstituta. Nã quędam naturali iure sunt omniũ, quædam vniuersitatis, quędã singulorũ, quædã nullius. Naturali iure omniũ cõmunia sunt, illas aër, qui omnes ambit: aqua profluens, qui suo perpetuo cursu, se omnibus cõmunicat: mare, quod omnem circuit terrã, & eam in se cludit. Vniuersitatis sunt, veluti, quę in ciuitatibus sunt theatra, & stadia, & si qua sunt alia communia ciuitatũ. Nam publica, vel eadẽ sunt, cum rebus vniuersitatis, vel cum cõmunibus, vel media, veluti gẽtis alicuius & nationis. Singulorũ sunt, quæ varijs ex causis vniuscuiusque dominio applicãtur. Nam quia viuitur cum imperfectis, inter quos materiã tum discordiæ, tum inertię, prębet rerum cõmunio: recte ac prouidenter introducta est bonorum proprietas ac distinctio. quæ quidem & hoc etiam efficit, vt inexplebilem illam animi nostri cupiditatem, nonnihil mitiget ac sedet. Nullius res sunt, sacrę, religiosę & sanctę, quę nimirũ ad superos, inferos & medioximos, quos antiquitas colere solebat, adhibẽtur. Sacræ res sunt, quæ vti Plato præcipit, publicè consecratæ sunt, non priuatè. Forma vero, qua consecratio fiebat, hęc erat: vt vel à cõsule, vel Imperatore, accenso foculo, fieret, cum tibicine, verbis solennibus, præeunte vero pontifice Maximo, præfante carmen, capite velato, & cõcione aduocata, ac iussu populi. Religiosum locũ, vnusquisq; sua voluntate facit, dum mortuũ infert, in locũ suum, & est religiosum propriè, secũdum Massuriũ Sabinũ, apud Gellium, quod propter sanctitatẽ aliquã, remotum

tum ac ſepoſitum à nobis eſt, ducto verbo, à relinquendo.

Sanctum eſt, quod ab iniuria hominum, munitum atq; defenſum eſt, ſumpto nomine, à ſagminibus legatorum, proficiſcentium ad fœdus faciendum, bellúmue indicendum, vel à ſanciendo, id eſt, confirmando. Atque hinc quidem factum eſt, cur ſacroſanctum dictum ſit, quod iureiurádo interpoſito, ſit inſtitutum, vt ſi quis violauerit, morte pœnaspendat: item cur ſacratę leges dicantur, quibus ſancitum eſt, vt ſi quis aduerſum eas fecerit, ſacer alicui deorum ſit, cum familia pecuniaque. denique cur muri etiam & portę, ſanctorum nomine veniāt, vtputa, cum non niſi per portas vrbem ingredi ac egredi liceat. Planè inter ſacrum & ſacrarium, hoc intereſt, quod ſacer locus eſt conſecratus, ſacrarium, locus in quo ſacra reponuntur, quod etiam in ædificio priuato eſſe poteſt: & ſolent, qui eum locum liberare religione volunt, ſacra inde euocare, cuius quidem euocationis, cum oppugnatione ciuitas cingitur, carmen eſt huiuſmodi: Si deus, ſi dea es, cui populus ciuitaſque Carthaginienſis, eſt in tutela, teq; maxime ille, qui vrbis huius populique tutelam ſuſcepiſti, precor venerorq;, veniamq; à vobis peto, vt res, populum, ciuitatéque, Carthaginiēſeſque, deſeratis, loca, templa, ſacra, vrbemque eorum relinquatis, abſque his abeatis, eique populo, ciuitatique, metum, formidinem, obliuionem inijciatis, proditique Romam ad me meoſq; veniatis, veſtraq; vobis, loca, templa, ſacra vrbs acceptior, probatiorq; ſit, mihi quoq;, populoq; Romano, militibuſq; meis propoſiti ſitis, vt ſciamus, intelligamuſq;. Si ita feceritis, voueo vobis templa, ludoſq; futurum. Sed de perſonis & rebus, hactenus breuiter dixiſſe ſufficiat: nam ſi qua erunt alia, quæ eodem pertinebunt, ea vna cū ipſis actionibus & iudicijs percipere, non erit alienum. Nunc vero tranſeamus ad ΤΑ ΠΡΩΤΑ iudiciorum.

DE PRÆPARATORIIS IVDICIORVM ET PRIMO DE MAGISTRATIBVS.



RÆPARATORIA iudiciorũ, partim consistunt, in ipsorum iudicũ ac magistratuũ, quorũ imperium & iurisdictio est, descriptiõe: partim in ingressu & exordio litis instituendę: partim in his quę incidere solent, & incurrere in litem. Ac quantum quidem ad magistratus attinet, quorum nomen hinc ductum est, quod maiorem Reipublicæ curam sustineãt, nihil vtiq; dubium est, quin eorũ descriptione, omnis Reipubl. moderatio, contineatur, & sine prudẽtia eorũ, ac diligentia, ciuitas esse non possit. Nã vt magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus. vereq; dici potest, magistratũ legem esse loquentẽ, legem autẽ, mutum magistratũ. Sunt autẽ Romani magistratus omnes, duũ præcipuè generũ, vel enim sunt magistratus vrbici, qui ipsius Romanæ Reipu. rectionẽ domi sustinent: vel sunt prouinciales, qui prouincias gubernant. His vtrisq; accedũt alij, qui vel mandatã iurisdictionẽ obtinẽt, vel assessorũ officio funguntur, de quibus post dicemus. Vrbici magistratus, quorũ quidẽ in iudicio vsus est, hi sunt, senatores, cõsules, prȩfecti prætorio, prȩfecti vrbis, quȩstores, prætores, præfecti vigilum. Senatores, à Romulo primũ cẽtum electi, sic dicti sunt, ab ætate, a qua & patres appellabantur, & patroni multitudinis. Eorũ posteri, patricij vocabantur. Sed hæc quidem ratio, secundum Iustiniani tẽpora, paulo aliter se habet. Nã patriciatus dignitas, non familiæ nunc est, & successionis senatoriæ, sed summi apud principem loci & ordinis. Item eorum qui munus aliquod in Republica tuentur, quatuor fermè sunt gradus. Superillustrium, illustrium, spectabilium, & clarissimorum, quibus nonnulli adijciunt, perfectissimos. Ergo senatores hodie describuntur, in hunc modum. Senatores sunt, qui à patricijs, & consulibus, vsque ad omnes viros il-

DE SENATORIBVS.

rosil-

ros illustres,descēdunt,quasi dicas,senatores sunt,omnes superillustres,& illustres,quia hi soli, in senatu sentētiam dicere possunt. Consules dicti sunt à consulendo,id est, prouidēdo,nam pulsis regibus,cōsulare imperiū factū est, cū omni regia potestate,& insignibus. Hęc potestas, sub Augustis multū fuit imminuta,& ad sola fermè insignia, spōtaneamq; iurisdictionē,redacta. Atq; hoc quidē est,qđ ait Vlpianus,officiū consulis esse,consiliū cogere,ac prębere,manumittere volētibus. Præfecti prætorio,ad vicē magistri equitū,antiquitus instituti sunt,nā cum apud veteres,dictatoribus ad tēpus summa potestas crederetur,& magistros equitū sibi eligerēt,qui adsociati, participales curæ ad militiæ gratia, summā post eos potestatē gererēt: regimētis Reipu. ad imperatores trāslatis,ad similitudinē magistrorū equitū,pręfecti prætorio,à principibus electi sunt. dataq; pleniore licētia,ad disciplinæ publicæ emēdationem, in tantū meruit augeri pręfectorū authoritas,vt appellari à præfectis prætorio nō possit. Nomen autē à castrēsi vocabulo profluxit. Nā prætor,omnis magistratus appellabatur,cui pareret exercit⁹: & prætoriū,locus,quo prętor degeret. Præfectū vrbi, qui vrbanis negotijs præesset,primus Romulus cōstituisse dicitur. Etenim posterioribus tēporibus,nō aliter,ꝙ si reliqui magistratus proficiscerētur,vnus relinquebatur,qui ius diceret,& præfectus vrbi vocaretur. Per tpa Imperatorū,cœpit ordinaria forma magistratus esse, præfectura vrbis, quę oīa omnino crimina sibi vēdicabat,nō ea tantū,quę intra vrbē admitterētur,verū ea quoq;,quæ extra vrbē,intra centesimū miliarium in Italia. Origo quęstoribus creādis,antiquissima est,& penè ante omnes magistratus. Nā Gracchus Iunius, etiā ipsum Romulū & Numā Pompiliū,binos quęstores habuisse, quos ipsi non sua voce, sed populi suffragio crearēt,refert. Nomē illis collatū est,à quęrēdo,nam & in maleficia inquirūt, & pecunias cōquirunt. Nōnulli eorū,solis libris principalibus in Senatu legendis, vacant, qui candidati principis appellantur,& pro-

DE OFFICIO CONSVLIS.

DE OFFICIO PRÆFECTI PRÆTORIO.

DE OFFICIO PRÆFECTI VRBI.

DE OFFICIO QVÆSTORIS.

uincias non sortiuntur, quemadmodum alij. Olim inquit Pedianus, prima administratio erat, Quęstorem fieri. Hodie obtinuit, indifferenter quæstores creari, tā patricios quàm plebeios, ingressus enim est & quasi primordiū gerendorum honorū, sententiæq; in senatu dicendæ.

DE OFFICIO PRÆTORVM.

Pætorium nomen, quod à præeūdo tractum est, etiam consules olim, authore Liuio, cōpręhendere solebat, post deinde, cùm consules bellis finitimis auocarentur, neque esset, qui in ciuitate ius reddere posset, factū est, vt prętor crearetur, primum vrbanus, deinde peregrinus, mox nōnulli alij, quorum authoritas in edicendo, decernendo, iudicando, iudiceq; dando, consisteret.

DE OFFICIO PRÆFECTI VIGILVM.

Pręfectos vigilum, primus Diuus Augustus constituit, nam pluribus vno die incendijs exortis, septē cohortes, oportunis locis constituit, vt binas regiones vrbis, vnaquæq; cohors tueretur, præpositis eis tribunis, & super omnes, spectabili viro, qui præfectus vigilum appellatur. Atque hæc quidem de magistratibus vrbicis. Prouinciales magistratus, pro ipsarum prouinciarū formula, distinguuntur. Quia enim ex ordinatione Diui Augusti, prouinciarum: aliæ populo cedunt, aut Senatui: aliæ ipsi principi: quantum ad eas attinet, quæ populi sunt vel Senatus, ijs præficiuntur, prætores, consules, proconsules, & legati, à quibus ipsæ prouinciæ, vel prætoriæ, vel consulares dicuntur. Quantum ad illas alteras, eas solet princeps, vel præsidibus, vel legatis Cæsaris, vel præfectis augustalibus, vel iuridicis, vel alijs similibus committere, quę inde præsidales prouincię appellantur. Igitur magistratus prouinciales, quorum Iustinianus hic meminit, hi sunt, procōsules, & legati, præfecti augustales, præsides, procuratores Cęsaris & rationales, iuridici.

DE OFFICIO PROCŌSVLIS ET LEGATI.

Proconsules eodem modo dicti sunt, quo protutores, nam Posthumio Albo & Sexto Fusio Coss. bello infeliciter contra Equos gesto, proconsul creatus est Titus Quintius, qui prim⁹ in eo magistratu fuit: eum sex lictores præcedebant, cætera omnia habebat, vti consules, & inde statutum est, vt qui consules

vno

vno anno fuiſſent, ſequenti proconſules eſſent. Deinde proconſules, ad prouincias mittebãtur, qui pleniſſimam iuriſdictionem haberent, vt omnium partes, qui Romę, vel quaſi magiſtratus, vel extra ordinem ius dicerent, ſuſtineant, & maius imperium, in ea prouincia, poſt principem habeant. Legati proconſulum ſunt, qui eorum adminiſtrationi præſtant auxilium, ſic tamen, vt nihil proprium habeant, niſi à proconſule eis mandata fuefuerit Iuriſdictio. Et propterea, ſi quid erit, quod maiorẽ animaduerſionem exiget, remittere legatus ad proconſulem debet, neq; enim vel animaduertẽdi vel coercendi, vel atrociter verberãdi ius habet, licet iudices & tutores dare, mandata iuriſdictione poſſit. Præfectus auguſtalis, ab Auguſto, per quem rebus præficeretur, nomẽ accepit. Et erat quidem ſic potiſſimum dictus is, qui Ægyptum teneret. quoniam Auguſtus, Ægyptum, à reliquis prouincijs ſeponens (quemadmodum author eſt Cornelius Tacitus) præcipuam quandam eius prouinciæ curam habebat. prohibens, ne quis illuſtris, niſi conceſſu principis, ingrederetur Ægyptum, ob eam cauſam, quod quicunque eam prouinciam occupaſſet, facilè poſſet, fame premere Italiam. Nomen præſidis generale eſt, eo quod & proconſules, & legati Cæſaris, & correctores, & omnes prouincias regentes, qui maius habent imperium in pouincia, omnibus poſt principem, pręſides appellantur. Procurator Cæſaris eſt, qui fiſci procurationẽ habet. Nã cum in pecunijs principis (eſt enim ærariũ populi) vel fiſcum publicũ ſpectemus, vel patrimoniũ eius priuatũ: q rebus fiſcalibus præeſt, procurator Cęſaris, qui patrimonialibus, rationalis rei priuatæ, nominatur. Iuridicum eũ dicimus, qui poſt rectorem prouinciæ, locum ab eo ſecũdum obtinet, & iudicia prouinciæ, in ſua poteſtate habet. Nunc ſequitur, vt dicendum ſit, de his, qui mandatam Iuriſdictionem habent, & item de ijs, qui aſſeſſores appellantur. nam ſæpenumero ſit, vt ipſi magiſtratus, commodè rebus ſupereſſe non poſſint. Qui mandatam

DE OFFICIO PRÆFECTI AVGVSTALIS

DE OFFICIO PRÆSIDIS.

DE OFFICIO PROCVRATORIS CÆSARIS, VEL RATIONALIS.

DE OFFICIO IVRIDICI.

DE OFFICIO EIVS, CVI MANDATA EST IVRISDICTIO.

datam Iuriſdictionem ſuſcepit, proprium nihil habet, ſed eius qui mandauit iuriſdictione vtitur. Verius eſt tamen, more maiorum, iuriſdictionem quidem, quæ iure magiſtratus competit transferri, ſed merum imperium, quod cum ſolius populi ſit, lege datur, non transferri. Nam quæcunque ſpecialiter, lege, vel ſenatuſconſulto, vel conſtitutione principum tribuuntur, mandata iuriſdictione, non tranferuntur. Et ideo quod ad mixtum imperium attinet, mandata Iuriſdictione, à præſide, conſilium non poteſt quidem exercere is, cui mandatur, propterea quod ea res non longe abeſt ab imperio: bonorum autem poſſeſſionem dare poteſt, quia ſapit Iuriſdictionem. Plane imperium quod Iuriſdictioni cohęret, mandata Iuriſdictione, tanquàm cum ſua vniuerſitate tranſit, quia Iuriſdictio, ſine modica coërcitione, nulla eſt.

DE OFFICIO ADSESSORVM.

Officium aſſeſſorum, quorũ iuris ſtudioſi partibus ſuis fungũtur, in his ferè cauſis conſtat: in cognitionibus cauſarum capiendis: poſtulationibus litigatorum audiendis: libellis ſupplicibus accipiendis: edictis, vel perpetuis, vel temporalibus ad Iuriſdictionem pertinentibus, proponẽdis: decretis inter litigantes & interlocutionibus dandis: epiſtolis principis, quibus de iure reſcribitur, excipiendis. Et poſſunt quidem aſſeſſores eſſe, non ſolum ingenui homines, verum etiam libertini. Ordinarium eſt, vt de ingreſſu Iudiciorum dicamus.

DE INGRESSV IN IVDICIVM.



PRIMVS ingreſſus in Iudicium, qui litis conteſtationem antecedit, tribus omnino gradibus, pro numero perſonarum quæ in iure verſantur, vt ſunt iudex, reus, & actor, continetur. quorum vnus eſt, vt is, qui iuriſdictioni præeſt, adeatur: alter, vt iuſſu aut permiſſu Iudicis, aduerſarius in ius vocetur: tertius, vt is qui agere velit,

edi-

editionem faciat eorum, quibus intentionem ſuam fundet, vt proinde ſciat reus, vtrum cedere an contendere, ac litem conteſtari, vltra debeat. De eo autem, qui Iuriſdictioni præeſt, is vel merum imperium habet, vel mixtum, vel Iuriſdictionem, ſpeciali nomine ſic dictam. Merum imperium eſt (vti alijs libris latius expoſitũ eſt) habere gladij poteſtatem, ad animaduertendum facinoroſos homines, quod etiam poteſtas appellatur. Mixtum, quod ex imperio ſimul & iuriſdictione temperatum, in danda bonorum poſſeſſione præcipuè conſiſtit. Iuriſdictio, ęſt priuata iudicandi, judicíſue ſuper ijs dandi licentia. Leges autem quę circa iuriſdictionem ex edicto prętoris proditę extant, tres fermè ſunt: quarum prima pertinet, ad ea, quę publicè proponuntur, à prætore, perpetuæ Iuriſdictionis cauſa. nam is vel priuata proponebat olim, veluti ſi quem abſentem in ius vocaret: vel publica, veluti, ſi quid quod in fori vſu perpetuo verſari vellet, mãdaret. Nam cum prius prętores, ſingulis annis, noui aliquid excogitarẽt, circa Iuriſdictionem, lege Cornelia cautũ fuit, vt ex edictis ſuis ꝑpetuis, ius dicerẽt. Secũda pertinet ad eos, qui tẽpore magiſtrat⁹ ſui, ius iniquũ in aliquẽ ſtatuũt. Nã cũ tãta eſſet olim prętorũ authoritas, vt & iuris condẽdi poteſtatẽ haberent, idq́; tum in omnes, tum in ꝑſonas litigatorum: valde prouidendum erat, vt ſi quid in aliquem iniquè ſtatuiſſent tempore magiſtratus, priuati facti, idem paterentur. Tertia de his eſt, qui ius dicenti non obtemperant, quod quidem non tunc cenſetur fieri, cum vocationi non paretur, ſed cum ipſi executioni, quæ quidem vltima eſt in iuriſdictione, non obtemperatur. ſed recitemus ipſas leges.

DE IVRISDICTIONE

QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERV̄ STATVERIT, VT IPSE EODEM IVRE VTATVR.

Verba Vlpiani hæc ſunt. Si quis id quod Iuriſdictionis » perpetuæ cauſa, non quod (prout res incidit) in albo, » vel in charta, vel in alia materia propoſitum erit, dolo » malo corruperit, datur in eum, quingẽtorum aureorum » iudicium, quod populare eſt. Prætor ait: Qui magiſtra- » tum poteſtatémue habebit, ſi quid in aliquem noui Iuris »

ſtatue- »

" statuerit, ipse quandoque aduersario postulante, eodem iu
" re vti debet. Si quis apud eum, qui magistratum, pote-
" statémue habebit, aliquid noui iuris obtinuerit, quan-
" doq; postea aduersario eius postulante, eodem iure ad-
" uersus eum decernetur: scilicet, vt quod ipse quis in alte-
" rius persona ęquum esse credidisset, id in ipsius quoq; per-
" sona, valere patiatur. Vlpianus ait: Si quis ius dicenti nō obtēperauerit, pœnali iudicio, quāti ea res est, tenetur: Nā omnibus magistratibus (exceptis duumuiris, qui quoniam municipales sunt, nihil habent imperij, secundū Paulum) secundum ius potestatis suæ, concessum est, iurisdictionem suam defendere, pœnali iudicio. Is autem videtur ius dicenti non obtemperasse, qui quod extremum est in iurisdictione, nō fecit.

SI QVIS IVS DICENTI NON OBTEMPERAVERIT.

DE IN IVS VOCANDO.

In ius vocare est, iuris experiundi causa vocare: qđ quidē duobus modis fiebat: aliâs per denuntiationem, veluti si quis aduersatio suo, super mutuo, stipulatione, aut expensolato, diem diceret: aliâs per raptionem in ius, vt cùm quis aduersarium suū, attestatione facta, vel duceret, vel sequi iuberet, vel obtorto collo raperet: atq; id quidē, cū circa nōnullas personas, puta magistratuū, parentū, & eorum, qui vel publicis, vel alijs pijs negotijs occupātur, nimis indignum videretur: lege cautum est, vt ne illos, sine fraude, in ius vocare cui liceat. Sic enim ait Vlpianus: In ius vocare non oportet,
" neque consulem, neque pręfectum, neque prętorem, neq;
" proconsulem, neque cæteros magistratus, qui imperium
" habent, & qui coërcere aliquem possunt, & iubere in car
" cerem duci, nec pontificem dum sacra facit, nec eos,
" qui propter loci religionem, inde se mouere nō possunt:
" sed nec eum, qui equo publico, in causa publica transueha tur, quod quidē accipere possumus, vel de recognitione, quā Fabius Maximus instituit, cū videlicet equites recēsentur: vel de his, qui in causa publica, dispositis equis, cū diplomate principis, cuius & Plinius & Venuleius Iureconsultus meminerunt, proficiscuntur. Præterea in ius vocari non debet, qui vxorem ducit, aut ea quę nubit,

nec

nec iudex, dum de re cognoſcit, nec dum quis apud prętorem cauſam agit., neque qui funus familiare ducit iuſtaque mortuo faciat. Vel qui cadauer proſequuntur, quod etiam videtur reſcripto diuorum fratrum comprobatum eſſe, quiq; litigádi cauſa neceſſe habet in iure, vel certo loco ſiſti, nec furioſus, nec infantes. Item prætor « ait. Parentem, patronum, patronam, liberos, parentes « patroni, patronæue, in ius ſine permiſſu meo ne quis vocet. In eum autem, qui aduerſus ea fecerit, quinquaginta aureorũ, iudicium datur. Enimuero, extra has perſonas ſi quis in ius vocatus non ierit, ex cauſa, à competenti iudice, multa, pro iuriſdictione iudicis damnabitur. Nam & ſi quis eum vocauerit, quem ex edicto non debuit, in ius vocatus, venire debet, vt hoc ipſum ſciatur, an iuriſdictio eius ſit. nam quod alibi dicitur, extra territorium ſuum, ius dicenti, impunè non pareri: de pœna aduerſario debita exaudiendum eſt, non de ea, quæ ius dicẽti debetur. Etenim edicta, quibus hi qui vocati ſunt, venire iubentur, & alij, quo minus impediant, prohibentur: hæc ſunt. In ius vocati, eant, aut ſatis vel cautum dent. Si « quis eum qui in ius vocabitur, vi eximat, vel quo magis « eximatur, dolo malo faciat, in eum in factum iudicium « dabo, quo iudicio non id continebitur, quod in veritate « eſt, ſed quanti res eſt, ab actore æſtimata, de qua controuerſia « eſt. cuius ſolutio, non ipſum reum liberabit, ſed in « ſolius pœnę ſolutionem cedet. Quoniam autem is qui « vocatus eſt electionem habet, vt vel cõfeſtim veniat, vel ſatis aut cautum det (eſt enim aliquid indulgẽdum varijs hominum negocijs, nec ad factum pręciſe præſtandum, liber homo facile cõpellendus) videamus quatenus quiſque cautelam reddere compellatur: nam alij ſatiſdarę coguntur, alij iurato promittunt, alij ſuę promiſſioni committuntur. Satiſdare coguntur omnes, de quibus nihil propalam excipitur. Et eſt ſatiſdatio eodem modo appellata, quo ſatisfactio. Nam vt ſatisfacere dicimur ei, cuius deſiderium implemus, ita ſatisfacere dicimur aduerſario

IN IVS VOCATI VT EANT, AVT SATIS VEL CAVTVM DENT.

NE QVIS EVM QVI IN IVS VOCABITVR VI EXIMAT.

QVI SATISDARE COGANTVR, VEL IVRATO PROMITTANT, VEL SVÆ PROMISSIONI COMMITTANTVR

noſtro

nostro, qui pro eo quod a nobis petijt, ita cauit, vt eum hoc nomine securum faciamus, fideiussoribus iudicio sistendi causa datis. Sed de his quidem fideiussoribus, ita cauetur edicto, vt fideiussor sistendi iudicio causa datus, pro rei qualitate, locuples detur, exceptis necessarijs personis, in quibus, quoniam genuina pietas prohibet durius versari (nam hac ratione comparatum est, vt non plena actione, sed in quantum facere possint, teneantur) quilibet recte dari potest, non quidem vt euidenter inidoneus, hoc enim nec ciuilis, nec naturalis ratio patitur, sed tanquàm is, qui conniuentibus oculis, pro locuplete habeatur. Verba vero edicti hæc sunt. Si quis parentem, patronum, patronam, liberos, aut parẽtes patroni, patronę, liberósue suos, eumue quem in potestate habebit, vel vxorem vel nurum, in iudicium vocabit, qualiscunque fideiussor iudicio sistẽdi causa accipiatur. Satisdare non compelluntur, possessores immobilium rerum, qui quidem suę promissioni committuntur, ob id, quod quasi pignoribus obstricti, non facile vadimonium deserturi videantur, non magis, quàm hi, qui vel prædibus, vel prædijs, id est reis aut pignoribus datis cauerint. Possessor autem accipiendus is est, qui in agro vel ciuitate, rem soli, tẽpore cautionis, vel ex asse, vel pro parte possidet. Iurato promittere solent hi, qui nec possessores sunt rerum immobilium, nec fideiussores vllos inueniunt, qui, si ex concessa causa, hoc deseruerint, non videntur peierasse.

SI EX NOXALI CAVSA AGATVR QVEMADMODVM CAVEATVR.

Equidem, si quis eum, de quo noxalis actio est, iudicio sisti promisit, prætor ait, in eadem causa eum exhibere, in qua tunc est, donec iudicium accipiatur, videlicet, ne medio tempore, ius actoris ad experiendum deterius fiat. veluti si ei qui in foro promissoris cõueniri non potest, vendatur, vel potẽtiori detur, nam his casibus, magis est, vt non videatur, in eadem causa sisti.

DE EO PER QVEM FACTVM ERIT QVO MINVS QVIS IN IVDICIO SISTAT.

Iá autẽ quod ad vim & effectum satisdatiõis attinet, primũ, si per aliquem fiat, quo minus quis in iudicio sistat, æquissimum putauit esse prętor, & ad vigorẽ disciplinæ publicæ admodum pertinere,

dolum eius coërcere, qui impedit aliquem iudicio ſiſti: quemadmodũ & de eo, qui in ius vocatum vi eximit, ſupradictũ eſt. Feciſſe aũt dolo malo, nõ tantũ is putatur, q ſuis manib', vel per ſuos retinuerit, vel veniẽti ad iudicium, aliquid pronũciauerit triſte, propter quod is neceſſe habuerit, ad iudiciũ non venire: verũ qui alios quoq; rogauit, vt eum detinerent vel abducerent, ne iudicio ſiſtat. Actio autem, quæ aduerſus eum competit, in factum eſt, quanti interfuit, eum ſiſti. In quo quidẽ iudicio, non tãtum verſatur, quãtum in iudicio contra eximẽtem: nam ſolent veteres vim omnẽ grauius, quã dolum, quẽ primus Gallus Aquilius vindicaſſe dicitur, coërcere: & ideo deducit tantũ actor, ſi quid amiſerit, ob eam rem, veluti ſi reus tempore dominiũ rei, interim ſibi acquirat, vel actione liberatus fuerit. Alter effectus ſatiſdationis eſt, vt, ſi quis cautionibus in iudicio ſiſtendi cauſa factis, ipſe nõ obtemperauerit, tãq̃ clauſula ſtipulatiõis pœnalis in caſum quoad diem non ſiſteret conceptæ, iã commiſſa, iudiciũ detur: niſi forte negotium prius tranſactum ſit, quàm ſiſti oporteret, vel municipali aliquo munere, aut valetudine, tempeſtatéue, vel alia qua iuſta cauſa impeditus, non venerit, nam his caſibus placuit, exceptionem dari, propter neceſſitatem, cui reſiſti non poteſt. Quẽadmodum & illud etiam iuſtam excuſationem meretur, ſi forte vel feriæ inciderint, quas requietis à litibus cauſa, hominum generi à Dijs tributas, Plato ſcriptum reliquit, vel dilatiões legittimæ fuerint conceſſæ. De ferijs, oratione diui Marci exprimitur, ne quis meſſium, vindemiarumque tempore, aduerſarium cogat ad iudicium venire, quia occupati circa rem ruſticam, in forum compellendi non ſunt, niſi forte de eo agatur, quod tempore, vel morte interiturum eſſet: nam eadem oratione diuus Marcus in ſenatu recitata, effecit, de alijs etiam ſpeciebus, prætorem adiri diebus feriaticis, vtputa, vt tutores vel curatores dentur, vt officia admoneantur, ceſſantes excuſationes allegẽtur, alimẽta conſtituãtur, ætates probẽtur,

SI QVIS CAVTIONIBVS IN IVDICIO SISTENDI CAVSA FACTIS NON OBTEMPERAVERIT.

DE FERIIS ET DILATIONIBVS & DIVERSIS TEMPORIBVS.

ventris

ventris nomine in possessionem mittatur, vel rei seruandę causa, vel legatorum fideíue commissorum vel damni infecti: item de testamentis exhibendis: vt curator detur bonorum eius cui an hæres exstiturus sit, incertum est, aut de alendis liberis, parentibus, patronis, aut de adeũda suspecta hæreditate, aut vt adspectu atrox iniuria æstimetur, vel fideicommissaria libertas præstanda. De dilationibus instrumentorum, oratione quidẽ Diui Marci, amplius quàm semel, non esse dandam instrumentorum dilationem, expressum est: sed vtilitatis litigantium gratia, causa cognita, iterum dilatio, tam ex eadem, quàm ex alia prouincia, secũdum moderamen locorum, impartiri solet, & maxime si aliquid inopinatum emergat. De illis dilationibus, quę singulis causis, hoc est singulis capitibus & articulis litis tribui solent, hoc probatum est, vt in pecuniarijs causis, omnis dilatio singulis causis plus semel tribui non possit, in capitalibus autem, reo tres dilationes, accusatori duæ dari possint, idque ad similitudinem eius quod Asconius refert, in perorãdo, accusatori duas, reo tres horas tributas, apud veteres fuisse. Atque hæc quidem, de aditione eius, qui iurisdictioni pręest, & de in ius vocando, nunc vero sequitur, vt de edendo explicemus. Ait igitur Vlpianus. Qua quisq; actione agere volet, eam edere debet. Nam æquissimum videtur, eum qui acturus est, actionem edere, vt proinde sciat reus, vtrum cedere, an contendere vltra debeat. & si contendendum putet, veniat instructus ad agendum, cognita actione, qua conueniatur. Edere est, etiam copiam describendi facere, vel in libello complecti & dare vel dictare. Eum quoque edere Labeo ait, qui producat aduersarium suum ad album, & demõstret quod dictaturus est, vel id dicendo, quo vti velit. Editiones sine die & consule fieri debent, ne quid excogitetur è die & consule, & pręlato die fiat. Diem autem & cõsulem excepit prætor, quo instrumentum conscriptum est, non in quem solutio cõcepta est: nam dies solutionis sicuti summa, pars

DE EDENDO.

est

est stipulationis, rationes tamen cum die & consule edi "
debent, quoniam accepta & data non aliâs possunt appa "
rere, nisi dies, & consul fuerit editus. Edenda sunt o- "
mnia, quæ quis apud iudicem editurus est, non tamen vt "
& instrumenta, quibus quis vsurus non est, compellatur "
edere. Edere non videtur, qui totam stipulationem non "
edit. Eis, qui ob ætatem, vel rusticitatem, vel ob sexum "
lapsi, non ediderunt, vel ex alia iusta causa, subuenietur. "
Hactenus Vlpianus: Quoniam autem pro illo dubitari potest, vtrum & argentarij, qui, quia publicum munus in permutandis, fœnerãdísue pecunijs, tam suis, quàm alienis, apud se depositis, sustinent, multis gaudent priuilegijs, rationes edere cogantur: non superuacaneum futurum putauit prætor, si de his nominatim & specialiter ediceret. Et sanè cum singulorum rationes, quorum pecunias, ad mensam suã depositas habent, conficiant: æquum est, id quod mei causa confecit, meum quodammodo instrumentum mihi edi. idq̀ue siue cum ipso argẽtario controuersia est, siue cum alio: nam hæc principalis eorum opera est, vt actus sui rationes, diligenter conficiant. Ait itaque prætor: Argentariæ mensæ exercitores ratio- "
nem, quæ ad se pertinet, edant adiecto die & consule. "

Rationem autem esse Labeo ait, vltro citro dandi, accipiendi, credendi, obligandi, soluendi sui causa, negotiationem. Ac cum omnis ratio constet, aduersarijs, diarijs, calẽdarijs, & libro accepti & expensi, qui quidẽ liber præcipuus est & principalis, partes eius sunt, data & accepta, in his quæ per pręsentariam pecuniam, vel mercem, exercentur: credita & obligata in ijs, in quibus alter alrius fidem sequitur. Ea autem ratio, ad me pertinere censetur, quam argentarius, me mandante, vel procuratore meo, tractauit. Plane, licet argentarius edere ipse compellatur, tamẽ contra edi sibi petere non potest, nam instructus esse debet, instrumento suæ professionis, & est absurdum, cum ipse in ea causa sit, vt edere debeat, ipsum petere, vt edatur ei, nam & si is, cui editum est, iterum edi

postulet, non nisi causa cognita, auditur. sic enim habet
„ edictum prætoris: Argentario, eiue, qui iterum edi postu-
„ larit, causa cognita, edi iubebo. Is autem, qui in hoc e-
dictum incidit, id præstat, quod interfuit mea, rationes
edi, cum decernerentur à prætore.

DE HIS, QVÆ TEMPORE LITIS FERE ACCIDVNT.



XPLICATIS ijs, quæ ad ingressum in iudicium, pertinent: superest, vt de his, quæ tempore litis, accidere fermè solent, nõnihil dicamus. Hæc autẽ sunt quatuor, pacta de non petẽdo, vel transactiones, postulationes, restitutiones in integrũ, & compromissa. Pactum, à pactione dicitur, vnde etiam pacis nomen appellatum est, nam pacionem antiqui dicebant, quam nunc pactionem dicimus, ducto nomine, à veteri verbo pago, vel pango, quod cum in vnum cõuentionem significat, pagis quoq; nomen, secundũ nonnullos, dedisse videtur. Et est pactio, duorũ, pluriúmue in idem placitum, consensus. Sunt autem pactionum, siue potius conuentionum, *quæ generales* sunt, & ad omnes contractus & transactiones negotiorum pertinent (vt nunc duas diuisiones, è duabus iuris diuisionib' ductas, breuitatis gratia, in vnam conijciamus,) tres speces. Aut enim ex publica causa fiunt, aut ex priuata: priuata, aut legittima, aut iurisgentium. Publica cõuentio est, quæ fit per pacẽ, quoties inter se duces belli, quædam paciscuntur: quæ quidem pactiones, iure fœciali confirmantur, cuius magna semper apud Romanos habita fuit authoritas. Legittima est, quæ iure ciuili inducitur, & lege aliqua confirmatur, & ideo interdum ex nudo pacto actio nascitur, vel tollitur, quoties lege, vel senatusconsulto, vel alia aliqua parte iuris ciuilis, vt in donatione, quę consensu hodie cõstat, videmus, adiuuatur. Iurisgentium cõuentiones, quædam actiones pariunt, quędam exceptiones. Quę actiones pariunt, vel ob id pariunt,

DE PACTIS

quia

quia transeunt in proprium nomen contractus, qui suam habent iure ciuili præscriptam agendi formulam, vt emptio venditio, locatio conductio, non autẽ permutatio, quæ à mercibus mutandis, priscũ iurisgentium nomẽ, nõ speciale cõtractus, obtinet: non magis, q̃ adoptiõis aut cognationis nomẽ, speciale dici potest, eò, quod specialiter ei opponatur, arrogatio aut agnatio: vel ob id, quia negotiũ in se aliquod habeat & συνάλλαγμα: nam si dedi tibi rem, vt mihi aliam dares, nascitur propter conuentionẽ, & dationẽ insecutam, (ne videlicet quis decipiatur) actio in factũ, quæ pręscriptis verbis, sine formula, proponitur. Quæ autem cõuentiones, exceptiones pariunt, nuda pacta dicũtur, ex quibus nulla ob eam rẽ nascitur actio, quia neq; legittimis verbis aut literis constant (nã hac ratione prohibet Plato, ne de ijs cõtractibus, qui alio loco, quã in foro cõtrahuntur, actio detur) neq; certũ nomen cõtract⁹ habẽt, ita vt in formã aliquã ordinariam actionis, includi nõ possint. Nec etiã visum est, extraordinariã præscriptis verbis actionẽ, illis accõmodare, nisi quẽadmodũ dictũ est, datũ aliquid, vel factũ sit: ne aut facilè decipiãtur simplices & rudes homines, aut in infinitũ, multitudo iurgiorũ excrescat. Cæterũ exceptiones, ideo ex ijs dãtur, quia scilicet & iurisgentiũ sunt exceptiones, quẽadmodum & ipsa pacta, & ratio ipsa suadet, vt retẽtio defensioq;, tãq̃ naturalis, multo facilius, q̃ actio ac petitio cõcedatur. Atq; hoc quidem est, quod potissimũ hic tractatur, vt si pactum aliquod liberatoriũ, de non petendo, factũ sit, custodiatur. sic enim ait prætor: Pacta cõuenta, quę neq; dolo malo, neq; aduersus leges, plebiscita, senatuscõsulta, edicta principũ, " neque quo fraus, cui eorum fiat, facta erunt, seruabo. In " telligiturque propriè pacisci is, qui donationis causa, " rem certam & indubitatam, liberaliter remittit. Qui transigit, quasi de re dubia, & lite incerta neque finita transigit, cum videlicet aliquo dato, vel retento seu promisso, à lite receditur, idque vel per solam aquilianam stipulationem, quę plerumq; trãsactioni subijci solet, vel pœ

DE TRANSACTIONIBVS.

nalem quoque stipulationem subiectam, quod quidē consultius est, quia rescisso forte pacto, pœna ex stipulatu peti potest. Planè cum homines vitæ sequioris, quibus alimenta relicta erant, facile transigerent, contenti modico præsente: diuus Marcus, oratione in Senatu recitata effecit, ne aliter alimentorum transactio rata esset, quàm authore prætore facta.

DE POSTVLANDO.

Postulare, est desideriū suum, vel amici sui (veluti cū quis vel tanq̄ patronus & orator, vel tanq̄ aduocatus, qui aut ius suggerit, aut præsentiā suam amico accommodat, vel tanq̄ procurator absentis, aut cognitor, qui causam nouit præsentis interuenit) in iure apud eū qui iurisdictioni pręest, exponere: vel alterius desiderio contradicere. Ne autem sine delectu passim apud prætorē postuletur, & vt dignitatis, & decoris, ratio habeatur: ea propter tres fecit ordines postulantiū prætor. Quosdā in totū prohibuit postulare, quibusdā pro se permisit, quibusdā & pro certis duntaxat personis, & pro se permisit. In totum prohibētur, propter pueritiā minores annis 17. qui nōdum virilem togam sumpserunt. & propter casum, surdi, qui in totum nō audiunt. Pro se permisit, sed pro alijs prohibuit mulieres, propter sexus verecūdiam, nam hac de causa solas innuptas, pro se verba facere, permisit Plato. cæcos, propter casum, muliebria passos, capitali crimine damnatos, & qui cū bestijs depugnauerunt, propter turpitudinē. De his qui pro se, & certis tantum personis, recte postulant, ait prætor, in hunc modum:

„ Qui lege plebiscito, senatuscōsulto, edicto, decreto principū, nisi pro certis personis postulare prohibētur, qui ex his omnibus in integrū restituti nō erunt, hi pro alio q̄ pro quo licebit, in iure apud me ne postulent, pręterq̄ pro parēte, patrono, patrona, liberis parentibusq́; patroni, patronæ, liberisue suis, fratre, sorore, vxore, socru, genero, nuru, vitrico, nouerca: priuigno, priuigna: pupillo, pupilla: furioso, furiosa: cui eorū à parēte aut de maioris partis tutorū sentētia, aut ab eo, cuius de ea re Iurisdictio fuit, ea tutela curatióue data erit. Nō possunt autē

nisi

nisi pro se, ac pro certis personis postulare infames, de quibus, vt intelligamus quinam illi sint, prætoris verba sic dicunt. Infamia notatur, qui ab exercitu, ignominiæ „ causa ab Imperatore eóue cui de ea re statuendi potestas „ fuerit, dimissus erit. Qui artis ludicræ pronunciádiue cau „ sa in scænam prodierit, qui lenocinium fecerit. Qui in iu- „ dicio publico calumniæ prævaricationisue causa quid fe- „ cisse iudicatus erit. Qui furti, vi bonorum raptorum, in- „ iuriarum de dolo malo & fraude suo nomine damnatus „ pactúsue erit. Qui pro socio, tutelæ, mandati, depositi suo „ nomine, non contrario iudicio damnatus erit. Qui eam „ quæ in potestate eius esset, genero mortuo (cũ eum mor- „ tuum esse sciret) intra id tempus, quo lugere virum mo- „ ris est, antequã virum elugeret, in matrimonium collo- „ cauerit: eámue sciens, quis vxorem duxerit, non iussu eius „ in cuius potestate est. Et qui eum quem in potestate- „ haberet, eam de qua supra comprehensum est, vxorem „ ducere passus fuerit. Quíue suo nomine, non iussu eius in „ cuius potestate esset, eiúsue nomine quem quámue in po- „ testate haberet, bina spõsalia, binásue nuptias, in eodẽ tẽ- „ pore constitutas habuerit. Præter has personas ac non- „ nullas alias similes, reliquis omnibus permissum est, non minus ꝓ alijs, quã pro se postulare. Sed hoc cõtingit duobus modis, vel mandatu domini, vel sine mandato. Mãdatu domini, veluti si quis iussu illius, causam eius, tanquàm procurator agat, aut tanquàm defensor tueatur, aut si vniuersitas aliqua sit, tanquàm syndicus agat ac defendat, Sine mandato, veluti si quis negotia amici sui absentis, iniussus gerat. Procuratorem, quem olim vindicem vocatum refert Boëtius, definit Vlpianus in hunc modũ. Procurator est, qui aliena negotia, vel plura vel vnum, mandato domini, vel coram, vel per núcium aut epistolam, facto, administrat, cuius quidẽ vsus perquàm necessarius est, vt qui suis rebus ipsi superesse vel nolunt, vel nõ possunt, per alios possint, vel agere vel cõueniri. Edicit autem de eo prætor, his fermé verbis. Procuratorem ad „ litem

DE HIS QVI NOTANTVR INFAMIA.

DE PROCVRATORIBVS ET DE DEFENSORIBVS.

„ litem suscipiendam datum, pro quo consentiente, domi-
„ nus, iudicatum solui exposuit, iudicium accipere cogam,
„ nisi forte iusta causa interuenerit. Nã quantum ad ipsum
„ dominũ attinet, is ante susceptam litem, procuratorem
„ mutare ac reuocare potest, post acceptum verò iudicium,
„ non nisi causa cognita. Præterea, cuius nomine quis a-
„ ctionem sibi dari postulauerit, is eum, viri boni arbitratu
„ defendat: & ei quo nomine aget, id ratum habere eum, ad
„ quem ea res pertinet, viri boni arbitratu satisdet. Nam æquum visum est prætori, eum qui alicuius nomine, vt procurator experitur, eundem etiam defensionem suscipere. Et quidem ei, qui mãdatu absentis agit, hoc incumbit, vt ratam rem dominũ habiturum satisdet: qui absentem defendit, iudicatũ solui, nisi si forte vtrumq; dominus in iudicio corã expediuerit.

QVOD CVIVSQVE VNIVERSITATIS NOMINE VEL CÕTRA EÃ AGATVR.

De syndicis, licet regulariter propter factiões, neq; societaté, neq; collegiũ, neq; huiusmodi corpus passim omnibus habere concedatur: quibus tamẽ permissum est corpus habere, collegij vel societatis, ijs ad exemplum Reip. res cõmunes habere licet arcam communem, & actorem ac defensorem, siue ecdicum ac syndicum, per quem tanquàm in *Republica*, quod cõmuniter agi fieriue oporteat, agatur, fiat. Cęterũ rũ nulli permittitur nomine ciuitatis vel curiæ experiri, nisi ei, cui lex permittit, aut lege cessante, ordo dedit, cum duæ partes adessent, aut amplius quàm duæ.

DE NEGOTIIS GESTIS.

Quod ad negotiorum gestores attinet, quoniam magna vtilitas absentium versatur, ne indefensi, rerum possessionem, aut venditionem patiantur, vel pignoris distractionem, vel pœnę cõmittendę actionem, vel iniuria rem suã amittant: ideo si quis absentis negotia gesserit, licet ignorãtis, tamẽ quicquid vtiliter in rem eius impenderit, vel etiã ipse se in rem absentis alicui obligauerit, habet eo nomine actioné. ait nãque prętor.
„ Si quis negotia alteri-
„ us, siue quis negotia, quæ cuius cum is moreretur fuerint
„ gesserit, iudiciũ eo nomine dabo.

DE CALVMNIATORIBVS.

Quoniã autem sępe numero accidit, vt calũnię inferédę quis animo, ad postulan

dum

dum, tam suo, quàm alieno nomine, procedat: merito comparatũ est, vt in eum, qui vt calũniæ causa, negotium faceret, vel non faceret, pecuniam accepisse diceretur, intra annũ in quadruplũ, ad exẽplum furis, eius pecuniæ quã accepisse dicetur, post annũ simpli, in factũ actio competat. Ac diuinus quidẽ author Plato, in extremo dialogo, de legibus vndecimo, modis omnibus dandam operam esse censet, ne iudicialem disceptationẽ, quæ quia humana omnia mansuefacit, vtiq; bonũ est, peruersa eius imitatrix calũnia, corrũpat, nec in ciuitatẽ bene institutã aditũ habeat. Hoc edicto, tenetur etiã is, qui depectus est. Depectus aũt dicitur, qui turpiter pactus est, de lite quam cœpit non peragẽda. In integrũ restitutiones, magno Reipub. bono sunt constitutæ. Nã cum in multis causis cõtingat, vt in fraudem quis illiciatur, nec fas sit legem conuentionis, directa via infringere, quippe ne elusoria reddantur iura ciuilia: recte constitutum ac inductum est, vt per restitutionem in integrum, quasi per obliquũ, ei qui vel sua facilitate lapsus, vel alieno dolo circumuentus est, subueniatur. Veluti si vel metu quis & vi coactus, vel quod cõtrarium est, dolo & machinatione, inductus, promittat: si per ætatem, aut absentiam, aut status mutationem, aut iustum errorem, in captionem incidat. Nam prioribus casibus, etiam actio tribuitur, aduersus eos, qui vel vi, vel dolo quid extorserint: posterioribus, redintegratione facta, perinde quasi nullum negotium intercessisset, damnum acceptum restauratur. Sed tractemus ordine de singulis, & primo quidem de eo, quod metus causa factum est. Nam metum accipiendum Labeo ait, non quemlibet timorem, nec vani alicuius hominis, sed maioris malitatis, & qui merito in hominem constantissimum cadat. de hoc sic prætor ait. Quod metus „ causa gestum erit, ratum non habebo. Aut enim im- „ perfecta res est, aut perfecta. Imperfecta, veluti si stipulationem numeratio non est secuta, quo casu exceptio competit aduersus agentem: perfecta, veluti si post stipula-

DE IN INTEGRVM RESTITVTIONIBVS.

QVOD METVS CAVSA GESTVM ERIT

ſtipulationem, & numeratio facta eſt, quo caſu interdum exceptio competit, & regulariter actio. Vertitur autem in hac actione, intra annum quadruplum, ſi admonitus à iudice reus, contumacem ſe præbeat, nec rem reſtituat. nam alioqui ſimplum dando, liberari poteſt, nec debet propter ius ſtipulationis quo nititur, in quadruplum, niſi per admonitionem conuictus fuerit de contumacia, condemnari: poſt vero annum in ſimplum, quia ſcilicet quadrupli pœna, cum per prætorem infligatur, merito finitur anno, quemadmodum & ipſum munus prætoris.

DE DOLO MALO.

Dolus malus, eſt omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum, adhibita. De hoc, ne fortaſſe dolus aliquē lucro afficiat, verba edicti talia ſunt. ,, Quæ dolo malo ,, facta eſſe dicentur, ſi de his rebus alia actio non erit, & iu ,, ſta cauſa eſſe videbitur, iudicium dabo. Ideo non contentus fuit prętor, dolum dicere, ſed adiecit, malumq́: quoniam veteres etiam bonum dolum dicebant, & pro ſolertia hoc nomen accipiebant, maxime ſi aduerſus hoſtem latronémue quis machinaretur. Ideo ita demum hanc actionem pollicetur prætor, ſi alia actio non ſit, quia cum dolus tanquàm vulpeculæ, maiore odio dignus habeatur, quam vis, quemadmodum inquit Cicero, famoſa eſt hęc actio, & ideo nō temerè debet à prætore decerni, ſi ſit ciuilis, vel honoraria, qua poſſit experiri. Ideo deniq; cauſæ cognitionem prętor inſeruit, quia nō eſt paſſim hæc actio indulgenda, veluti, ſi modica ſumma ſit, id eſt, vſque ad duos aureos, vel aduerſus parentes patronóſue, quorum famæ parcendum eſt, agatur. Cum prius impunitus fermè dolus eſſet, primus fundauit hác actionem Gallus Aquilius, quam Cicero, euerriculum malitiarum omnium appellat. Nam comprehenditur arbitrio iudicis per admonitioné, vt ſupra diximus, reſtitutio (eſt enim eadem vtrobique ratio) & niſi fiat reſtitutio, ſequitur condemnatio, non quidé in quadruplum, quia res nō habet ſpeciem rapinę, quemadmodum in metu ſit,

tu fit, sed q̃ti ea res est, quasi scilicet odiũ doli, satis puniatur per infamiá. Ætate lapsos accipimus eos, qui minores 25. annis circũscripti sunt. Nam prętor naturalẽ ęquitatẽ secutus, tutelam minorũ suscepit, vtpote cũ inter oẽs constet, fragile esse & infirmũ huiusmodi ętatiũ consiliũ, & multis captionibus suppositũ, multorũq; insidijs expositum. Prætor edicit: Quod cũ minore q̃ vigintiquinq; annis natu gestum esse dicetur, vti quęq; res erit animaduertá. Illa verba: VTI QVÆQVE RES ERIT: causæ cognitionẽ significant. Nam sciẽdum est, non passim minoribus subueniri, sed si capti esse proponantur, & proinde, qui sobriè rem suam administrans, occasione damni, non inconsultè accidentis, sed fato, vult restitui: non auditur. Et præterea, si forte alia quoque actio possit competere, citra in integrum restitutionem, non admittitur, hoc enim quoque in causæ cognitione versatur. Item non semper ea, quæ cum minoribus geruntur, rescindenda sunt, sed ad bonum & æquum redigẽda, ne magno incommodo huius ætatis homines afficiãtur, nemine cum his contrahente, & quodammodo commercio eis interdicetur. Itaque nisi aut manifesta circunscriptio sit, aut tam negligenter in ea causa versati sint, prætor se interponere non debet, sed quoties se interponit, restitutio ita facienda est, vt vnusquisque in integrum ius suum recipiat: pendetq; huius edicti executio, nõ ex propria aliqua actione, vel cautiõe, sed ex mera prętoris cognitiõe, quę meri est officij. Per status mutationem alterius, damnũ patiuntur illi, quorum aduersarij, cum quibus cõtraxerunt, in alienam potestatem se tradunt, quo casu, ipso iure, extinguitur aduersum eos vtilitas actionis, cum bona eorum, cum capite ambulent. Sed ne tamen ex ea re damnum cuiquam fortassis aliquod accedat, ait prætor: Qui quǽue, posteaquàm quid cum his actum cõtractúmue sit, capite deminuti deminutę esse dicẽtur, in eos eásue, perinde quasi id factum non sit, iudicium dabo. Cum autem tres sint capitis deminutiones, pro

DE MINORIBVS VIGINTIQVINQVE ANNIS.

DE CAPITE MINVTIS.

numero eorum, que tum iure gentium, tum ciuili, tum familiari, competunt, cuiusmodi sunt libertas, ciuitas, & familia: hoc edictũ pertinet, ad eas capitis deminutiones, quę salua ciuitate contingunt. Cęterum, siue amissione ciuitatis, siue libertatis, cõtingat capitis deminutio: cessabit edictum, neque possunt hi penitus conueniri: dabitur plane actio in eos, ad quos bona eorum peruenerunt. Nomen capitis deminutionis inde profectum est, quod quemadmodum illa res deminui, non perire, Caio Iureconsulto dicitur, quæ in alienã venit potestatẽ: ita etiam is, caput aliquod, status sui, nõ perdere dici debeat, sed eo minui, qui in alterius potestatem, & iura concedit. Fit autem horũ trium capitum mentio, apud Terentium, in Eunucho, sub persona Chremetis, asserentis sororẽ suam in libertatẽ: Principio dico eam esse liberam, ciuẽ Atticam, meam sororẽ.

EX QVIBVS CAVSIS MAIORES XXV. ANNIS IN INTEGRṼ RESTITVANTVR.

Qui per absentiam suam vel alterius læsi sunt, vti ijs succuratur, inquit Vlpianus, nemo non iustissimum esse confitebitur, ne videlicet aut officium ijs sit damnosum, aut alteri per alterum, iniqua conditio offeratur, & ideo lęsum ius per id tempus quo quis Reip. operam dabat, vel aduerso casu laborabat, corrigitur, nec non & aduersus eos, qui vel absentes Reipublicæ causa fuerint, vel apud hostes detenti, succurritur, ne vel obsit, vel prosit, quod euenit. verba autem edicti talia sunt.

„ Si cuius quid de bonis, cum is metu, aut sine dolo
„ malo Reipublicæ causa abesset, siue vinculis, seruitu-
„ te, hostiumque potestate esset: siue cuius actionis eorum
„ cui dies exisse dicetur: item si quis quid vsu suum fe-
„ cisset, aut quod non vtendo amisit cõsecutus, actionéue,
„ qua solutus ob id quod dies eius exierit, cum absens non
„ defenderetur, siue vinculis esset, secúmue agendi pote-
„ statem non faceret, aut cum eum inuitum in ius vocare
„ non liceret, neque defenderetur, cúmue de ea re magistra
„ tus appellatus esset, siue cui pro magistratu, siue dolo ipsi-
„ us actio exempta esse dicetur, earum rerum actionem in-
„ tra annum, quo primum de ea re experiundi potestas

erit:

erit. item si qua alia mihi iusta causa esse videbitur, in ‹‹ integrum restituam, quod eius per leges, plebiscita, sena ‹‹ tusco͂sulta, edicta, decreta principum licebit. Iam autem ‹‹ quantum ad eam lęsionem pertinet, quæ iusto errore con tingit, omnibus modis magistratus id agit, ne cuius dete rior causa fiat, ex alieno facto. Et cũ intelligeret prætor, judiciorum exitum, interdum duriorem nobis constitui, opposito nobis alio aduersario: in eam quoq; rem prospexit: vt si quis alienãdo rem, alium nobis aduersarium suo loco substituerit, idq; data opera in fraudem nostram fecerit, tanti nobis in factum actione teneatur, quanti nostra intersit, alium aduersarium nos nõ habuisse, itaque si alterius prouincię hominem, aut potentiorem nobis opposuerit aduersarium, tenebitur. Dicimurq; isto modo, per iustum errorem, hoc est, per deceptionem aduersarij, quæ nobis, iustam querelam pariat, lædi, nam sic accipitur apud Virgiliũ ERROR, dũ dicit: Aut aliquis latet error, equo ne credite Teucri. Et profecto cum ad eam rem potissimum constitutus sit princeps, vt humiliores à potentiorum vi defendat, & ne quam iniuriam ab ijs patiãtur, lege lata, vti inquit Cicero, prohibeat: recte prouisum, ac cautũ est, vt ne ratione potẽtatus, in aliquẽ alienare cui liceat. Restat vt de arbitris dicẽdũ sit, quorũ magnus & pernecessarius est vsus in Repu. Nam diuinus au thor Plato, primũ illud monet periclitandũ, vtrum lis aut cõtrouersia, interpositis vicinis arbitris, componi possit, nec ne, priusquam ad iudicium eatur. Et est quidem compromissum, ad similitudinem iudiciorum redactum, sed cum ex eo non possit exceptio rei iudicatę nasci, ne priuata publicis exequentur, placuit, plenũ compromissum, non aliter fieri, quàm cum pœnę adiectione, ne elusoria fiat arbitri sententia, sed vt metu pœnæ ei pareatur.

DE ALIENATIONE IVDICII MVTANDI CAVSA FACTA.

DE RECEPTIS, QVI ARBITRIV̄ RECEPERVNT, VT SENTENTIAM DICANT.

Quantum ad ipsos arbitros attinet: Tametsi neminem prætor cogit arbitrium recipere, (quoniam hæc res libera & soluta esse debet, & extra necessitatem iurisdictionis posita) attamen vbi semel quis receperit, in se arbitrium,

ad curam & ad ſolicitudinem ſuam hanc rem pertinere prætor putat, non tantum quod ſtuderet lites finiri, verùm quoniam non deberent decipi, qui eum quaſi virum bonum diſceptatorem inter ſe elegerunt: finge enim poſt cauſam iam ſemel atque iterum tractatam, poſt nudata vtriuſque intima, & ſecreta negotij aperta, arbitrum vel gratię dantem, vel ſordibus corruptum, vel alia qua ex cauſa, nolle ſententiam dicere: quiſquam ne poteſt negare? ęquiſſimum fore, prętorem interponere ſe debuiſſe, vt officium quod in ſe recepit, impleret? Recepiſſe autem arbitrium videtur, vt Pedius libro nono dicit, qui iudicis partes ſuſcepit, finemque ſe ſua ſententia controuerſijs, impoſiturum pollicetur. Planè, quemadmodum arbitri, qui arbitrium receperunt, ſententiam dicere coguntur, ita etiam obiter admonendum eſt, alios quoque non abſimiles, de eo quod receperint reſtituendo, teneri. Nam quia plerumque cogimur, fidem ſequi, nautarum, cauponum, & ſtabulariorum, & res cuſtodiæ eorum committere, rectè ait prętor. Naute, caupones, ſtabularij, quod cuiuſque ſaluum fore receperint, niſi reſtituant, in eos iudicium dabo. Nec eſt verò mirandum, quod cum alię ſufficere viderétur actiones, veluti locati & depoſiti, ad hanc actionem prętorianam ſit decurſum: quoniam ideo propoſuit ſeparatim prętor hanc actionem, vt innoteſceret, ipſum curam agere reprimendæ improbitatis hoc genus hominũ, & quia in locato cõducto culpa, in depoſito, dolus dunctaxat præſtatur: at hoc edicto, omnimodo qui recepit, tenetur, etiam ſi ſine culpa eius res perijt, vel dãnum datũ eſt, niſi ſi quid damno fatali contigerit.

NAVTÆ, CAVPONES STABVLARII, VT RECEPTA RESTITVANT

IOACHIMI

IOACHIMI HOPPERI PHRISII IVRECONSVLTI,

AD PANDECTAS IVRIS CIVILIS,

Liber tertius.



OST expoſita principia iuris, rerũmque iuri ſubiectarũ, ac iudiciorum, quę ΤΑ ΠΡΩΤΑ Iuſtinianus appellauit, ordo poſtulat, vt ad ipſa deinceps iudicia, ſub quibus & res omnes, & iura omnia continentur, tranſeamus. Horum autẽ ratio tractatioq́; , tribus in totum membris, ac partibus continetur. Nam iudiciorum alia ſunt, quæ vocantur ciuilia, alia prætoria, alia criminalia, Et quidem cum hoc naturaliter eueniat, vt vel de iure diſceptetur, ac rebus ipſis, vel de facto ac poſſeſſione, vel de maleficijs: recte ac conſequenter naturæ factũ eſt, quod iudiciorum, alia conſtituta ſunt ciuilia, de quibus in iure diſceptatur, & lege agitur: alia prætoria, quæ viua quaſi voce magiſtratus expediuntur: alia criminalia, quæ exquiſitis pœnarum generibus adminiſtrantur. Nam cum his apprimè congruit, quod Romæ, vel in iure actiõ eſt, vel ad prætorem, vel ad populum: item quod iuriſdictio omnis, tum in ſimplicem iuriſdictionem tribuitur, tum in mixtum imperiũ, tum merum imperium. adhęc, quod alia priuatã cauſam habẽt, vt ciuilia: alia publicam, vt criminalia: alia mixtam, vt prætoria: poſtremo, quod quædam legibus, & legis actionibus (vt author eſt Cicero) vindicantur, & cauſæ ſuæ reſtituuntur: quædam ipſius magiſtratus, tanquam viuentis legis, manu ac iuſſione:

quædam solis supplicijs & iudicijs, vt cum ipsum per se ius manifestum ac exploratũ est, nec de vllo alio, q̃ de pœna ac supplicij genere quæritur. Dicẽdum autẽ est primũ omniũ, de ciuilibus, quæ quidẽ quatuor in species rursus diuiduntur. Nã vel sunt eorũ, quæ speciali nomine iudicia vocantur, vel rerũ creditarum, vel personarum, vel vltimarum voluntatũ. Quæ quidem diuisio, hinc nimirum constituitur, quod omnis inter homines de rebus controuersia, vel ex ipsa rerũ detentione cõtrectationeque, sine vllo personarũ tractatu, emergit ac efflorescit: vel ex conuẽtionibus ac negotijs inter ipsos homines habitis ac cõtractis. Nam ea rursum aut viuentiũ sunt, aut morientiũ: Viuentium autem, vt si de rebus credendis ac permutandis, vel personis coniungendis & copulandis, ac ne quid illis desiat tuendis, agatur. Morientium vero, vt si postrema testantium elogia conscribantur. Ac cum ea quidem, quæ certo tractatu habito constituuntur, in proprium suum nomen, tum rerum creditarum, tum nuptiarum, tum tutelarum, tum denique testamentorum abeant: hæc tamen quę à rebus ipsis ducuntur, in nullum certum nomẽ commune transeunt, sed in generis sui, hoc est, *iudiciorum* nomine persistunt. Quod equidem tum ex eo fieri existimo, quod nihil inter ipsos litigatores acti contractique reperiatur, à quo nomen, & actio duci possit, tum quod tam varia sint, & diuersa, quæ sub hoc titulo inferuntur, vt nullum commune ac omnibus congruens nomen, facile inueniri queat, tum denique, quod etiam in veritate, nihil aliud inter partes consistat, quàm ipsum iudicium. Nam quod ambigi fortasse potest, de lege aquilia, deque ijs, qui aliquid deiecerint, vel effuderint, & alijs similibus, in quibus ex obligatione nascitur actio: nihil profecto turbat: quoniam inter ipsos litigatores, nec contractum, nec peccatum est. Et si quæras, cur tractatus de furtis, ac de iniurijs ad hunc ordinẽ nõ rediganturः respondebimus, eos, propter scelus ac infamiam, quę in ijs versatur, ad illum potius locum, qui de maleficijs &

delictis

delictis tractat pertinere, huc autem, illa propriè spectare, quæ neque tractatum inter personas litigatorũ aliquem, qui quidem actionem producat, ante se habeant, nec cõtineant scelus aliquod, ac maleficium, quod criminale iudicium adferat, neq; deniq; factum vllum, quod prętorianum remedium inducat. Sunt autẽ horum iudiciorũ, alia in rem, alia in personam, alia mixta. In rem sunt, per quæ rẽ nostrá, quæ ab alio possidetur, petimus, & semper aduersus eum sunt, qui rem possidet. In personá, quibus aduersus eum agimus, qui nobis sine conuentione aut scelere obligatus sit, ad dandum, vel faciendũ, & quę semper aduersus eundẽ locũ habẽt. Mixta, quæ vel cũ in rem sint, præstationes tamẽ habent personales, vel quæ cũ in personam inferũtur, tamẽ aliquid cõtinent, quod in rem sit. Sed cũ eorum quæ in rem sunt, quędá sint vniuersitatis, quędam singularũ rerũ: prius explicabimus, de his, quę ad vniuersitatũ petitionẽ pertinẽt, post deinde vero, ad singularũ rerũ vindicationẽ tráſgrediẽtes, qd in ijs iudicijs, quę vel in personá, vel mixta sunt, obtineat, secũdũ propositũ ordinẽ ostendemus. Cæterũ priusq̃ eo perueniamus, nõ erit alienũ, si de ipsis in genere iudicijs, deq; ordine procedẽdi, & vbi quis agere vel cõueniri debeat, nõnihil præposuerimus. Ná qui neq; iurisdictioni præest, neq; à principe potestate aliqua prędituses t, neq; ab eo qui ius dandorũ iudicũ habet, datus est, nec ex cõpromisso sumptus, vel ex aliqua lege cõfirmat' est, iudex esse nõ potest. Iudicẽ aũt dare possunt, quib' hoc lege, vel cõstitutiõe, vel senatusconsulto cõceditur. Lege, sicut procõsul. Is quoq; cui mádata est iurisdictio iudicẽ dare potest, vt sunt legati procõsulum. Itẽ hi quibus id more cõcessum est, propter vim imperij, sicut præfectus vrbi, cæteriq; Romæ magistratus. Non autem omnes iudices dari possunt, ab his qui iudicis dandi ius habent. Quidam enim lege impediũtur ne iudices sint, quidam moribus, quidam natura. Natura, vt surdus, mut', & perpetuo furiosus, & impubes, quia iudicio carẽt. Lege impeditur, qui senatu motus est.

DE IVDICIIS, ET VBI QVISQVE AGERE, VEL CONVENIRI DEBEAT

Moribus, fœminæ & serui, non quia non habeant iudicium, sed quia receptum est, vt ciuilibus officijs non fungantur. Qui possunt esse iudices, nihil interest, in potestate, an sui iuris sint. Nam in priuatis negotijs, pater filium, vel filius patrem iudicem datum, habere potest, propterea quod is sententiam à prętore præscriptam sequi debeat, sed vt is, qui iurisdictioni ipse præest, cuiusmodi est prætor, vel sibi ius dicat, vel suis, nulla ratione, secúdum Vlpianũ sub titulo de iurisdictione c.10. permittitur. Ordo quo aduersus eum, qui absens est, proceditur,
,, secundũ Vlpianũ hic est. Vt primo, quis petat post absen
,, tiã aduersarij edictum primũ, mox alterum, per interual
,, lum nõ minus decẽ dierum, & tertiũ, quibus propositis,
,, tunc peremptoriũ impetret, quod inde hoc nomen sum-
,, psit, quod peremeret disceptationem, hoc est, vltra non
,, pateretur aduersarium tergiuersari. In peremptorio
,, autem comminatur is, qui edictum edit: etiam absente di
,, uersa parte, cogniturum se, & pronunciaturum. Non-
,, nunquam autem hoc edictum post tot numero edicta,
,, quæ præcesserunt, datur: nonnunquam post vnum vel
,, alterum: nõnunquam statim, quod appellatur, vnum pro
,, omnibus. Hoc autem æstimare oportet eum, qui ius di-
,, xit, & pro conditione causæ, vel personæ, vel temporis
,, ita ordinem edictorum vel compendium moderari. Et
,, post edictum peremptorium impetratum, cum dies eius
,, superuenerit, tunc absens citari debet, & siue responderit,
,, siue non responderit, agetur causa, & pronunciabitur, nõ
,, vtique secundum præsentem, sed interdum vel absens, si
,, bonam causam habuit, vincet. Quod si is, qui edictum
,, peremptorium impetrauit, absit die cognitionis, is verò
,, aduersus quem impetratum est, adsit, tum circumducen-
,, dum erit edictum peremptorium, neque causa cogno-
,, scetur, neque secundum præsentem pronunciabitur.


Forũ autem, quo conueniri possit, sortitur quis, varijs de causis. Primo ratione domicilij, quæ quidem causa præcipua est, & potissimum spectanda. Deinde contra-

ctus,

ctus, nam ſi quis tutelam vel curam, vel negotium, vel argentariũ, vel quid aliud, vnde obligatio oritur, certo loco adminiſtrauit: & ſi ibi domicilium non habuerit, ibi ſe debebit defendere. Tertio ſucceſſionis, nam hæres abſens, ibi defendendus eſt, vbi defunctus debuit, & conueniendus, ſi ibi inueniatur. Quarto conſenſus, nam ſi ſe ſubijciant aliqui, iuriſdictioni, & conſentiant, inter conſentientes, cuiuſuis iudicis, qui tribunali præeſt, vel aliam iuriſdictionem habet, eſt iuriſdictio. Legatis autem, in eo quod ante legationem contraxerunt, reuocandi domum ſuam ius datur, niſi fortè vel ipſi agant, vel perfecta legatione ſubſiſtant, tunc enim conueniendos eos diuus Pius reſcripſit. Plane ſi legationis tempore, vel delinquat, vel contrahat legatus, non iniquè cogetur eius nomine iudicium accipere. Nam aliter poteſtas dabitur legatis, ſub hac ſpecie, res alienas domum auferendi. Enimuero ſi hæreditatem adeat, non licebit ne legatarijs quidem, aduerſus eum, tempore legationis agere, videlicet quia genus illud contractus, pro modo eſt neceſſariȩ quodammodo obligationis, cuius Modeſtinus ſub titul. de actio. c. 51. meminit. Si quis autem in legatione conſtituerit, quod ante legationem debuerit, non cogitur ibi iudicium pati, vbi conſtituerit, ne legatio impediatur, niſi fortè id Romæ fecit, tunc enim negotium, quaſi Romæ contractum eſſet, inquit Iulianus de conſti. pecun. c. 5. habetur. Nunc vero redeat, vnde deflexa eſt oratio.

DE PETI-

DE PETITIONE VNIVERSITATIS BONORVM.



NIVERSITAS bonorum, ea dicitur, quę quemadmodũ collegiũ aliquod, aut ciuitas, quę & ipsa vniuersitas nominatur, multas sub se res & iura continet, capiẽs natura sui, augmẽtũ & deminutionẽ, quod quidẽ in rebus singularibus nõ cõtingit, quę si deteriorẽtur, aut imminuãtur, ppè alię esse credũtur. Et quãq̃ quidẽ nomẽ vniuersitatis, in multis nõ male ponitur, nã & peculiũ vniuersitatẽ aliquã esse satis cõstat, attñ per excellentiã, qua sub philosophi nomine, Platonem exaudimus, si quando simpliciter vniuersitatis mẽtio habeatur, ferè intelligimus hęreditatem. Quæ quidẽ hæreditas, si ab aliquo nõ hęrede possideatur, comparatę sunt actiones, quibus verus eã hęres petere possit. Sed id fit duob⁹ modis: Vno, cũ testamentũ in quo possessor scriptus est, inofficiosi accusatur, & ad causam intestati deducitur: Altero, cum aduersus eũ, qui vel pro possessore, vel pro hęrede possidet, siue ab intestato, siue à testato (quo casu, querela inofficiosi, quasi præparatoria est, ad petitionẽ hęreditatis,) agitur. Quantum ad priorẽ actionẽ attinet: hui⁹ verbi DE INOFFICIOSO TESTAMENTO, vis illa est, docere innocentẽ se, & ideo & iniquè pręteritũ, vel etiã exhæredatione summotũ, quod plerunque accidit, cum falso parentes instimulati, liberos suos vel exhęredant, vel prætereunt. Nõ est enim consentiendum parentibus, qui iniuriam aduersus liberos suos testamento inducunt, quod plerunq; faciũt, malignè circa sanguinẽ suum inferentes iudicium, nouercalibus delinimentis instigationibusque corrupti. Hoc autẽ colore, de inofficioso testamẽto agitur, quasi nõ sanę mentis fuerint, vt testamẽtum ordinarent, & hoc dicitur, non quasi vere furiosus vel demens testatus sit, sed rectè quidem fecerit testamentũ, sed non ex officio pietatis. Nam si vere

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

furio-

furiosus esset, vel demens, nullum esset testamentum. Licet autem de inofficioso disputare intra quinquennium, ab adita hæreditate, non solum liberis, verum etiam fratribus, si turpes personæ fuerint institutę. Item parentibus, nam etsi parentibus non debeatur filiorum hæreditas, propter votum parentum, & naturalem erga filios charitatem, turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parẽtibus quàm liberis pie relinqui debet. Enimuero cognati, si sunt vltra fratrẽ, melius facerent, si te sumptibus inanibus non vexarẽt, cùm obtinere spem nõ habeant, ne scilicet in infinitũ extendatur numerus instituendorũ, & libertas vltimarũ voluntatũ impediatur. Effectus autẽ huius querelæ, siue accusationis est, vt expugnato testamento, res ad intestati causam redeat, adeò quidem, vt nec legata, nec fideicommissa, ipso iure debeantur, & rescisso simpliciter testamẽto, etiam is prçteritus, vel exhçredatus, ad successionẽ ab intestato vocetur, qui nõ egerit. Quanq̃ tamen hic fieri assolet, vt in vna atque eadẽ causa, diuersę sententię proferãtur: quid enĩ si fratre agente hæredes scripti diuersi iuris fuerunt? quod si fuerit, pro parte testatus, & pro parte intestatus decessisse ex postfacto, quod non est absurdũ, videbitur. Excludit autem querelã, quarta debitæ portionis, quoniam vt habeãt parẽtes, quo liberos suos, etiã circa minora obsequia inofficio retineãt, rectè hoc illis permissum est, vt si quartam liberis relinquãt, de reliquo, quomodocũque voluerint, statuere possint. Iudiciũ petitionis hæreditatis, centũuirale est, secundũ Iustinianũ, & Plinium in epistolis, cui pretor pręsidet, poniturq; apud Asconiũ inter rei vẽdicationes. Ac hæreditas quidẽ ad nos pertinet, aut vetere iure, aut nouo. Vetere, ex lege duodecim tabularum, vel ex testamento, quod iure factum est, vel ab intestato, quod sui hæredes defuncto sumus, vel agnati, vel quod manumisimus defunctum, quódue parens noster manumisit. Nouo iure, veluti si ex senatuconsultis, aut ex constitutionibus, ad hæreditatem vocemur.

DE PETITIONE HEREDITATIS.

Quo

Quo quidem facto, si alius quàm verus hęres possessor sit hæreditatis, regulariter definitur eum teneri, sed itademum, si vel pro hærede, vel pro possessore possideat, nam cęteroqui contra eum, qui aliquo speciali titulo, veluti emptionis, donationis, legati, dotis munitus est, ideo cessat hæc actio, quoniam, cum petitio hæreditatis, actio sit generalis, vtique consentaneum est, vt generi per speciem derogetur. Pro hærede possidet, qui putat se hæredem esse, pro possessore vero, prędo, qui interrogatus cur possideat, respõsurus sit, quia possideo, nec vllam causam possessionis possit dicere. Iam quo ad ea quæ veniunt in hoc iudicium, placuit vniuersas res hæreditarias, in hoc iudicium venire, siue iura, siue corpora sint, & non tantum ipsas res, verum etiam fructus earum. Nam cum in singularum rerum, quæ augeri non possunt, iudicijs, fructus extra ipsas res computentur, in vniuersalibus, secus acceptum est, vt nimirum fructus ipsam hęreditatem, tanquàm eam, quę augmentum & deminutionem natura sui accipere possit, augeant. Planè cum multa reperiantur tractata, de distractis rebus hæreditarijs, de dolo præterito, & de fructibus, data est de ijs, certa quædam Senatusconsulto forma, cuius verba
,, hæc sunt. Pridie idus Martias, Iulius Balbus, & Publius
,, Iuuentius Celsus, Titus Aufidius, œnus Seuerianus con
,, sules, verba fecerunt, de his, quæ Imperator Cæsa. Tra-
,, iani Parthici filius, diui Neruæ nepos, Hadrianus Augu-
,, stus, imperator, maximusque princeps, proposuit quinto
,, Nonas Martias quæ proximæ fuerunt, libello comple-
,, xus esset, quid fieri placeat, de qua re ita censuerunt.
,, Cum antequàm partes caducę, ex bonis rustici, fisco pe-
,, terentur, hi qui se hæredes esse existimant, hæreditatem
,, distraxerunt: placere, redactæ ex pretio rerum vendita-
,, rum pecuniæ vsuras non esse exigendas. Idemque in
,, similibus causis seruandum esse. Item placere à quibus
,, hæreditas petita fuisset, si aduersus eos iudicatum esset,
,, precia quę ad eos rerum ex hæreditate venditarum per-

ueniss-

uenissent, & si eæ ante petitam hæreditatem deperissent, deminutæue fuissent, restituere debere. Item eos qui bona inuasissent, cum scirent ad se non pertinere, etiamsi ante litem contestatam fecerint, quo minus possiderent, perinde condemnandos, quasi possiderent. eos autem qui iustas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, vsque eò duntaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent. Petitam autem fisco hæreditatem ex eo tempore existimandum esse, quo primum scierit quisque eam à se peti, id est, cum primum aut denunciatum esset ei, aut literis vel edicto euocatus esset, cēsuerunt. Iam verò per petitionem hæreditatis, non solum contendere possumus hæreditatem vniuersam ad nos pertinere, verum etiam partem aliquam hæreditatis. Nam idem ius esse debet in parte, quo ad partem, quod est in toto, quoad totum. & ideo metiendo ius ex persona petitoris, non verò ex eo quod possessor occupauit, rectè traditur, si ex asse quis hæres sit, totam hæreditatem eum vendicaturum, licet reus vnam rem possideat, si ex parte, partē, licet reus, totā possideat hæreditatē. Nā nō oportet ex eo quod patitur, verū ex eo quod agit, tanq̃ nobiliori ac prę stātiori, cuiusque rei naturam, (quemadmodū est apud Phisicos) ęstimare. Interdum autem prætor incertę partis hæreditatis petitionem indulget, idoneis causis interuenientibus. vtputa, sest defuncti fratris filius, sunt & vxores defunctorū fratrum prægnātes, quam partem fratris filius hęreditatis vindicet, incertū est, quia quot edantur fratrū defuncti filij, incertū est. Igitur datur incertæ partis petitio, sed quæ tamē, vt ait Paul. c. 3. per iudicē fiat certa. Atq; hæc quidem de ijs hæredibus, qui iure legitimo, siue ciuili succedunt, quibus propriè competunt, illæ de quibus diximus petitiones hæreditatis. Iam autem cum sint & alij nonnulli successores, qui vel iure honoris succedūt, vt qui bonorum possessionē p prętorē adipiscūtur, vel per senatusc ōsulta, vt quibus ex fideicommisso restituta est hæreditas, quibus


SI PARS HEREDITATIS PETATVR.

DE POSSESSORIA HÆREDITATIS PETITIONE.

DE FIDEICOMMISSARIA HÆREDITATIS PETITIONE.

bus vtiles tantum, non directę, tribuuntur actiones: rectè quæsitum est, ecquid & istis accommodari possint hæc remedia. Et est probatum, tátundem consequi bonorum possessorem vel fideicommissarium, per possessoriam vel fideicommissariam hęreditatis petitioné, quantum superioribus ciuilibus, actionibus hæres consequi potest. Nam quamuis in re ipsa, sit quędam subtilis inter legittimos & alios successores differentia (est enim in alijs plus facti, in alijs plus iuris) quantum tamen ad vtilitatem cōmunem & vsum attinet, nihil est admodum, in quo vnus ab alio discrepare videatur.

DE PETITIONE SIVE VINDICATIONE RERVM SINGVLARVM CORPORALIVM.



POST actiones quæ de vniuersitate propositę sunt, sequitur actio singularum rerum petitionis, quæ quidem vel ad res corporales pertinet, siue eæ mobiles sint & se mouentes, siue solo contineantur, & rei vendicatio nuncupatur: vel ad res incorporales siue seruitutes. quæ aut personarum sunt, aut rerum, vt in posterioribus dicetur. Rei vendicationis nomen, quod assertionem in libertatem significat, à Vindicio seruo tractum esse, author est Liuius, qui quod coniurationem iuuentutis de reducendo Tarquinio detexisset, primus in libera ciuitate, libertaté est assecutus. Alij tamen à vindicando dictum malunt à quo & vindicum nomen promanauit, qui vel ipsi assertores sunt libertatis, vel causam eius, qui de libertate cōtendit, adiuuant. Et quidé queādmodum in actionibus in personam, quędá quasi prehensio personæ, per raptioné in ius repręsentari solet, quæ quidé prehésio in æris confessos, tá latè patebat, vt per manus iniectionem, primum in ius, deinde domum duci, & vinciri, & tandem in partes secari pos

DE REI VINDICATIONE.

ri pos

ri possent: ita etiam in actionibus in rem, quædam, quasi manuum cōsertio, super possessione rei adumbratur. vtpote cum vindicare nihil sit aliud veteribus, quàm vindicias ipsas, hoc est, rem de qua disceptatio est (vt interpretatur Festus Pompeius) in iure præsentē, cum aduersario simul prēdere, ac in ea re, vindiciam correptionem manus, omnibus verbis solennibus, apud prætorem facere, quod est, ex iure manum conserere. Sed fuêre successu temporum, nisi me fallit obseruatio, tres diuersæ ac discrepantes formę vindicationis. Prima erat quam Lex 12. Tabul: præscripserat, qua quidē quemadmodū author est Gellius, cauebatur, vt nō nisi de re in iure pręsenti, siue ager, siue aliud quid esset, disceptaretur. Quę quidē disceptatio procedebat in eum, quem supra diximus modum, videlicet, vt is qui vindicaret, rē simul cum aduersario prehenderet, & in ea re, certis verbis, vindiciam correptionem manus, per quam suam esse assereret, in re atque in loco pręsenti, apud prætorem faceret. Et in hac quidem disceptatione solenni, vindiciæ, hoc est rerum de quibus quęrebatur detentiones, dabantur regulariter secundum antiquum possessorem, nimirum, vt pendente lite, suo loco res maneret, præstita tamen cautione, nihil se deterius in possessione facturum, de qua iurgium esset. Quoties verò lis esset super causa liberali, lege 12. Tabu. cautum erat, vt siue quis in seruitutem peteretur, siue in libertatem: fauore libertatis, vindiciæ darentur secundum libertatem, hoc est, vt si quis de possessione libertatis, in seruitutem peteretur, nihil pendente lite moueretur de possessione: si contrà è seruitute in libertatem, ab aliquo vindicaretur, interea dum lis penderet, fauore libertatis, pro libero haberetur. Secunda forma vindicationis, per prætores, tacito populi consensu, cōstituebatur. nam postquàm prætores (sic enim legendum apud Gellium putamus) propagatis Italiæ finibus, datis Iurisdictionibus, negotijs occupati, proficisci, vindiciarum dicendarum causa, longinquas res grauabantur, institu-

stitutum est, contra duodecim tabulas, tacito sensu, vt litigantes, non ex iure, apud prætorem manum consererent, sed ex iure manu consertum vocarent, id est, alter alterum, ex iure ad conserendam manum in rem dequa ageretur vocaret, atque profecti simul in agrum de quo litigabatur, tunc aliquid ex eo, vti vnam glebam in ius, in vrbem, ad prætorem deferrent, & in ea gleba, tãquàm in toto agro vindicarẽt. Et quoties proficiscerentur, ad huiusmodi glebam aliquam, hoc est, ad ipsas vindicias sumendas, id superstitibus, hoc est, testibus pręsentibus fiebat. Tertiam rationem vindicationis (nam cœptum est posterioribus temporibus paulatim recedi, à superstitiosis illis & solẽnibus formulis antiquitatis) describit Asconius Pedianus, his verbis. Lis vindiciarum est cum litigatur de ea re apud prætorem, cuius incertum est, quis debeat esse possessor, & ideo qui eam tenet, satisdat pro prędc litis vindiciarũ, aduersario suo, quo illi satis faciat, nihil se deterius in possessione facturum, de qua iurgium esset. Rursus sponsione ipse prouocatur, ab aduersario, certæ pecuniæ, aut æstimationis, quam amittat, ni sua sit hæreditas, de qua contendit. Hæc verba *Pediani*, demonstrant, rei vendicationem, tunc temporis, talem quodammodo formam habuisse, qualem describit Imp. ca. 1. de satisdat. Instit. lib. 4. Iam autem quæ hodie in vsû vendicatio est, duum est generum, vna ciuilis, altera pretoriana. Iuris ciuilis est, qua is qui aut iure ciuili, aut gentium dominium alicuius rei habens, & possessionem eius amisit, agit aduersus eum, qui eam rem possidet, vt dominus pronũcietur, & officio iudicis aduersarius, si aliquo modo restituendi eius facultatem habeat, ad restituendum compellatur. Dico autem qua is agit qui dominiũ habet, vel iure ciuili, vel iure gentium, quia cum rei vendicatio non sit ex eorũ numero, quę propria sunt ciuium Romanorum, cuiusmodi est mancipatio, sed eorum quæ peregrinis omnibus, etiam ijs quibus commercium datum non est, competunt, cuiusmodi sunt traditio,

DE REI VĪDICATIONE.

tio, vſucapio, in iure ceſſio : merito nihil refert, vtrum dominium quis habeat rei vendicandæ, iure communi & gentium, an verò iure Quiritum. & ideo nõ ſolum eum ſeruum rectè vindicamus, qui ex iure Quiritum dominij noſtri eſt, verum etiam eum, qui tantum eſt, in bonis noſtris. Planè liberum hominem, qui in poteſtate noſtra degit, nõ rectè vindicamus, niſi EX IVRE ROMANO: quoniam nulli alij populi, intelliguntur tã plenũ habere dominium, quod quidem vindicationem pariat, in liberos ſuos, quàm ciues Romani, ſed poſſeſſionem tãtum, & ideo, vel ad interdicta, vel præiudicia, vel ad cognitionem prætoriam, in quibus omnibus poſſeſſiõis quæſtio vertitur, remittuntur. Quod autem dico hanc actionem, etiam aduerſus eos eſſe, qui aliquo modo reſtituendę rei habeant facultatem: hanc nimirum habet cauſam, quoniam ſi is qui agit, probauerit ſe dominum, vtique neceſſe habebit ille reſtituere, qui non obijciet aliquam exeptionem. Ideo autem non hoc pronunciari aio, reſtituendam rem eſſe, ſed tantum dominum eſſe eum, qui agit: quoniam hæc actio, non in perſonam, quæ vtique obligata non eſt, ſed in rem, concipitur. Ideo denique officio iudicis contineri, vt fiat reſtitutio, quia cum iudicis, tanquam boni viri, ſit, non hoc ſolum ſpectare, quid ego petere poſſim, nec ne, ſed quid conueniat aduerſarium mihi præſtare, conſentaneum eſt, vt poſtquam cognouerit me dominum eſſe, iubeat arbitrio ſuo (eſt enim hæc actio arbitraria) rem reſtitui, ne alter cum alterius iactura locupletetur. Et ſanè, qui reſtituere iuſſus, iudici non paret, contendens, nõ poſſe reſtituere, ſiquidem habet rem, manu militari, officio iudicis, ab eo poſſeſſio transfertur, & fructuum duntaxat, omniſque cauſæ nomine, condemnatio fit. Si vero non poteſt reſtituere, ſiquidem dolo fecerit, quo minus poſſit, in quantum aduerſarius, in litem, ſine vlla taxatiõe in infinitum iurauerit, damnandus eſt, ſi verò nec poteſt reſtituere, nec dolo fecit, quo minus poſſit, non pluris, quàm quanti res

est,id est,quanti aduersarij interfuit, condemnandus est.

Hæc sententia generalis est ad omnia,& siue interdicta, siue actiones in rem,siue in personam sint, in quibus ex arbitratu iudicis,quid restituitur,locum habet. Prætoria in rem actio,à Publicio prętore,primum constituta est,à quo & publicianum iudicium appellatur. Nam si bonæfidei emptori legatarióue,aut alij iustam causam habenti,res à non domino tradita fuerit,& is antequam vsucapionem expleuerit, possessione forte ceciderit,solutius æquitatem sequendo, vtilius visum est,quanuis ipso iure, cum dominus non sit, vindicationem non habeat, tamen propter bonam fidem,& priorem titulum,& cœptam vsucapionem,actionē aliquam in rem,illi accommodare.Quam quidem hoc colore proponit,(licet enim æquitatis tuendæ gratia,quemadmodum author est Plato fingere,cuius etiam exemplum exstat, in querela inofficiosi) quasi eam rem vsuceperit, quam nondum vsu

DE PVBLICIANA IN REM ACTIONE.

» suam fecit. Verba autem ipsa Prætoris hæc sunt: Si
» quis id quod traditur, ex iusta causa, non à domino,&
» nōdum vsucaptum, petet, iudicium dabo. Enimuero reiuendicatio,licet proprie ijs competat, qui verum habent dominium:propter tamē vtilitatem,placuit,in rem actionem,aduersus quemuis possessorem,etiam ijs competere, qui in perpetuum,vel ad non modicum tempus, fundum vectigalem conduxerunt, à municipibus. Nam quemadmodum in actionibus hoc tribuitur, vt vtilis actionis & directę vis eadem sit & potestas: ita etiam in dominijs rerum,hoc probatum est,vt quo modo is cuius pleno dominio res est,vēdicationem habet,eodem etiam is, cuius per emphyteusim est, habeat: propter scilicet vtile dominiū, quod in vectigali,hoc est, emphyteuticario fundo,representatur,quemadmodum ipse contractus emphyteuticarius,non longe abest,ab emptione & venditione. Sed cum agri ciuitatum, vel ita colendi dantur,vt priuatos agros nostros colendos dare solemus,vel hac lege,vt quàmdiu vectigal pro ijs pēdatur,tamdiu neq;

SI AGER VECTIGALIS ID EST EMPHYTEVTICARIVS PETATVR.

ipsis

ipsis qui conduxerint, neque ijs qui in locum eorum successerint, auferri eos liceat, hęc impositio vectigalis, varijs de causis contingit. Vel enim fit, vt agrum sterilem, perpetuo colendum certis pensionibus locemus, quod genus contractus, proprio nomine ἐμφυτεύσις vocatur: vel vt simpliciter nobis hęredique nostro, fundum, certo in annos canone, conducamus, qui contractus perpetuarius dicitur, vel denique vt fundum nostrum, creditori nostro cui eum pro certo annuo reditu, pignori opponere volumus (quemadmodum est apud Plinium) mancipemus, & eundē ab illo, imposito vectigali, recipiamus, quod quidem ius sic acquisitum, ἐμβατευτικὸν nominatur, propterea quod ius sit creditori, si non satisfiat, in bona debitoris sibi pignorata, quasi propria authoritate ingrediendi. Atque hæc quidem, de speciali rerum singularum corporalium, vindicatione.

DE PETITIONE RERVM SINGVLARVM INCORPORALIVM ET PERSONALIVM



RES incorporales, quæ quidem ad specialem vindicationem pertinent, seruitutes appellantur, ducto nomine ab eo, quod quemadmodum ille fundus, qui nulli est obnoxius, & optimus maximus dicitur, liber vocatur, ita etiam pro seruo habeatur ille, qui alterius quàm proprietatis domini, iura legesq; sentiat. Sed sunt seruitutū, alię personarum, aliæ rerum. Personarum sunt, quę solis personis debentur, nec sine his consistunt, vt vsusfructus, vsus, habitatio, nam harū seruitutum ea est natura, vt sine persona vtentis, fruētis, habitātísue ne intelligātur quidem, vti author est Iulius Paulus de stip. ser. c. 26. Suntq; proculdubio nō alia de re, primū omniū à proprietate separatæ, q̄ amici alicuius, qui hęres nō esset, gratificādi causa.

Rerum seruitutes sunt, quæ & prædiales dicuntur, ob id quòd sine prædio quod seruiat, & item quod dominetur, regulariter non cōsistunt, vt iter, actus, via, ius altius tollendi, prospectus luminum, cum similibus. Et quidem, cum id iure ciuili, pro nullo censeatur, quod nullam de se præbeat vtilitatem, quod bonum tibi est, verbi gratia, ius altius tollendi habere, si nullum prædium quod altius tollere possis, in proximo possideas. Suntq́ue meo quidem iudicio, hæ seruitutes, necessitate sic exigente, (nam superiores spontaneæ sunt) primum quæsitæ, videlicet, vt ne vsus rerum intercidat. nam persępe fit, vt ad meum fundum, nisi per prædium alienum, commode accedere non possim, vtq́ue nisi immittam tignum in parietem tuum, vix mihi liceat commode in area mea ædificare. Planè si nonnunquam has ipsas seruitutes, personarum fieri contendas, veluti cum hoc nominatim exprimitur, nihil admodum refragabor: nam in pecoris pascēdi seruitute, si testator, inquit, Paulus de seruitut. rusti. præd. ca. 4. personam demonstrauit cui seruitutem prę stari voluit, emptori vel hæredi eius, non eadem præstabitur seruitus. Sed redeamus ad id quod propositum est, & prius quidem explicemus de ijs seruitutibus, quę personarum sunt. Post deinde veró, de his quæ rerum.

Vt autem quę seruitutum personalium natura sit, propius & exactius intelligamus, scire oportet, cuiusque rei corporalis, tum substantiam, tum superficiem esse, tum denique vim & virtutem. Ad superficiem propriè pertinet, possessio, de qua suo loco dicetur: ad substantiam, dominium: ad vim & virtutem, perceptio commoditatum ac vtilitatum, quæ ab vnaquaque re efflorescunt.

Atque hæc quidem tria, licet in pleno perfectoq́ue dominio confundantur, (qua quidem causa fit, vt vsusfructus dominij pars nonnunquam dicatur) tamen nihil prohibet, quo minus vsu & necessitate sic exigente, separentur, haud aliter atque de lacte Galenus tradit, quod cum vnum sit, in multa tamen genera hu-

morum

morum segregari potest. Sed quantum ad perceptionem vtilitatum attinet, quę ab vnaquaque re, ad hominum commoditatem proueniunt, eius quoque non vna habetur ratio. Nam aut est talis, quæ magis pendeat ex ipsius rei fœcunditate, quàm ab hominis industria, aut contra talis, quæ in solertia hominis magis cernatur, quàm in ipsius rei vbertate. Primi generis est vsusfructus, qui consistit in ijs percipiendis, quæ terræ & animalium fœtu ac opera profunduntur. Secundi vsus, qui in eo præcipuè spectatur, quod homo rē alioqui per se sterilem, vt vestem, librum, calceum, ad vsus suos adiungit. Et est quidem vsusfructus nomen, ab vtendo fruendoque raptum: nam frui nihil aliud est veteribus, q̃ vesci, sumpto vocalo à frumine, summa parte gulæ, à quo & fructus dicti sunt. Definitur autem in hunc modum. Vsusfructus, est ius alienis rebus vtendi fruendi, salua rerum substantia. Ius autem ideo vocatur, quia incorporale est, & constituitur, vel iure legati, vt cum hęres iubetur dare alicui vsumfructum, hoc est inducere in fundum legatarium, & eum pati, vti, frui: vel sine testamento, pactionibus & stipulationibus: vel iudicio familiæ herciscundæ aut communi diuidūdo, si iudex alij proprietatem adiudicauerit, alij vsumfructū. Ideo autem alienarum rerum proprie dicitur vsusfructus, quoniam (quod vulgo dicitur) res sua nomini seruit, quod quidem hactenus est probandum, si vsumfructum pro specie à proprietate separata accipias, aliter si pro parte dominij. Res accipe omnis generis, nam constituitur vsusfructus, non tantum in fundo & ædibus, verum & in seruis, iumentis, pratis, vestimentis, vniuersitatibus cæterisque rebus, idque tum in solidum, tum pro parte tam diuisa, quàm indiuisa. Nam cum aliæ seruitutes mera iura sint, & ob hoc indiuiduę: vsusfructus illud proprium est, propter rerū circa quas versatur, & à quibus nonnihil contagij contrahit, perceptionem, vt sit diuiduus, quod quidem in vsu nō peręq; obseruatur, propterea quod in facto magis hominis, quàm in rebus specte-

DE VSVFRVCTV & QVEMADMODVM QVIS VTATVR, FRVATVR.

ſpectetur. Vtendi fruendi ſignificatio, ex cuiuſque rei qualitate tribuitur. Nam aut rei ſoli, aut mobilis, vſuſfructus conſtituitur. Rei ſoli, vtputa ędium vſufructu legato, quicunque rei redditus eſt, ad vſufructuarium pertinet, & quæcunque obuentiones ſunt, ex ædificijs, ex areis, & cæteris quęcunque ædium ſunt, etiamſi vſusfructus ædiũ ſit legatus, quicquid in fundo naſceretur, quicquid inde percipi poteſt, ipſius fructus eſt. Et ideo ſi lapidicinas, cretifodinas arenas, vel metalla habeat, in fructu erunt. Tantundẽ ſtatuitur & de arboribus cęduis, ſarmentis, gremijs, & alijs ſimilibus, quãquã arbores frugiferę, quibus exciſis, ſubſtãtia fundi ſalua non remanet, in fructu non computentur, quemadmodum nec venationes, niſi ſi fructus fundi ex ijs potiſſimum conſiſtat. Rerum mobilium vſusfructus eſt, veluti numiſmatum, quæ pro gemmis ſunt, & ſtatuarum ad voluptatẽ: ouiũ ad lac, lanam, fœtum, cum ſimilibus: hominum præcipuè ad operas. nam vtrum partus ancillæ in fructu ſit nec ne, multum fuit quidem apud veteres, vt author eſt Cicero, quęſitum, quorum alij, cæterarum animantium exemplum, ſequebantur, alij præſtantiam hominis, cuius gratia reliqui fructus omnes comparati ſunt, intuebantur: ſed obtinuit, quemadmodum refert Vlpianus, partum ancillæ in fructu nõ eſſe. Quæ quidẽ ſententia, nec infauorabilis eſt, nec etiam extra rationem poſita: nam excepta cauſa dominij, in his quæ naturalia ſunt, cuiuſmodi eſt partus, homo ſeruus, pro libero habetur: ex quo fit, vt is qui ſeruum occidit, non minus pœnæ legis Corneliæ ſubiugetur, quàm ſi liberum hominem occidiſſet. Nec turbat vero, quod homo in inſtrumento hominis eſſe cẽſetur, quoniam hoc ad ciuilem rationẽ magis pertinet, q̃ naturalem, & cum ſint duo in familia, herus & hæredium, ſeruus non tam eſt inſtrumentũ heri (nam inſtrumentum debet genere differre, ab eo cuius eſt inſtrumẽtum) quam ipſius hæredij fundiue. Quod additur in definitione, vſumfructũ eſſe ius vtendi fruendi, ſalua rerũ

ſubſtan

ſubſtantia, ſic exaudiendum eſt, vt ſublata re, tollatur & vſusfructus. Item vt fructuarius, boni viri arbitrio fruatur,& ea rei fructuariæ onera agnoſcat,quæ ad quotidianam eius conſeruationem pertineant. Quoniam autem de vſufructu in genere dictum eſt, videamus quoque, de nonnullis circa vſumfructum in ſpecie. Et habet quidem nõ indignũ tractatũ,primũ ius accreſcendi vſusfructus,& quãdo dies vſusfructus legati cedat,deinde quibus modis vſusfructus amittatur, & quis ſit vſusfructus earũ rerũ quę vſu conſumũtur, poſtremo quomodo vſus fructus petatur, vel ad alium pertinere negetur, & quid obtineat in operis ſeruorum. Quantũ ad ius accreſcendi attinet:legatum vſusfructus,relinquitur, vel deiunctim, vel coniunctim.Deiunctim,veluti ſi ſeparatim,vnicuiq;, partis rei vſusfructus ſit relictus, vt Titio vſumfructum fundi Tuſculani, pro ſemiſſe do lego, Seio fundi Tuſculani vſumfructum pro ſemiſſe do lego.Cõiunctim,triplici modo fit legatum,aut enim re per ſe coniunctio contingit,aut verbis,aut re & verbis, vt cum & nominũ & rei complexus,aliquos iungit.Re,vt Titio fundi Tuſculani vſumfructum do lego : Seio eiuſdem fundi Tuſculani vſumfructum do lego,ambo enim vocantur ad totius rei vſumfructum. Verbis,vt Titio & Seio fundi Tuſculani vſumfructũ æquis partib⁹ do lego,re enim ſeparati, verbis coniunguntur. Re & verbis ſimul, vt Titio & Seio fundi Tuſculani vſumfructũ do lego.Pręter hos nõnulli,neq; re,neq; verbis coniunguntur,ſed perſona,veluti, ſi cõmuni ſeruo,vſusfructus ſit relictus,& vtriq; per eũ domino acquiſitus. Iam autẽ de iure accreſcendi inter iſtos, primum inter deiunctos nulla conſiſtit accretio,cuius ratio cum eam ſuis quiſq; ſenſibus prehendere poſſit, non eſt latius à nobis exponenda. Inter eos qui ſola re coniuncti ſunt, non tam ius accreſcendi obtinet, quàm non decreſcendi, nam cum ſecundum formam ipſius legati,tota res ſingulis legata cenſeatur:partes inter eos concurſu fiunt, & non currente vno, totum

DE VSVFRVCTV ACCRESCENDO.

totum legatum,remanet apud alterum. Inter solis verbis coniuctos,propriè competit ius accrescendi, vt si alter repudiet legatum, non ad proprietatem redeat vsusfructus,sed ad verbis coniunctum,ne scilicet inanis sit ea quę saltē verbis, est à testatore facta, duorum copulatio. Inter re ac verbis coniunctos, tam iure non decrescendi quàm accrescendi,constat deficientis partis accretio. Inter duos eiusdem serui dominos, magis est, non decrescendi ius obtinere,quàm accrescendi, nam cū seruus communis duorum seruorum personam,vt inquit Iulianus. cap. 1. de stip. seru. sustineat: vtique consequens est, quicquid seruo legatur, id pro solido singulis dominis,qui ratiōne dominij,quod est indiuiduum, singuli in solidum domini censentur acquiri, sed concursu partes fieri, & non currente vno, totum legatum, apud alterum remanere, haud aliter atque si seruus communis aliquid stipuletur,nā si id alteri ex dominis, acquiri non potest, solidum alteri acquiritur. Enimuero in toto iure vsusfructus accrescendi,hoc specialiter acceptum est,vt licet semel fuerit constitutus, in vnius persona, tamen postea amissus,nihilominus ius accrescendi admittat, quod quidem in proprietate nullo modo recipitur. Et ratio quidem differentiæ est, quoniā proprietate semel vindicata, expirauit ius omnis testamenti, haud aliter atque hæreditate semel adita, vis omnis vulgaris substitutionis euanuit: sed quantum ad vsumfructum attinet, is quoniam ex facto consistit, non semel quidem constitui, sed quotidie, de integro, tam legari, quàm constitui intelligitur. quod quidem etiam atq; etiam est notandum.

QVANDO DIES VSVS FRVCTVS LEGATI CEDAT.

De cessione diei vsusfructus legati, quanquàm vsusfructus(inquit Vlpianus)ex fruendo consistat,id est facto aliquo eius qui fruitur vt vtitur, quod quidem factum efficit, vt non semel, sed quotidie, per patientiam constitui videatur: tamen quia legatum vsusfructus, propter ius quod in eo versatur, vnum est, consentaneum est,vt semel eius dies cedat,non sæpius. Sed licet aliorum legatorum

gatorum dies à morte teſtatoris cedat, in vſufructu tamē legato, receptum eſt, vt non prius cedat, quàm hæreditas adeatur. Et ratio quidem eſt, quia vſuſfructus non ante cenſetur, in rerum natura eſſe, q̄ exiſtat aliquis, qui eam cōſtituat, & præterea cū ad hæredē nō trāsferatur, ſuperuacaneum eſt, ſi ante quis diem eius cedere dixerit. Atq; hinc quidem eſt, quod Sceuola ait: Si ex die vſusfructus legetur (hoc enim fieri poteſt, propter contagium, quod à re contrahit, vt ſupra diximus) agentem ante diem vſuſfructus, nihil facere, cum neque ceſſerit, neq; venerit dies, quanuis aliàs, qui ante diem agit, non nihil quidem, ſed male agit, vtpote cum in ſtipulatione, in diem, ſtatim exiſtat obligatio, licet nondum agi poſſit. Plane ſi cui in menſes, vel in dies, vel in annos ſingulos legetur vſuſfructus, per ſingulas pēſiones vſuſfructus cedit, ſunt enim tot legata propter factum, quod ijs verſatur, ex natura donationis, quot ſunt penſiones, licet in ſtipulationibus, quæ iuris ſunt, contra habeatur. Amittitur autem vſuſfructus, varijs de cauſis. Primo capitis deminutione vſufructuarij, qui quo ad priorem ſtatum, pro mortuo reputatur. Secundo, morte, nam ne ſemper abſcedente vſufructu, proprietas inutilis maneat, placuit perſonalem vſumfructum conſtituere. Et ideo, ſi vſufructuarius, meſſem fecerit, & deceſſerit, ſtipulam quidem, quæ in meſſe iacet, hæredis eius eſſe Labeo propter perceptionē ait: ſpicam autē, quæ terra teneatur, vel oleam, quæ non excuſſa ſit, ſed per ſe deciderit, domini fundi eſſe, vt quam conſtat perceptam non eſſe, q̄q̄ in bonæfidei poſſeſſore, in quo non tam actus perceptionis, quàm an deſierit pars fundi eſſe fructus ſpectatur, quantum ad deciduam oleam, ſecus probetur. Si vſusfructus ciuitati legetur, & aratrum in eam inducatur, ciuitas quaſi morte eſſe deſinit, vt paſſa eſt Carthago. Tertio perit vſuſfructus, interitu ipſius rei, vel mutatione, quę ſine prioris formæ abſceſſu, non contingit. Et ideo ſi domus corruat, ne areæ quidem vſusfructus debebitur. Nec etiam

QVIBVS MODIS VSVSFRVCTVS VEL VSVS AMITTITVR.

si demolitis ædibus, testator alias nouas restituerit tametsi secus sit, si per partes reficiantur. Quarto consolidatione, veluti si vel vsufructuarius proprietatem acquirat, vel contrà, si à fructuario, vsusfructus cedatur in iure, (est enim hic proprius modus transferendarum rerum incorporaliū, quę tradi non possunt,) aut ei qui proprietatem habeat, aut etiam alij: nam eo casu, quia nec is acquirit vsumfructum, cui ceditur, propterea quod à persona non possit auelli, nec is retinet, qui cedit, quia vt habere desinas, sufficit te dimittere, etiamsi non transferas: certe necessitate quadam cogente accidit, vt ad proprietatem recurrat. Quinto, non vtendo, per modum & tempus, nam si per decem aut viginti annos, toto vsufructu, non vtaris: constat eum amittere te. Item si cum vsumfructum habeas, vtaris tātum, refert sciens id facias, an ignorans: si sciens, nihil nocet, reliquum enim singulis annis donare videris: si ignorans, fructum amittis, & ad eum tantum modum, quo vsus es, vti perges. Quanquam autem hisce modis amittatur vsusfructus, meminisse tamen oportet, id ita fieri, nisi fuerit repetitus, nam eo casu redintegratur, veluti, si quis di cat: vsumfructum, quoties capite minutus erit, do, lego. Et repeti quidem potest vsusfructus, amissus qualicunque ratione, dummodo non morte: nisi forte hæredibus fructuarij fuerit legatus. Quantum ad vsumfructum earum rerum attinet, quæ in consumptione, vel abusu sunt, vt vinum, oleum, pecunia numerata, is quoniam ab ipsa rei substantia separari nō potest, natura nullus est, quādmodum & Cicero eleganter tractat in Topicis. Cæterū propter vtilitatem Senatus sic censuit, vt & illarū vsusfructus, si modo rectè caueatur ijs, à quibus legatus erit, constitui possit. Quo quidem Senatuscōsulto, non id effectum est, vt pecuniæ vsusfructus proprius sit, (nec enim naturalis ratio, authoritate senatus commutari potuit) sed vt remedio introducto cęperit, quasi vsusfructus haberi. Ac in stipulatione quidē de reddendo vsufructu

DE VSVFRVCTV EARVM RERVM, QVÆ VSV CONSVMVNTVR VEL MINVVNTVR.

fructu pecuniæ, duo ſoli caſus interponuntur, mortis, & capitis deminutionis, quando pecuniæ vſus aliter amitti non poteſt, quàm his caſibus, nec eſt in hac ſpecie, inter vſum & vſumfructum pecuniæ, vlla differentia. Actiones, quæ de vſufructu competunt, duæ ſunt, vna confeſſoria, negatoria altera. Confeſſoria eſt, qua is, cui vſusfructus, vel totius, vel partis, conſtitutus eſt, non autem dominus proprietatis, nam nemini res ſua ſeruit, in rem agit, ius ſibi eſſe, vti, frui. Competit verò, non ſolum aduerſus dominum, verum etiam aduerſus quemuis poſſeſſorem. Nam ſi fundo fructuario ſeruitus debeatur, fructuarius non ſeruitutem, ſed vſumfructum vendicabit, ac per hoc vicinus, ſi non patiatur eum, ire, agere, tenebitur ei, quaſi non patiatur vti, frui. Effectus autem huius actionis eſt, vt & fructus veniant, & fructario, qui vicit, omnis cauſa reſtituatur. Et ideo ſi ſerui fuerit vſusfructus legatus, quicquid ex re fructuarij, vel ex operis ſuis conſecutus eſt poſſeſſor, debebit reſtituere. Præterea, quia vſusfructus, adminiculis eget, ſine quibus vti, frui, quis non poteſt, ideo ſi fundi vſusfructus legetur, neceſſe eſt, vt ſequatur eum aditus. Negatoria actio eſt, quæ competit domino proprietatis, aduerſus fructuarium, per quam negat, inuito ſe, ius eſſe, vtendi fruendi fructuario, vel ſibi ius eſſe, prohibendi. Et ſicut fructuario in rem confeſſoria agenti fructus præſtandi ſunt, ita & proprietatis domino, ſi negatoria actione vtatur, pari modo fructus præſtari debent. Sed hoc in omnibus ita demum obtinet, ſi non ſit poſſeſſor qui agat: nam quia hæ actiones etiam poſſeſſori competunt, quod ſi poſſident, nihil fructuum nomine, quos vel perceperunt ipſi, vel intelliguntur percepiſſe conſequentur. De operis ſeruorum, quanuis ijs legatis, vſum datum intelligimus, vtpote, cum fructus hominis in operis cōſiſtant, & retro in fructu hominis, operæ ſint: hoc tamē eſt in ijs ſpeciale, vt capitis deminutione nō amittantur. Ratio autē differentiæ eſt,

SI VSVS FRVCTVS PETETVR VEL AD ALIVM PERTINERE NEGETVR

DE OPERIS SERVORVM.

[illegible] non sunt [illegible] & est regula, [illegible] leg. cap. 26. [illegible] morte addo [illegible] Cum & hoc applica, [illegible]

tione ſolum ac morandi facultate: nonnullę, in quibus propriè vſum habemus: per abuſionem verò, fructum, cuiuſmodi eſt veſtis, cuius vſus eſt naturalis: fructus verò ex locatione, præter naturam: nonnullæ deniq;, in quibus vtrumque permiſtè verſatur, ac æqualiter, cuiuſmodi eſt pecunia, & omne id, quod in abuſu conſiſtit: cum hæc inquam ita ſint, iure comparatum eſt, vt regulariter quidem, (nã ex occaſione aliter accidere ſubinde poteſt,) ſub fructu, contineatur vſus, qui quaſi de adminiculis eſt ipſius fructus, ita vt ſine eo exerceri non poſſit, ſed non contra vſus nomine, comprehendatur fructus, quoniam nihil impedit, quo minus aliqua re vtamur, cuius tamen fructum nullum percipiamus. Niſi fortè de ijs rebus dicamus, quæ vſu tolluntur, vel minuuntur: nam & in alijs nonnullis cauſis receptum eſt, vt vſu legato, vſusfructus quoq; legatus videatur, videlicet, ſi nihil habiturus quis ſit, ex legato, niſi etiam vti frui liceat, vt contingit in vſu ſyluæ relicto vel dimiſſo. Atque huic quidem rei conſequenter quoque factum eſt, vt & nonnullarum rerum vſus, ne cæteroqui ad minimum res redigatur, vltra ſuos fines naturales, iure conſtituto porrigatur, quod quidem quomodo ſe habeat, intelligemus, ſi paucis diſtinxerimus, quid cuiuſque rei mobilis, vel ſe mouẽtis: & item eius, quæ ſoli ſit, vſu comprehendatur. Ac ſi armenti boum vſus relinquatur, tãtummodo vſum habebit fructuarius, inquit Vlpianus, & ad arandum, & ad cætera, ad quę boues apti ſunt, in quibus quidem proprie conſiſtit vſus: ſed ſi pecoris ouilis vſus legetur, iam quia proprius vſus eſt quodammodo i[illegible] quid quaſi mutuo ſumitur à fructu, vt & mod[illegible] poſſit fructuarius. In hominis vſu relict[illegible] præſtantur, quæ diuerſo[illegible] ſpectu, t[illegible] maxime in officiali[illegible] minis[illegible] ctus, vt in artificia[illegible] undi[illegible] us eſt, & ideo non[illegible] addi[illegible] hoc fructuario per[illegible] itu[illegible] bi[illegible], lignis, ac fœno ad

 vitam

Rerum seruitutes sunt, quæ & prædiales dicuntur, ob id quòd sine prædio quod seruiat, & item quod dominetur, regulariter non cõsistunt, vt iter, actus, via, ius altius tollendi, prospectus luminum, cum similibus. Et quidem, cum id iure ciuili, pro nullo censeatur, quod nullam de se præbeat vtilitatem, quod bonum tibi est, verbi gratia, ius altius tollendi habere, si nullum prædium quod altius tollere possis, in proximo possideas. Suntque meo quidem iudicio, hæ seruitutes, necessitate sic exigente, (nam superiores spontaneæ sunt) primum quæsitæ, videlicet, vt ne vsus rerum intercidat. nam persępe fit, vt ad meum fundum, nisi per prædium alienum, commode accedere non possim, vtque nisi immittam tignum in parietem tuum, vix mihi liceat commode in area mea ædificare. Planè si nonnunquam has ipsas seruitutes, personarum fieri contendas, veluti cum hoc nominatim exprimitur, nihil admodum refragabor: nam in pecoris pascẽdi seruitute, si testator, inquit, Paulus de seruitut. rusti. præd. ca. 4. personam demonstrauit cui seruitutem pręstari voluit, emptori vel hæredi eius, non eadem præstabitur seruitus. Sed redeamus ad id quod propositum est, & prius quidem explicemus de ijs seruitutibus, quę personarum sunt. Post deinde veró, de his quæ rerum.

Vt autem quę seruitutum personalium natura sit, propius & exactius intelligamus, scire oportet, cuiusque rei corporalis, tum superficiem esse, tum substantiam, tum denique vim & virtutem. Ad superficiem propriè pertinet, possessio, de qua suo loco dicetur: ad substantiam, dominium: ad vim & virtutem, perceptio commoditatum ac vtilitatum, quæ ab vnaquaque re efflorescunt,

Atque hæc quidem tria, licet in pleno perfectoque dominio confundantur, (qua quidem causa fit, vt vsusfructus dominij pars nonnunquam dicatur) tamen nihil prohibet, quo minus vsu & necessitate sic exigente, separentur, haud aliter atque de lacte Galenus tradit, quod cum vnum sit, in multa tamen genera hu-

morum

morum ſegregari poteſt. Sed quantum ad perceptionem vtilitatum attinet, quę ab vnaquaque re, ad hominum commoditatem proueniunt, eius quoque non vna habetur ratio. Nam aut eſt talis, quæ magis pendeat ex ipſius rei fœcunditate, quàm ab hominis induſtria, aut contra talis, quæ in ſolertia hominis magis cernatur, quàm in ipſius rei vbertate. Primi generis eſt vſusfructus, qui conſiſtit in ijs percipiendis, quæ terræ & animalium fœtu ac opera profunduntur. Secundi vſus, qui in eo præcipuè ſpectatur, quod homo rē alioqui per ſe ſterilem, vt veſtem, librum, calceum, ad vſus ſuos adiungit. Et eſt quidem vſusfructus nomen, ab vtendo fruendoque raptum: nam frui nihil aliud eſt veteribus, q̃ veſci, ſumpto vocalo à frumine, ſumma parte gulæ, à quo & fructus dicti ſunt. Definitur autem in hunc modum. Vſusfructus, eſt ius alienis rebus vtendi fruendi, ſalua rerum ſubſtantia. Ius autem ideo vocatur, quia incorporale eſt, & conſtituitur, vel iure legati, vt cum hęres iubetur dare alicui vſumfructum, hoc eſt inducere in fundum legatarium, & eum pati, vti, frui: vel ſine teſtamento, pactionibus & ſtipulationibus: vel iudicio familiæ herciſcundæ aut communi diuidũdo, ſi iudex alij proprietatem adiudicauerit, alij vſumfructũ. Ideo autem alienarum rerum proprie dicitur vſusfructus, quoniam (quod vulgo dicitur) res ſua nomini ſeruit, quod quidem hactenus eſt probandum, ſi vſumfructum pro ſpecie à proprietate ſeparata accipias, aliter ſi pro parte dominij. Res accipe omnis generis, nam conſtituitur vſusfructus, non tantum in fundo & ædibus, verum & in ſeruis, iumentis, pratis, veſtimentis, vniuerſitatibus cæteriſque rebus, idque tum in ſolidum, tum pro parte tam diuiſa, quàm indiuiſa. Nam cum aliæ ſeruitutes mera iura ſint, & ob hoc indiuiduę: vſusfructus illud proprium eſt, propter rerũ circa quas verſatur, & à quibus nonnihil contagij contrahit, perceptionem, vt ſit diuiduus, quod quidem in vſu nō peręq; obſeruatur, propterea quod in facto magis hominis, quàm in rebus ſpecte-

DE VSVFRVCTV & QVEMADMODVM QVIS VTATVR, FRVATVR.

ſpectetur. Vtendi fruendi ſignificatio, ex cuiuſque rei qualitate tribuitur. Nam aut rei ſoli, aut mobilis, vſuſfructus conſtituitur. Rei ſoli, vtputa ędium vſufructu legato, quicunque rei redditus eſt, ad vſufructuarium pertinet, & quæcunque obuentiones ſunt, ex ædificijs, ex areis, & cæteris quęcunque ædium ſunt, etiamſi vſusfructus ædiũ ſit legatus, quicquid in fundo naſceretur, quicquid inde percipi poteſt, ipſius fructus eſt. Et ideo ſi lapidicinas, cretifodinas arenas, vel metalla habeat, in fructu erunt. Tantundē ſtatuitur & de arboribus cęduis, ſarmentis, gremijs, & alijs ſimilibus, quáquã arbores frugiferę, quibus exciſis, ſubſtãtia fundi ſalua non remanet, in fructu non computentur, quemadmodum nec venationes, niſi ſi fructus fundi ex ijs potiſſimum conſiſtat. Rerum mobilium vſusfructus eſt, veluti numiſmatum, quæ pro gemmis ſunt, & ſtatuarum ad voluptatē: ouiũ ad lac, lanam, fœtum, cum ſimilibus: hominum præcipuè ad operas. nam vtrum partus ancillæ in fructu ſit nec ne, multum fuit quidem apud veteres, vt author eſt Cicero, quęſitum, quorum alij, cæterarum animantium exemplum, ſequebantur, alij præſtantiam hominis, cuius gratia *reliqui* fructus omnes comparati ſunt, intuebantur: ſed obtinuit, quemadmodum refert Vlpianus, partum ancillæ in fructu nõ eſſe. Quæ quidē ſententia, nec infauorabilis eſt, nec etiam extra rationem poſita: nam excepta cauſa dominij, in his quæ naturalia ſunt, cuiuſmodi eſt partus, homo ſeruus, pro libero habetur: ex quo fit, vt is qui ſeruum occidit, non minus pœnæ legis Corneliæ ſubiugetur, quàm ſi liberum hominem occidiſſet. Nec turbat vero, quod homo in inſtrumento hominis eſſe cēſetur, quoniam hoc ad ciuilem rationē magis pertinet, ꝗ naturalem, & cum ſint duo in familia, herus & hæredium, ſeruus non tam eſt inſtrumentũ heri (nam inſtrumentum debet genere differre, ab eo cuius eſt inſtrumētum) quam ipſius hæredij fundiue. Quod additur in definitione, vſumfructũ eſſe ius vtendi fruendi, ſalua rerũ

substantia, sic exaudiendum est, vt sublata re, tollatur & vsusfructus. Item vt fructuarius, boni viri arbitrio fruatur, & ea rei fructuariæ onera agnoscat, quæ ad quotidianam eius conseruationem pertineant. Quoniam autem de vsufructu in genere dictum est, videamus quoque, de nonnullis circa vsumfructum in specie. Et habet quidem nõ indignũ tractatũ, primũ ius accrescendi vsusfructus, & quãdo dies vsusfructus legati cedat, deinde quibus modis vsusfructus amittatur, & quis sit vsusfructus earũ rerũ quę vsu consumũtur, postremo quomodo vsus fructus petatur, vel ad alium pertinere negetur, & quid obtineat in operis seruorum. Quantũ ad ius accrescendi attinet: legatum vsusfructus, relinquitur, vel deiunctim, vel coniunctim. Deiunctim, veluti si separatim, vnicuiq;, partis rei vsusfructus sit relictus, vt Titio vsumfructum fundi Tusculani, pro semisse do lego, Seio fundi Tusculani vsumfructum pro semisse do lego. Cõiunctim, triplici modo fit legatum, aut enim re per se coniunctio contingit, aut verbis, aut re & verbis, vt cum & nominũ & rei complexus, aliquos iungit. Re, vt Titio fundi Tusculani vsumfructum do lego: Seio eiusdem fundi Tusculani vsumfructum do lego, ambo enim vocantur ad totius rei vsumfructum. Verbis, vt Titio & Seio fundi Tusculani vsumfructũ æquis partib⁹ do lego, re enim separati, verbis coniunguntur. Re & verbis simul, vt Titio & Seio fundi Tusculani vsumfructũ do lego. Pręter hos nõnulli, neq; re, neq; verbis coniunguntur, sed persona, veluti, si cõmuni seruo, vsusfructus sit relictus, & vtriq; per eũ domino acquisitus. Iam autẽ de iure accrescendi inter istos, primum inter deiunctos nulla consistit accretio, cuius ratio cum eam suis quisq; sensibus prehendere possit, non est latius à nobis exponenda. Inter eos qui sola re coniuncti sunt, non tam ius accrescendi obtinet, quàm non decrescendi, nam cum secundum formam ipsius legati, tota res singulis legata censeatur: partes inter eos concursu fiunt, & non currente vno,

DE VSVFRVCTV ACCRESCENDO.

totum.

totum legatum, remanet apud alterum. Inter solis verbis coniuctos, propriè competit ius accrescendi, vt si alter repudiet legatum, non ad proprietatem redeat vsusfructus, sed ad verbis coniunctum, ne scilicet inanis sit ea quę saltē verbis, est à testatore facta, duorum copulatio. Inter re ac verbis coniunctos, tam iure non decrescendi quàm accrescendi, constat deficientis partis accretio. Inter duos eiusdem serui dominos, magis est, non decrescendi ius obtinere, quàm accrescendi, nam cū seruus communis duorum seruorum personam, vt inquit Iulianus. cap. 1. de stip. seru. sustineat: vtique consequens est, quicquid seruo legatur, id pro solido singulis dominis, qui ratione dominij, quod est indiuiduum, singuli in solidum domini censentur acquiri, sed concursu partes fieri, & non currente vno, totum legatum, apud alterum remanere, haud aliter atque si seruus communis aliquid stipuletur, nā si id alteri ex dominis, acquiri non potest, solidum alteri acquiritur. Enimuero in toto iure vsusfructus accrescendi, hoc specialiter acceptum est, vt licet semel fuerit constitutus, in vnius persona, tamen postea amissus, nihilominus ius accrescendi admittat, qđ quidem in proprietate nullo modo recipitur. Et ratio quidem differentiæ est, quoniā proprietate semel vindicata, expirauit ius omnis testamenti, haud aliter atque hæreditate semel adita, vis omnis vulgaris substitutionis euanuit: sed quantum ad vsumfructum attinet, is quoniam ex facto consistit, non semel quidem constitui, sed quotidie, de integro, tam legari, quàm constitui intelligitur. quod quidem etiam atq; etiam est notandum.

QVANDO DIES VSVS FRVCTVS LEGATI CEDAT.

De cessione diei vsusfructus legati, quanquàm vsusfructus (inquit Vlpianus) ex fruendo consistat, id est facto aliquo eius qui fruitur vt vtitur, quod quidem factum efficit, vt non semel, sed quotidie, per patientiam constitui videatur: tamen quia legatum vsusfructus, propter ius quod in eo versatur, vnum est, consentaneum est, vt semel eius dies cedat, non sæpius. Sed licet aliorum legatorum

gatorum dies à morte teſtatoris cedat, in vſufructu tamẽ legato, receptum eſt, vt non prius cedat, quàm hæreditas adeatur. Et ratio quidem eſt, quia vſuſfructus non ante cenſetur, in rerum natura eſſe, q̃ exiſtat aliquis, qui eam cõſtituat, & præterea cũ ad hæredẽ nõ trãsferatur, superuacaneum eſt, ſi ante quis diem eius cedere dixerit. Atq; hinc quidem eſt, quod Sceuola ait: Si ex die vſusfructus legetur (hoc enim fieri poteſt, propter contagium, quod à re contrahit, vt ſupra diximus) agentem ante diem vſuſ fructus, nihil facere, cum neque ceſſerit, neq; venerit dies, quanuis aliàs, qui ante diem agit, non nihil quidem, ſed male agit, vtpote cum in ſtipulatione, in diem, ſtatim exiſtat obligatio, licet nondum agi poſſit. Plane ſi cui in menſes, vel in dies, vel in annos ſingulos legetur vſuſfructus, per ſingulas pẽſiones vſuſfructus cedit, ſunt enim tot legata propter factum, quod ijs verſatur, ex natura donationis, quot ſunt penſiones, licet in ſtipulationibus, quæ iuris ſunt, contra habeatur. Amittitur autem vſuſ fructus, varijs de cauſis. Primo capitis deminutione vſufructuarij, qui quo ad priorem ſtatum, pro mortuo reputatur. Secundo, morte, nam ne ſemper abſcedente vſufructu, proprietas inutilis maneat, placuit perſonalem vſumfructum conſtituere. Et ideo, ſi vſufructuarius, meſſem fecerit, & deceſſerit, ſtipulam quidem, quæ in meſſe iacet, hæredis eius eſſe Labeo propter perceptionẽ ait: ſpicam autẽ, quæ terra teneatur, vel oleam, quæ non excuſſa ſit, ſed per ſe deciderit, domini fundi eſſe, vt quam conſtat perceptam non eſſe, q̃q̃ in bonęfidei poſſeſſore, in quo non tam actus perceptionis, quàm an deſierit pars fundi eſſe fructus ſpectatur, quantum ad deciduam oleam, ſecus probetur. Si vſusfructus ciuitati legetur, & aratrum in eam inducatur, ciuitas quaſi morte eſſe deſinit, vt paſſa eſt Carthago. Tertio perit vſuſfructus, interitu ipſius rei, vel mutatione, quę ſine prioris formæ abſceſſu, non contingit. Et ideo ſi domus corruat, ne areæ quidem vſusfructus debebitur. Nec etiam

QVIBVS MODIS VSVSFRVCTVS VEL VSVS AMITTITVR.

h ſi de-

si demolitis ædibus, testator alias nouas restituerit tametsi secus sit, si per partes reficiantur. Quarto consolidatione, veluti si vel vsufructuarius proprietatem acquirat, vel contrà, si à fructuario, vsusfructus cedatur in iure, (est enim hic proprius modus transferendarum rerum incorporaliũ, quę tradi non possunt,) aut ei qui proprietatem habeat, aut etiam alij: nam eo casu, quia nec is acquirit vsumfructum, cui ceditur, propterea quod à persona non possit auelli, nec is retinet, qui cedit, quia vt habere desinas, sufficit te dimittere, etiamsi non transferas: certe necessitate quadam cogente accidit, vt ad proprietatem recurrat. Quinto, non vtendo, per modum & tempus, nam si per decem aut viginti annos, toto vsufructu, non vtaris: constat eum amittere te. Item si cum vsumfructum habeas, vtaris tãtum, refert sciens id facias, an ignorans: si sciens, nihil nocet, reliquum enim singulis annis donare videris: si ignorans, fructum amittis, & ad eum tantum modum, quo vsus es, vti perges. Quanquam autem hisce modis amittatur vsusfructus, meminisse tamen oportet, id ita fieri, nisi fuerit repetitus, nam eo casu redintegratur, veluti, si quis dicat: vsumfructum, quoties capite minutus erit, do, lego. Et repeti quidem potest vsusfructus, amissus qualicunque ratione, dummodo non morte: nisi forte hæredibus fructuarij fuerit legatus. Quantum ad vsumfructum earum rerum attinet, quæ in consumptione, vel abusu sunt, vt vinum, oleum, pecunia numerata, is quoniam ab ipsa rei substantia separari nõ potest, natura nullus est, quãadmodum & Cicero eleganter tractat in Topicis. Cæterũ propter vtilitatem Senatus sic censuit, vt & illarũ vsusfructus, si modo rectè caueatur ijs, à quibus legatus erit, constitui possit. Quo quidem Senatuscõsulto, non id effectum est, vt pecuniæ vsusfructus proprius sit, (nec enim naturalis ratio, authoritate senatus commutari potuit) sed vt remedio introducto cęperit, quasi vsusfructus haberi. Ac in stipulatione quidẽ de reddendo vsu-

DE VSVFRVCTV EARVM RERVM, QVÆ VSV CONSVMVNTVR VEL MINVVNTVR.

frvctu

fructu pecuniæ, duo soli casus interponuntur, mortis, & capitis deminutionis, quando pecuniæ vsus aliter amitti non potest, quàm his casibus, nec est in hac specie, inter vsum & vsumfructum pecuniæ, vlla differentia. Actiones, quæ de vsufructu competunt, duæ sunt, vna confessoria, negatoria altera. Confessoria est, qua is, cui vsusfructus, vel totius, vel partis, constitutus est, non autem dominus proprietatis, nam nemini res sua seruit, in rem agit, ius sibi esse, vti, frui. Competit verò, non solum aduersus dominum, verum etiam aduersus quemuis possessorem. Nam si fundo fructuario seruitus debeatur, fructuarius non seruitutem, sed vsumfructum vendicabit, ac per hoc vicinus, si non patiatur eum, ire, agere, tenebitur ei, quasi non patiatur vti, frui. Effectus autem huius actionis est, vt & fructus veniant, & fructario, qui vicit, omnis causa restituatur. Et ideo si serui fuerit vsusfructus legatus, quicquid ex re fructuarij, vel ex operis suis consecutus est possessor, debebit restituere. Præterea, quia vsusfructus, adminiculis eget, sine quibus vti, frui, quis non potest, ideo si fundi vsusfructus legetur, necesse est, vt sequatur eum aditus. Negatoria actio est, quæ competit domino proprietatis, aduersus fructuarium, per quam negat, inuito se, ius esse, vtendi fruendi fructuario, vel sibi ius esse, prohibendi. Et sicut fructuario in rem confessoria agenti fructus præstandi sunt, ita & proprietatis domino, si negatoria actione vtatur, pari modo fructus præstari debent. Sed hoc in omnibus ita demum obtinet, si non sit possessor qui agat: nam quia hæ actiones etiam possessori competunt, quod si possident, nihil fructuum nomine, quos vel perceperunt ipsi, vel intelliguntur percepisse consequentur. De operis seruorum, quanuis ijs legatis, vsum datum intelligimus, vtpote, cum fructus hominis in operis cōsistant, & retro in fructu hominis, operæ sint: hoc tamē est in ijs speciale, vt capitis deminu.ione nō amittantur. Ratio autē differen-

SI VSVS FRVCTVS PETETVR VEL AD ALIVM PERTINERE NEGETVR

DE OPERIS SERVORVM.

tiæ est, quoniam operæ, cum in actu consistant, non sunt in rerum natura, nisi cum præstantur, & est regula, quemadmodum inquit Paulus de vsufruct. leg. cap. 26. quod non est, nec capitis deminutione, nec morte, addo etiam, nec non vtendo, perire posse. Cui & hoc applica, quod operæ, vt quę nunquam separari possunt ab edente, intelliguntur, aliqua societate, cum ipso dominio coniungi, tam respectu præstantis, quàm eius, cui præstantur, nam Vlpianus cap. 9. de oper. libert. tradit, proprietatem operarum, & in edentis, & in eius cui eduntur persona, constare. Quod quidem cum ita sit, consequens est, primum, quemadmodum ipsum dominium, natura sua perpetuum est, nec extinguitur cum persona primi domini: ita etiam & operas, quamdiu is, qui eas, edit, superest, perpetuas esse, nec cum persona eius cui præstantur, euanescere. Præterea, licet vsusfructus, & pignus, per superuenientem vsucapionem, extinguátur, vt quæ nulla cognatione, authore Papiniano de vsucap. cap. 44. dominium contingant, tamen operas vtique, tanquam partem aliquam dominij, per vsucapionem, qua quis totum dominium suum facit, extingui. Atque hæc quidem hactenus, de vsufructu: nunc sequitur, vt de

DE VSV ET HABITATIONE

vsu nonnihil dicamus. Et quidem, si ipsius verbi ductum sequare (nam quæ à Grammaticis vulgo traduntur, nihil habeant admodum probabile) fructus propriè, is est, quemadmodum diximus, qui ab vnaquaque re profluit & efflorescit: vsus verò per quem quis opera sua, rem aliquam, commoditatibus suis apponit. Atq; hinc quidem fit, vt frui quidem pro parte possimus, relatione facta videlicet ad res, quæ diuisionem recipiunt: vti, pro parte non possimus, propter factum hominis, quod in vsu versatur, & diuidi, per rerum naturam non potest. Sed cum nonnullæ res sint, in quibus proprie fructum habemus, vsum autem καταχρηστικῶς, quæ quidem res fructui dicuntur, cuiusmodi est fundus, cuius fructus cõsistit in ibi natis: vsus, si proprie loquamur, in deambulatione

tione ſolum ac morandi facultate: nonnullę, in quibus propriè vſum habemus:per abuſionem verò,fructum,cuiuſmodi eſt veſtis, cuius vſus eſt naturalis: fructus verò ex locatione, præter naturam: nonnullæ deniq;,in quibus vtrumque permiſtè verſatur, ac æqualiter, cuiuſmodi eſt pecunia, & omne id, quod in abuſu conſiſtit: cum hæc inquam ita ſint, iure comparatum eſt,vt regulariter quidem,(nā ex occaſione aliter accidere ſubinde poteſt,) ſub fructu,contineatur vſus, qui quaſi de adminiculis eſt ipſius fructus,ita vt ſine eo exerceri non poſſit, ſed non contra vſus nomine,comprehendatur fructus, quoniam nihil impedit,quo minus aliqua re vtamur, cuius tamen fructum nullum percipiamus. Niſi fortè de ijs rebus dicamus, quæ vſu tolluntur, vel minuuntur: nam & in alijs nonnullis cauſis receptum eſt, vt vſu legato,vſusfructus quoq; legatus videatur,videlicet, ſi nihil habiturus quis ſit,ex legato, niſi etiam vti frui liceat, vt contingit in vſu ſyluæ relicto vel dimiſſo. Atque huic quidem rei conſequenter quoque factum eſt, vt & nonnullarum rerum vſus,ne cæteroqui ad minimum res redigatur, vltra ſuos fines naturales,iure conſtituto porrigatur,quod quidem quomodo ſe habeat,intelligemus, ſi paucis diſtinxerimus, quid cuiuſque rei mobilis, vel ſe mouētis:& item eius,quæ ſoli ſit, vſu comprehendatur. Ac ſi armenti boum vſus relinquatur,tātummodo vſum habebit fructuarius,inquit Vlpianus,& ad arandum,& ad cætera,ad quę boues apti ſunt,in quibus quidem proprie conſiſtit vſus: ſed ſi pecoris ouilis vſus legetur, iam quia proprius vſus eſt quodammodo inanis, aliquid quaſi mutuo ſumitur à fructu,vt & modico lacte vti poſſit fructuarius. In hominis vſu relicto, ſolæ operæ præſtantur, quæ diuerſorum reſpectu,tum ſolius vſus ſunt, maxime in officialibus ac miniſterialibus,tum etiam fructus,vt in artificialibus.Fundi vſus,natura ſui,perexiguus eſt,& ideo nonnihil additur illi,de fructu,veluti cum hoc fructuario permittitur,vt pomis, oleribus, floribus, lignis,ac fœno ad

vitam tolerandam, vtatur. Domus vſu dato perinde is quodãmodo habetur, ac ſi habitatio eſſet relicta, & ideo inhabitare quidem licet, cum familia, quod vere vti eſt, non alteri locare. Eſt enim inter habitationem & vſum, iſta differentia, vt vſus, & non vtendo, & per capitis minutionem, pereat, tanquàm ea quæ penitus ſit, à proprietate ſeparata: contra habitatio, nec non vtendo, nec capitis deminutiõe intereat, tanquã ea, quæ affinitate aliqua, cum dominio teneatur. Ex quo quidem, & illud ſequitur, vt nec morte extinguatur habitatio, licet tamen, quia perſonalis eſt, & in facto conſiſtit, ad hæredem non tranſeat, quod quidem & in operis, de quibus ſuprà expoſitum eſt, non male dici poteſt. Illud hic tractari ſolet, quomodo vſufructuarius cauere debeat. Si ergo cuius rei vſusfructus legatus ſit, æquiſſimũ prætori viſum eſt, de vtroque legatarium cauere: & vſurum ſe boni viri arbitratu: & cum vſusfructus ad eum pertinere deſinet, reſtiturum quod inde extabit. Verum de ſeruitutibus perſonalibus, hæc dixiſſe, ſufficiat.

VSVSFRVCTVARIVS QVEMADMODVM CAVEAT.

DE PETITIONE SINGVLARVM RERVM, INCORPORALIVM, ET PRÆDIALIVM.



ERVM ſiue prædiorum ſeruitutes, pro vitæ ruſticæ ac vrbanæ differentia, diuiduntur, vel enim ſunt vrbanorum prædiorum, vel ruſticorum, de quibus quidem ordine ac ſeparatim, quæ cuiuſque natura ſit, & quomodo petantur, ac amittantur exponemus, ſi prius, quæ omnium prædialium ſeruitutum, in genere, ratio ſit, paucis tractauerimus. Ac in primis, quod rerum ſiue prædiorum dicuntur, hinc eſt, quoniam ſine prædio, quod ſeruiat, ac patiatur, & item alio vicino, cui vtiliter ſeruiatur, eſſe non poſſunt. Dico ſine prædio quod patiatur, quoniam ſerui-

DE SERVITVTIBVS.

ſeruitutum prædiorum, quæ nihil agunt per ſe, non ea natura eſt, vt aliquid faciat quis, veluti, vt viridaria tollat, vt amœniorem proſpectum præſtet, aut in hoc, vt in ſuo pingat, ſed vt aliquid patiatur, quod etiã pro traditione eſt, aut non faciat aliquid. Dico ſine prædio cui ſeruiat, quoniam quoties, nec hominum, nec prædiorum ſeruitutes ſunt, quia nihil vicinorum intereſt, non valent, veluti, ne per fundum tuum eas, aut ne ibi conſiſtas. Dico vtiliter, quia vt pomum decerpere liceat, & vt ſpaciari, & vt cœnare in alieno poſſimus, ſeruit⁹ imponi nõ poteſt, ne circa res voluptuarias, ius occupetur. quãquam, ſi res per ſe vtilis eſſe poſſit, vt aquam ducere, recte cõſtituatur, ab eo, cui tũ tẽporis non expediat, vt cũ multa quotidie habeamus, quę nobis vtilia non ſunt. Dico ita demum conſtitui ſeruitutem, ſi prædium aliquod ſit vicinum, quia ſi ſolum publicum intercedat, hoc immittendi, protegendi, proijciendi, item fluminum, & ſtillicidiorum ſeruitutem impedit, quia cœlum quod ſupra id ſolum publicum intercedit, liberũ eſſe debet, item aquæductus quoq;, quia vt per viam publicam aquã ducere ſine incõmodo publico liceat, à Principe peti ſolet. Non verò itineris, hauſtus, aut altius tollendi, niſi fortè, vel ſacer, aut religioſus locus intercedat, vel medius mõs, qui mutuum cõſpectum auferat, nam per ſacrum locum, ne itineris quidẽ ſeruitus deberi poteſt: interiectus inter duo prædia mons, facit, vt alterum alteri, nec proſpectus, nec altius tollendi ſeruitutem præſtare queat. Iam autem natura ſeruitutum prædialium, hæc eſt, vt etiam ſi corporibus accedant, incorporales tamẽ ſint, ex quo quidem tria ſequuntur. Primo, vt tanquam natura ſui perpetua ipſo iure, nec ex tempore, neq; ad tempus, quemadmodum nec obligationes, conſtituantur. Item neque ſub conditione, neque ad certam conditionẽ, verbi gratia, quamdiu volam: quoniam ipſa conſtitutio, pręter ius incorporale, quod habet, partim præſens factum, quod non contingit in obligatione, quę de in futurum dando,

faciendóue, semper concipitur, in se continet: partim caracterem imprimit: quæ quidem duo, faciunt, vt nulla possit conditione suspendi, non magis, quàm si manumittēdo, dicas: te si nauis ex Asia venerit manumittere, quod est absurdum, & sibi contrariū, cum conditio non suspendat ipsum actum, nec existens efficiat, quo minus actus prius perfectus censeatur. Planè tamen si hæc adijciātur, constitutioni seruitutis, per pacti vel doli exceptionem occurretur, seruitutem, contra placitū vindicanti. Nam & modum seruitutibus adijci posse constat, veluti quo genere vehiculi agetur, vel non agetur: item vt alternis annis, vel diebus, aqua ducatur, cum similibus. Secundū quod ex supradicta natura seruitutis sequitur, est, vt quia seruitus incorporalis est, pro parte, neque constitui, neq; adimi possit. Item, vt nec pro parte dominij, si forte sim alicuius fundi, pro parte indiuisa dominus, (nam secus est in diuisa) mihi acquiratur. Denique, vt nec ipse fundus, qui seruit, pro vna magis parte, quàm pro altera seruituti sit obnoxius. Nam si cui simpliciter vsu, via, per fundum cuiuspiam concedatur, vel relinquatur, in infinito, videlicet, per quemlibet eius partem ire, agere licebit, sed ciuili tamen modo. Tertium est, vt quia incorporales sunt seruitutes, vsui quoque non capiantur, quasi quæ non cadant, in certam continuamq; possessionem, idque siue continuam causam habeant, siue non, licet nonnulli contrà existiment. Sed tamen vt longa quasi possessione, exemplo rerum immobilium, quasi pręscribantur, propter vtilitatem receptum est, & ideo, si quis diuturno vsu, ius aquæ ducendę nactus sit, non est ei necesse, docere de iure, quo aqua constituta est, veluti ex legato, vel alio modo (nam ipsa longi temporis possessio, inducit quandam tituli pręsumptionem) sed vtilem habet actionem, vt ostendat, per annos forte tot, se non vi, non clam, non precario possedisse. Atq; hæc quidē de natura seruitutum pręedialium generaliter dixisse sufficiat. Nunc autem videamus de singulis. Nam

serui-

seruitutum prędialium, alię sunt rusticę, alię vrbanę, idq; pro duobus vitę hominum generibus: quorum alterum rusticum est, quod cum ipsa hominnm vita, Deus, vt author est Varro, prodidit: alterū vrbanū, quod vel mercatus vel iudiciorū, vel belli causa (qđ quidē ipsius oppidi nomē præ se fert) ars humana constituit. Ac distinguimus quidem inter vrbana ac rustica, hoc modo, vt quæ ad res vrbicas pertinent, vrbana dicantur: quæ ad rura colenda, rustica. & id non tam habita ratione loci, quo ædificatur, q̃ ipsius materiæ, hoc est, causæ, cuius gratia ędificatur: sic enim accipit materiam Papinianus Iureconsultus, de leg. 2. ca. 79. dum dicit, materiam communionis, lites excitare. Ad res autem vrbicas pertinent, quæ mercatus, cauponationisue causa, etiam in vicis habentur, vt meritoria ac stabula, pro diuersorijs accepta, non pro septis iumentorum, quo significatu, rustica sunt, secundum Neratium. Item quæ in villis, vel munitioni, vel voluptati tantum deseruiunt (est enim eius studium, non ruri, sed in astu natū) vt prętoria: nam Columella tres partes villę statuit: fructuariam, in qua fructus reponuntur: rusticam, in qua colonus degit: ac vrbanam, quę ad amœnitatem tantum comparatur, cuiusmodi est prætorium, cum quo accessionis vice, computatur etiam hortus, qui in ædificio est. Ad res rusticas pertinent omnia ea, quæ etiam in vrbibus, vel naturaliter fructum proferunt, vt si plurium horti in reditu sint, vinearij fortè, aut olitorij, vel quæ fructuum condendorum causa habentur, siue ædificia sint, vt horrea, ac stabula, siue non sint. Nam licet, tum secundum ea quæ communiter accidūt, tum verò secundum vltimos ipsius rei fines, subtiliter consideratos, rusticorum prædiorum seruitutes, illæ propriè sint, secundum Paulum, quæ in solo hærent: vrbanorum, quę in superficie consistunt: tamen si totam rem plenius consideremus, quę ex omnibus quę in re continguntur, impletur, vtique fatendum erit, etiam ea, rusticorum prædiorum esse, quæ percipiendorum

fructuum

fructuum gratia, ipsi solo accedunt, quamuis ædificia sint ac superficies: & per contrarium, etiam illa vrbanorum prædiorum esse, quæ ipsis superficiebus accedunt, quanuis sint horti, vt dictum est. Et proinde, cùm vnaquæque seruitus nomen suum accipiat, à prædio dominante, si qua erit seruitus, quæ debeatur prædio, verbi gratia, rustico, siquidẽ ea talis est, quæ natura sui sit rustica, vt iter, actus, via, dicemus eam simpliciter esse rusticam: si verò talis, quæ secundum communiter accidẽtia, iurisq; subtilitatem, non rustica sit, sed vrbana, vt ius altius tollendi, ac officiendi luminibus, dicemus eam, per se quidem consideratam esse vrbanam, sed hoc casu tamen rusticã, siue (vt significantius loquar) rustici prædij esse, propterea, quòd ei debeatur ac seruiat. Atque hoc est, quod dicit Neratius, Rusticorum prædiorum seruitutes sunt, licere altius tollere, & officere prætorio vicini: vel cloacam habere licere per vicini domum, vel prætorium, vel proiectum habere licere. Quæ ergo secundum communem vsum, habentur seruitutes vrbanorum prædiorum hæ sunt, ius altius tollendi, vel contrà: ius officiendi luminibus, vel contrà: ius auertendi stillicidium, vel non auertendi: ius immittendi tigna in parietem alienum, vel onus imponendi: ius protegendi proijciendiue, cæteraque istis similia. quæ quidem hoc habent præ personalibus seruitutibus eximium, vt cùm ipsi fundo debeantur, sublato ædificio, nihilominus debeantur, si reponatur ædificium. Ius altius tollendi, quanquam vnicuique naturaliter competat in suo solo: habet tamen vsum in hoc casu: vt si agam, ius vicino non esse altius tollere, nec res ab eo defendatur, partes iudicis nõ alias futuras, Cassius apud Aphricanum de op.no.nunc. cap.15. ait, quàm vt eum cum quo agit, cauere iubeat, non prius se ædificaturum, q̃ vltro egerit, ius sibi esse, inuito aduersario, altius tollere. Ius altius non tollendi est, veluti si contra naturalem libertatem, vicino meo impositum sit, non extollere suas ædes altius, quanquam

DE SERVITVTIBVS PRÆDIORVM VRBANORVM

qui

qni patiuntur huiusmodi seruitutem, viridaria super eã altitudinem habere possunt. Circa ius luminum, triplex est inspectio, nam alia seruitus est, ne prospectui officiatur: alia ne luminibus obstruatur: tertia luminum. Qui seruitutem habet, ne prospectui offendatur, hoc habet, ne quid ei officiatur ad gratiorem prospectum, & liberum, etiam ex inferioribus locis. Cùm autem seruitus imponitur, ne luminibus officiatur, hoc maximè adepti videmur, ne ius sit vicino, inuitis nobis, hoc est, non consentientibus, minuere lumina nostrorum ædificiorum, quo minus cœlum videatur: nam ad inferiorem locum, non pertinet hæc seruitus. Luminum seruitute constituta, id acquisitum videtur, vt vicinus lumina nostra excipiat, veluti cùm fenestra in suum parietem immissa, lumen nobis prębet. Inter ius stillicidij auertendi, & fluminis, hoc interest, quod stillicidium de eo dicatur, quod guttatim casitat: flumen de eo, quod perpetuo rigore per tubos aut canales fluit. De tigno iniuncto, seruitus est, vt cũ licet mihi meum tignum, in alienum parietem immittere, cui respondet alia seruitus, quæ est oneris ferendi, veluti si tu columnam habere debeas, quæ onus mearum ædium ferat. Ius proijciendi est, posse supra aream alienam mœniana vel pergulas habere. Protegendi, licere tectum suæ domus, supra aream alterius vsque porrigere. Seruitutes rusticorum pędiorum, pręcipuę hæ sunt. Iter, actus, via, aquæductus. Iter ab itu nomen inuenit, authore Varrone, & est ius eundi, ambulandi homini, idque siue sella, siue lectica, siue equo vehatur, non etiam iumentum agẽdi, diciturque semita, quasi semi iter. Actus est ius agendi, trahendi, vel iumentum, vel vehiculum, itaque qui iter habet, actum nõ habet, qui actum habet, & iter habet etiam sine iumento: quia cui quod plus est licet, non debet quod minus est, non licere. Via dicta est à vehendo, quasi veha, differens ab actu, & itinere, duobus modis. Primũ quia çum iter sit ius ambulandi præcise hominis.

DE SERVITVTIBVS PRÆDIORVM RVSTICORVM.

Actus

Actus,ius agendi præcise vel iumentum vel vehiculum. Via simpliciter &generaliter est ius eundi, & agendi , & ambulandi, nulla facta commemoratione , nec hominis, nec iumenti,nec vehiculi,qua quidem causa fit,vt & iter & actum in se contineat, & insuper multo latius pateat , quippe cumviam habenti , aut lapidem trahere liceat,aut etiam hastam rectam ferre,contra actum haben ti,neutrum eorum sit concessum. Secunda est,quia cum itineris & actus latitudo,ex ijs,quæ vel conuentionibus, vel arbitrio demostrata sunt , pendeat, in via aliud *iuris* est. Nam si dicta latitudo non est,legitima debetur,quæ est, vt in porrectum octo pedes habeat, in anfractũ, id est vbi flexum est, sedecim. Ac solet quidem consummari via,vel vsque ad ciuitatem, vel vsque ad viam publicam vel vsque ad proprium,vel aliud eiusdem domini prædium,vel vsq; ad flumẽ in quo põtonibus *traijcitur* , non aliud,quod aut vado transiri potest, aut pontem habet. Aquęductus,est ius aquæ ducendę per fundum alienum, quod quidem fieri solebat,certis modulis,vel per digitos, qui continent sextamdecimam partem pedis,vel per vncias, quæ duodecimam . Quæ autem ducitur aqua, vel publica est,vel priuata.Publicam definit Cassius,quæ perennis,& viua sit:Priuatam,quæ vel ex imbribus concipitur, vel ex lacu abundat,quam caducã vocari Frontinus ait . Publicæ,ducendę, vel hauriendę,seruitus constitui non poterat olim , nisi ex capite,vel ex fonte, authore Paulo, cap. 9. propterea,quòd egressa fontes , qui priuati erant, confestim ad vsum publicum pertinet, nec cui priuato ex ea ducere liceat , nisi cui ius ducendi ex castellis datum sit : sed illud ius hodie mutatum est. Nã cũ ex rescripto diui Antonini & Seueri , permissum sit vnicuiq;,vt est apud Iustum Papyrium,cap.7. aquam de flumine publico,pro modo possessionum , ad irrigandos agros deriuare : consequenter receptum est, vt qui longius absunt à ripa,seruitutem ducendę aquę, ex flumine publico , per fundum eius, qui propter ipsum flu-

men habitat rectè sibi constituant. Quod ad priuatam aquam attinet, nihil differt à cæteris locis priuatis, flumen priuatum. Prçter istas quatuor rusticorum prædiorum seruitutes, computantur & hæ, aquæ haustus, pecoris ad aquam appulsus, ius pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendę, lapidis eximendi, figulinas habendi, aquę quærendæ ac ducendæ, nauigandi denique ad fundum meum, si lacus perpetuus in fundo tuo est. Quoniá dictum est de rusticis & vrbanis seruitutibus separatim, perueniamus nunc ad ea, quæ sunt inter illas communia. Primũ ergo hoc illis est cõmune, vt vtraque seruitus dicatur prędiorum, quibus à pręstando nomen est, quẽadmodum fundo à fundendis fructibus. Deinde, vt neutra, publicis aut religiosis locis, recte imponatur. Adhęc, vt alijs quàm nobis ipsis, eas quęrere non possimus. Item, vt in venditione antequàm traditio perfecta sit, rectè à venditore imponantur, videlicet si hoc agatur, vt alteri alicui prędio venditoris, quod nondum alij emptori tradi cæptum sit, (nam alioqui secus esset) acquiratur. Et quidem in venditione, si quis dixerit, ædes seruas fore, potest eas, vel sibi seruas facere, vel vicino, ante traditionem cedere seruitutẽ: si verò dixerit generaliter seruas esse, nihil proficit ipsi venditori talis receptio, nam quoties venditor aliquid nomine seruitutis sibi recipere vult, nominatim recipi oportet. Præterea & hoc vtrique seruituti commune est, vt si per aditionem hæreditatis confusæ sint, vendita hæreditate, in pristinum statum restituãtur, vtpote quia id agitur, vt quasi tu hæres videaris extitisse. Porro, vt in vtraque non solum ipsa seruitus veniat, verum etiam id sine quo seruitus constare non potest. Insuper vt alienatione ipsorum prediorum facta, seruitutes quoque sequantur. Itidem vt vtrunq; genus, non minus per vltima testantium iudicia, quàm inter viuos, recte constitui possit. Postremo vt si plures sint eiusdem rei domini, vnus eorum seruitutẽ, nec acquirere, nec imponere possit, cum effectu, nisi post deinde, alij sequantur

COMMVNIA PRÆDIORVM TAM VRBANORVM QVAM RVSTICORVM

tur, quo casu, cum postremus cedit, non retro acquiri seruitus videtur (nihil enim actum est, reuera, circa rem, licet persona sit obstricta) sed perinde habetur, atque si cùm postremus cedat, omnes cedant, quasi scilicet tunc demum incipiat esse verum, dominos fundi, acquisiisse, vel imposuisse seruitutem. Iam autem actiones, quæ harum seruitutum nomine ad exemplum earum, quæ in vsufructu obtinere solēt, competunt, sunt confessoria & negatoria. Confessoria contribuitur ei, qui seruitutem sibi competere contendit: Negatoria ei, qui negat fundum suum illi cum quo agit seruū esse. Et accōmodatur quidem directa, domino fundi, cui imposita est vel vendita seruitus: vtilis verò ei, qui diuturno vsu & longa quasi possessione ius aliquod nactus est· Exercetur autem negatoria aduersus eos, qui cùm habeant seruitutem, ire, agere, immissum habere volunt. Confessoria contra illos infertur, qui cùm debeāt seruitutē, vel quęstionem eius faciunt, vel ea sine quibus seruitus esse non potest, fieri non patiuntur, siue ij domini sint fundi seruientis, siue non sint. vel etiam qui modum seruitutis sibi debitę transgrediuntur, vel qui cum certam seruitutem debeant, sub prætextu eorum, quæ habere possunt, etiam ad illa progrediuntur, quæ non possunt. Nam cum in domo Caij Seij locus quidam ędibus Annij ita seruiret, vt in eo positum habere ius Seio non esset, ne forte prospectui, qui etiam in inferioribus est, officeretur, & Seius in eo syluam seuisset (quod quidem donec nondum ad eam altitudinem excreuerit, vt prospectui noceat, est permissum) in qua labra, id est, lapidea vasa, in quibus scaturiens aqua reciperetur, & quæ prospectui officerent posita haberet: Annio consilium omnes Iurisperiti dederunt, vt cum eo ageret, ius ei non esse, vt in eo loco, positum haberet inuito se. Euentus autem harum actionum est, vt victori officio iudicis tum res præstetur, tum cautio: nam si egi tibi ius non esse, tigna in parietem meum immissa habere, iudicis offi-

SI SERVITVS VINDICETVR, VEL AD ALIVM PERTINERE NEGETVR.

officio continetur, vt immissa tollantur, & de futuro quoque opere caueatur. Prȩterea si quis contendat, sibi deberi seruitutem, causa cognita, debebit Prætor, bona aduersarij possideri iubere, & non ante discedi, quàm actori fuerit seruitus constituta, nisi forte actor sit iam in possessione: nam eo casu, non debet per sententiam seruitus constitui, sed quæ est, declarari. Nec venit in has actiones solum ipsa res, verum etiam fructus, hoc est quanti mea interest, non prohiberi seruitutem, aut non vti seruitute aduersarium. Quod quidem ita demum obtinet, si res in seruitutis nomen cadat: nam si prohiberer in meo ignem facere, aut sedere, aut lauare, aut simile quippiam, non est vtile hoc genus actionum.

Amittuntur autem hæ seruitutes varijs modis. Primo confusione, veluti si idem vtriusque prædij tam dominantis, quàm seruientis, dominus esse cœperit: nam nulli res sua seruitutem debere potest, nisi forte per accessionem id contingat, puta, si cum seruitus mihi per plures fundos deberetur, medium fundum acquisiui, hoc enim casu, quia indiuidua ȩst seruitus, verius est, manere seruitutem. Secundo amittitur seruitus tacito consensu, nam si stillicidij immittendi ius habeam in aream tuam, & permisero ius tibi in ea area ædificandi, stillicidij immittendi ius amitto. Et similiter si per fundum tuum via mihi debeatur, & permisero tibi, per eum locum, per quem mihi via debetur aliquid facere, amitto ius viæ. Tertio, si hæres cum legatus esset fundus sub conditione imposuit ei seruitutes, extinguentur, si legati conditio existat. Quarto perit seruitus non vtendo, vt si quis (secundũ quod hodie definitum est) decem vel viginti annis non fuerit vsus, iure sibi debito propter negligentiam eo cadat: sed hoc recipit distinctionem. Nam in seruitutibus rusticorum prædiorum, generaliter probatum est, vt certo tempore non vtendo pereant, simplici quidem, decem vel viginti annorum, si continua sit seruitus, vt si perpetuo aquam quis ducat: duplici

QVEMADMODVM SERVITVTES AMITTVNTVR.

verò

verò, si deiuncta sit, vt si quis alternis annis vel mensibus aquam habeat: in vrbanis seruitutibus simul hæc duo requiruntur, vt & is cui debeatur seruitus, non vtatur, veluti tignum immissum nō habeat, & is qui debet, aliquid noui contra seruitutem fecerit, veluti si foramen vnde exemptum est tignum, obturauerit. Sed cur hæc tam varie? An quia rusticis seruitutibus non vtens, negligens censetur, is qui vrbanis non vtitur, non item? Et sanè cum altius sublatum, tignum immissum, mœnianum proiectum non habere, multis de causis regulariter contingat merito receptum est, vt nulla illi negligentia ob hoc solum, nisi si forte contra noui aliquid fecerit aduersarius, imputetur. Verum cum non ire, agere, aquámue ducere regulariter non alia fere causa, quàm vel mera negligentia, vel alia commoditate reperta contingat, cui dubium est, quin statuto tēpore non vtens, vel in vitio sit negligentiæ, vel tacite seruitutem debitam remittat. Ac dicitur quidem proprie is non vti, qui iam constituta seruitute, vel omnino suo iure non vtitur, nec per se, nec per alium, vel non suo iure vti se credit. Dico autem iam constituta seruitute, quoniam si promissa quidem vel legata sit seruitus, vt ait Pomponius. cap. 19. sed nondum constituta, non interit non vsu, ea quę non est. Addo suo vitio, quia si cū ius habens immittendi vicinus statuto tempore ædificatum non habuerit, ideoque nec tu immittere potueris, non ideo magis seruitutem amittes. Aio aūt nec per se nec per alium, quia per colonum vsumfructuarium & malæfidei etiam possessorem retinetur seruitus. Imo fortius, & si aqua per eum, sua sponte fluxit, ius aquę ducēdę manet. Porrò inq̄, si nō suo iure vti se credit, nā si quis pro via publica, vel pro seruitute alterius vsus sit, nec interdictū, nec actio vtilis competit. Non exstinguūtur autē hæ seruitutes, nec morte, nec capitis deminutione personarum, quia sunt prædiorum. Item, iter sepulchro debitum, non vtendo nunquam amittitur, propter perpetuum ius sepulchri, cui adhęret. Pręterea actu

vti

vti censetur, qui tantum it, nam ostendit se non negligere. Denique si ego & pupillus negligamus seruitutem, quia seruitus est indiuidua, propter pupillum, ego quoque retineo.

DE IVDICIIS PERSONALIBVS.



Xpositis ijs iudicijs, quę in rem sunt, ordinarium est, vt de his quę in personam inferuntur, explicandum sit. Hæc autem tūc competere diximus, cum inter eum qui agit, & eum qui conuenitur, nullum nec negotium contractum est, nec maleficium commissum. Nam vel de illo ago aduersum te, quod tua mihi quadrupes nocuit vel quod tuus seruus, tuáue familia, sine tua voluntate, de domo tua mihi damnum dederit, vel quod tu rebus meis damni sine scelere (nam alioqui criminale iudicium esset) intuleris. Atque hæc quidem ideo proprio nomine dicuntur iudicia ciuilia, quoniam cum legibus ac plebiscitis comprehensa sint, nec vllum in se contractum ac maleficium habeant: merito nec ad ea referri possunt, in quibus negotium aliquod contrahi ac geri dicitur, nec ad ea quoque, quæ prætoria nominantur, nec denique ad criminalia, siue publica iudicia. Sed tractemus ordine de singulis, & primo quidem de quadrupede. Nam si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, actio ex lege 12. Tabularum descēdit, quæ lex voluit, aut dari viuum id quod nocuit, hoc est, id animal quod noxiam commisit, hoc enim est noxæ dedere, aut æstimationem noxiæ offerri. Et quidem, cum nec eum cui nocitum est, æquum sit in damno morari, nec dominum quadrupedis, sine culpa sua, damno pecuniario affici: recte sic tēperata res est, (etiam Platone in vndecimo de legibus authore. post Mosen & Solonem.) vt optio domino detur, vel tradendæ quadrupedis quæ nocuit, vel resarciendi damni quod

SI QVADRVPES PAVPERIE FECISSE DICATVR.

datum est. Ideo autē dicitur in lege, SI PAVPERIEM QVADRVPES FECISSE DICATVR, quoniā pauperies est dānum sine iniuria faciētis datum, nec dici potest animal iniuriā fecisse, quod sensu caret. Habet autem propriè locū toties hęc actio, quoties cōtra naturā feritate cōmotū animal, pauperiē dederit. nā alioqui, si id culpa aliqua domini ducētis accidat, sufficit actio legis Aquilię, aut in factū. Itē in bestijs propter naturalem feritatē hæc actio locum nō habet, & ideo si vrsus fugit & sic nocuit, non potest quondam dominus conueniri, quia desijt dominus esse, vbi fera euasit. De cane, solet nominatim exstare lex Pesulania, cuius Iulius Paulus in receptis sententijs meminit. Iam autem de damno rebus meis iniuria dato, superest lex Aquilia, quæ omnibus legibus, quę ante se de dāno iniuria locutæ sunt, derogauit, siue lex 12. Tab. siue alia quæcūq; fuerit, quæ lex Aquilia plebiscitum est, cū eam Aquilius tribunus plebis à plebe rogauerit. Capite autē huius legis primo cauetur, qui seruū seruámue, alienum alienáue, quadrupedem vel pecudem, iniuria occiderit, quāti id in eo anno plurimi fuerit, tantū æs dare domino damnas esto: & infra deinde cauetur, vt aduersus inficiantem in duplum actio sit. Quadrupedes quæ pecudum numero sunt, & gregatim habētur, hæ sunt: Oues, capræ, boues, equi, muli, asini, sues. canes & bestiæ, in eo numero non sunt, veluti vrsi, leones, pantheræ: elefanti autem & cameli, quasi mixti sunt, nam & iumentorum operam præstant, & natura eorum fera, & ideo primo capite contineri eos oportet. Iniuria occisum esse merito adijcitur, non enim sufficit occisum, sed oportet iniuria id esse factum. Itaque si seruum tuum latronem insidiantem mihi, vel furem nocte deprehensum occidero, securus ero: nam aduersus periculum, naturalis ratio, permittit defendere. Tantūdem est, si quis in colluctatione vel in pancratio, vel pugiles, dum inter se exercentur, alius aliū in publico certamine occiderit, cessat enim Aquilia: quia gloriæ causa, & virtutis (vt tractat pulchrè Plato) nō iniuriæ

AD LEGEM AQVILIĀ.

iurię gratia, videtur damnũ datum. Occisum autẽ accipere debemus, siue gladio, siue etiã fuste, vel alio telo, vel manibus, si forte strangulauit eum, vel calce petijt, vel capite, vel qualiter qualiter. Iniuriam autem hic accipere nos oportet, nõ quemadmodum circa iniuriarũ actionẽ, contumeliam quandam, sed quod non iure factũ est: hoc est contra ius: id est, si culpa quis occiderit, & ideo interdum vtraq; actio concurrit, & legis Aquiliæ, & iniuriarum: sed duę erunt æstimationes, alia damni, alia contumelię. Igitur iniuriam hic accipiemus, damnũ culpa datum, etiam ab eo qui nocere voluit. Quod dicitur, hoc iudicium ad id dari, quanti is homo, eo anno plurimi fuisset: pœnam illatæ iniurię continet, cuius quidem pœnæ vis hæc est, vt vicem quodãmodo rei iudicatæ obtineat, ex quo fit, vt nec pacto decidi possit, nam post rem iudicatam, non est locus transactioni: & aduersus inficiantem fit dupli, propter odium mendacij in re iam definita. Huius legis secundum quidem capitulũ in desuetudinem abijt. Tertio autem capite ait eadem lex Aquilia. " Cęterarum rerum, præter hominẽ & pecudem occisos, siquis " alteri dãnum faxit, quod vserit, fregerit, ruperit iniuria: " quãti ea res erit in diebus xxx. proximis, tantũ æs do- " mino donare damnas esto. " Ideo autẽ postq̃ dictum est, de occiso, vel homine, vel pecude, separatim tractatur, de alijs aliarum rerũ damnis: quoniã minus est rũpere, siue corrũpere, q̃ occidere, minus rei alicui, vel inanimatæ, vel animatæ quidẽ, sed cuius null9 vsus sit ad vitam, quam homini, vel pecudi nocere, ac ideo pœna nõ in annũ, sed in mẽsem tantũ retrospicit. In dãnis, quæ lege Aquilia nõ tenẽtur, in factũ datur actio. De his qui de domo tua deiecerint, vel effuderint, prętoris verba sic dicũt: " Vñ in eum locũ, quo volgo iter fiet, vel in quo cõsistetur, deiectũ, vel " effusum quid erit: quantũ ex ea re, damnũ datum, factũue " erit, in eum, qui ibi habitauerit, in duplũ iudicium dabo, " si eo ictu homo liber perisse dicetur: quinquaginta au" reorum iudicium dabo: si viuet, nocitumque ei esse dice" tur:

DE HIS QVI EFFVDERINT VEL DEIECERINT.

" tur: quantum ob eam rem æquum iudici videbitur, eum
" cum quo agetur, condemnari, tanti iudicium dabo,
" si seruus insciente domino fecisse dicetur, in iudicio
" adijciam, aut noxam dedere. Exemplum huius edicti, quod quidem summa cum vtilitate factum est, videlicet, vt sine metu & periculo, per itinera commeari possit, exstat apud Gellium lib. 4. cap. 14. cuius verba subieci. Cum librum IX. Attei Capitonis coniectaneorum, legeremus, qui inscriptus est, de iudicijs publicis, decretum tribunorum visum est grauitatis antiquæ plenum, propterea id meminimus: Idque ob eam causam, & in hanc sententiam scriptum est: A. Hostilius Mancinus ædilis curulis fuit. Is Manuliæ meretrici diem ad populum dixit, quod de ambulacro eius, noctu lapide ictus esset: vulnusq; ex eo lapide ostentabat. Manulia ad trib. pleb: prouocauit. Apud eos dixit, comesatorem Mancinum ad ædes suas venisse. Eum sibi recipere non voluisse, in æde sua. Sed cum vi irrumperet, lapidibus depulsum. Tribuni decreuerunt, ædilem ex eo loco iure deiectum, quo eum venire cum coronario non decuisset, propterea, ne cum populo ædilis ageret, intercesse-
" runt. Hactenus Gellius. Item Prætor ait: Ne quis in
" suggruenda protectóue, vel supra eum locum, quo volgo
" iter fiet, ínue quo consistetur, id positum habeat, cu-
" ius casus nocere cui possit. Qui aduersus ea fecerit, in
" eum solidorum decem in factum iudicium dabo, si ser-
" uus insciente dño fecisse dicetur, aut noxæ dedi iubebo.

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS.

Quantum ad eas actiones pertinet, quæ non ex contractu, sed ex noxa atque maleficio seruorum, contra nos competunt, quæque noxales appellantur: harum vis atque potestas hæc est, vt si damnati fuerimus, liceat nobis deditiõe ipsius corporis quod deliquerit, euitare litis estimationem. Meminit autẽ harum actionum, etiã Plato post Mosem in 11. de legibus: & habent rationẽ, quia non debet ex maleficio serui, in plus teneri dominus, quam vt noxæ eum dedat, sed si seruus sciente domino occidat, in solidum

ſolidum dominum obligat, ipſe enim dominus videtur occidiſſe. Item non aliàs datur hæc actio, niſi apud me ſit ſeruus: nam noxa caput ſequitur. Et ideo ſi is (inquit " prætor) in cuius poteſtate eſſe dicetur, negauerit ſe in ſua " poteſtate ſeruum habere, vtrum actor volet, vel deierare " iubebo, in poteſtate ſua non eſſe, neque ſe dolo malo fe- " ciſſe quo minus eſſet: vel iudicium dabo ſine noxæ dedi- " tione, per quod vincet, ſi probauerit, eũ in poteſtate eſſe, " vel dolo ejus factum, quo minus eſſet: qui autem nõ probauerit in poteſtate aduerſarij eſſe ſeruum, rem amittit. Is qui in aliena poteſtate eſt, ſi noxam cõmiſiſſe dicatur, ſi non defendatur, ducitur: & ſi pręſens eſt dominus, tradere eum, & de dolo malo promittere debet. Nomen autem huius actionis noxalis, collatum eſt, à noxia: Nam noxia, inquit Feſtus, apud antiquos damnum ſignificabat, ſed à poëtis ponitur pro culpa. Item ponitur pro peccati pœna, cum lex iubet noxæ dedere pro peccato. Quoniam verò dictum eſt, de iudicijs in rem, & in perſonam, ſequitur vt de ijs quę mixtam cauſam habent, nunc dicamus.

DE IVDICIIS MIXTIS



IXTORVM iudiciorum, alia redundant à rebus ad iudicium, ac pręſtationes perſonales: alia contra, à facto aliquo perſonæ, ad rem, ſiue ipſum iudicium. Quæ prioris generis ſunt, trium cauſarum naſcuntur ex aliqua: vel enim agitur ad rerum diſtinctionem, vel ad diuiſionem, vel ad exhibitionem. De rebus diſtinguendis, quęritur in iudicio finium regundorum, quod quidem diſcordiæ vitandæ cauſa conſtitutum, (nam huius rei gratia Termini templũ condidit Numa Pompilius) longe lateq; patet, quippe non ſolum terminos agris poſitos, verum etiam gentium & regnorum diſcretioné, territoriorũque diuiſionem, apprehendens.

FINIVM REGVNDORVM.

dens. Monet autem Marcus Varro, in primo de re rustica, vti fines suos quis, vel septis, vel arborum notis diligenter tueatur, ne familię rixentur cum vicinis, ac limites ex litibus iudicē quęrant, vtpote cum per contrarium limites ad hoc figantur, vt ne qua litium inter attiguos causa existat. Limes (inquit ille) erat positus, litem vt discerneret agri. Nomen autem est huic iudicio positum, à regendis id est dirigendis, & quasi ad certam regulam, ac certis regionibus, disterminandis agris ac eorum finibus. Nam cum duę sunt materiæ controuersiarum, finis & locus: hoc iudicium pertinet ad fines. Constituuntur autem fines, tribus modis, authore Frontino. Vno cum ab initio id agitur, vt ager certis regionibus, limitibus positis, diuidatur, & sua cuique pars assignetur, qui ager limitatus vocatur. Altero cum certus modus iugerum ex illo agro, illo loco, assignatur: quo casu non à limitibus sumitur exordium, sed à mensura, à qua ipse ager mensura comprehensus nominatur, licet post deinde accedant, subinde limites. Tertio cum nec modi, nec limitū ratio vlla habetur, sed tantum arcendorum hostiū, vt videlicet quousq; hostes submouentur, eo vsq; limites extendantur. Diciturque ager ille ab arcendo, arcifinius, siue occupatorius ab occupando, in quo nullum ius subseciuorum interuenit. Nam subseciua sunt, quæ post peractam mensuram, expletis centurijs, supersunt, vel in toto vel in parte aliqua. De quorum genere sunt ea quoque, quæ extraclusa dicuntur, quæ videlicet nulli à principe assigāta sunt, & item quę insoluta, quę aut in sepositis & sterilibus locis sunt, aut paludibus, vbi nulla potuit exerceri cultura, quia dū nō esset, qđ excoli posset, nullis necesse fuit, limitū regulis obligari, propterea & soluta loca, vocata sunt. Diuiduntur aūt inter se fines his signis tā naturalibus q̄ artificialibus: fluminibus, riuis, fossis, mōtibus, arboribus, aquarū diuergijs, itineribus, iugis, quæ ex eo nomine accipiuntur, quòd continuatione ipsa iungantur, item petris, terminis, septis

ędificijs,veprib⁹,normalibus,marginibus,rigoribus proximarũ possessionum, titulis,inscriptionibus,fanis,sepulchris, supercilijs, cum qualitas proximi agri , ipsa per se stringit,vnã possessionẽ,ab altera. Nam limes proprie est, quodcumq; in agro opera manuũ factũ est ad obseruationem finiũ.Rigor naturalẽ cuiusque rectitudinẽ significat. Et is quidẽ ager,qui à septentrione in longitudinẽ in meridianum decurrit per cardines,strigatus dicitur: qui verò ab occidente, in orientẽ assurgit ac attollitur,per decumanos,scamnatus,idque siue flexuosis & rationalibus, siue rectis,siue circumferentibus, siue mixtis lineis constent.Et cum in reliquis ferme controuersijs, ad prætorẽ ac iudicem eatur : in hoc genere receptum est , vt bonus aliquis vir, tanquam arbiter,qui disterminandorum agrorum peritiam habeat,potius eligatur,nam etiã si ad ipsum iudicem recta via iretur,is nihilominus necesse haberet,talem aliquem sibi adiũgere, quemadmodum & in familia hercifcunda ac cõmuni diuidundo cõtingit, atq; hoc est,ꝙ dicit apud Terentiũ Chremes, Symo & Crito vicini nostri,hic ambigunt de finibus,me cepêre arbitrũ. Hoc iudiciũ locum habet in cõfinio prædiorũ rusticorũ, in vrbanorũ displicuit:neq; enim cõfinia hęc sunt,sed magis vicina dicuntur, & communibus parietibus plerunq; disterminãtur.Finis eius est,vt si vel irruptione fluminis, vel deiectione , vel exaratione , vel quo alio modo , fines confusi fuerint:termini , per mensorem declarentur: quod si fieri non potest, permissum est iudici,adiudicatione controuersiam dirimere. Et si forte amouendæ veteris obscuritatis gratia,per aliam regionem fines dirigere iudex velit:potest hoc facere, per adiudicationem,& condemnationem,quo casu opus est,vt ex alterutrius prædio,alij adiudicandum sit , quo nomine is, cui adiudicatur,inuicem pro eo quod ei adiudicatur, certa pecunia condemnandus est. Sed & loci vnius controuersia in partes scindi adiudicationibus potest, pro vt cuiusque dominium, in eo loco iudex compererit.

Opor-

Oportet autem in his finalibus quæstionibus, vetera monumenta sequi, modo si non varietate successionum, & arbitrio possessorũ, fines, additis vel detractis agris, postea permutati probentur. Præterea illud etiam hîc obseruandum, quod ad exemplum eius legis scriptum est, quam Athenis Solonem dicitur tulisse, cuius verba recitat Caius cap. 13. Adhæc de fine, lex Manilia quinq; aut sex pedum latitudinem præscribit, quoniam hanc latitudinem, inquit Vrbicus, vel iter ad culturas accedens occupat, vel circumactus aratri, quod vsucapi non potest. Iter etiam, non quo ad culturas peruenitur capitur vsu, sed id quod in vsu biennio fuit. Atque hæc quidem de distinguendis & disterminandis finibus. Quæ autem ad diuisionem rerum pertinent iudicia, ea vel sunt vniuersitatis alicuius, vel rerum singularum. Vniuersitatis siue hæreditatis, est iudicium familiæ herciscundæ, rerũ singularum, communi diuidundo. Nomen iudicij familiæ herciscundæ, ab antiquo verbo hercisco, id est, diuido, nam ἑρκίζειν intersepire est, confertur: & *familiæ* verbum, ad res diductum, nihil aliud, quàm vniuersas res hæreditarias significat. Proficiscitur autem hęc actio, ex lege duodecim tabul. Nam cohæredibus volentibus à cõmunione discedere, vel prouocante vno ad diuisionem: necessarium videbatur, aliquam actionem constitui, qua inter hęredes, res hęreditarię distribuerẽtur: quę quidem actio, nihilominus ei quoque ipso iure competit, qui suã partem non possidet, sed si is qui possidet, neget eum sibi cohęredem esse, potest eum excludere, per hanc exceptionem, SI NON IN EA RE DE QVA AGITVR PRÆIVDICIVM HÆREDITAS FIAT. quo casu transitur ad petitionẽ hæreditatis, in qua ad officium iudicis, nihil amplius pertinet, quàm vt partẽ hæreditatis, pro indiuiso restitui iubeat, cùm in familię herciscundę iudicio, hoc agatur, vt à cõmunione hęreditatis discedatur: qua quidem causa fit, vt cùm sit vniuersalis, nõ amplius quàm semel, nisi causa cognita, proponi possit.

FAMILIÆ ERCISCVNDÆ.

Diuidi

Diuiditur autem per hoc iudicium, hæreditas, siue ex testamẽto, siue ab intestato, siue ex lege duodecim tabularum, siue ex alia lege deferatur hæreditas, vel ex Senatusconsulto, vel ex constitutione, vel per bonorum possessionẽ. Nec distinguitur, vtrum res mobiles sint, an soli, nostri patrimonij, an vectigales vel superficiariæ, propriæ, an quarum vsumfructum vel oppignorationem habemus: nam venit in hoc iudicium & illud, quod vnus forte hæredum percepit vel impendit, vel culpa perire passus: estq; generalis regula, familiæ herciscundæ iudicium duobus constare, rebus videlicet atque præstationibus, quæ sunt personales actiones. Non veniunt autem in hoc iudicium, mala medicamenta, & libri improbatæ lectionis. Item nec ea, quæ indiuidua sunt, aut religiosa, nec quæ pater filio emancipato studiorum causa peregre agenti subministrauit, vel testamento prælegauit, cũ quibus sunt & illa, quæ vnus cohæredũ pro emptore vel donato possidet, nam non potest vniuersalis actio, dictari aduersus eum, qui titulum specialem habet. Non veniunt etiam ea, quæ in nominibus sunt, nam illa ipso iure, lege 12. tabularum, quatenus in quantitate consistunt, pro portionibus hæreditarijs, sunt diuisa. Tabulæ testamenti & cautiones, rationesque, vel ad ædem deponuntur, vel apud illum manent, qui ex maiori parte hæres est, qui quidem cæteris eas descriptas & recognitas facere debet, interposita cautione, vt cum res exegerit, ipsæ authenticæ exhibeantur. Si autem omnes ijsdem ex partibus hæredes sint, nec inter eos conueniat, sortiri eos oportet, aut ex consensu vel suffragio eligendus est amicus, apud quem deponantur, vel in ædem sacram deponi debent. Officium eius qui huic actioni aditur, est, vt nihil indiuisum relinquat, & de euictione caueri iubeat, inque omnium persona, condemnationes & absolutiones faciat, et si difficilis sit diuisio, vni rem, alteri pecuniam addicat. Plane si pater inter filios bona diuisit, & onera æris

alieni pro modo possessionum, distribuit, non simplicem donationem, sed potius supremi iudicij diuisionem videri, Papinianus ait. Per communi diuidundo iudicium corporalium rerum singularum, fit diuisio, quarum rerum dominium communiter habemus: non etiam hæreditatis, aut incorporalium, religiosarúmue rerum. Venit autem in hoc iudicium nihil vltra diuisionem rerum ipsarum, quæ communes sunt, & si quid in his damni datum factúmue est, siue quid eo nomine aut abest alicui sociorum, aut ad eum peruenit ex re cõmuni. Officium iudicis in eo consistit, vt ipsas res diuidat, aut si commode diuisionem non recipiant, adiudicationes earum faciat, in quo quidem, quod omnibus vtilissimum est, vel quod malunt litigatores, exequi conuenit. Nam in hoc iudicium, omnes res veniunt: nisi si quid fuerit ex communi consensu exceptum nominatim ne veniat. Ideo autem necessarium fuit hoc iudiciũ, quod pro socio actio magis ad personales inuicẽ præstationes pertinet, quàm ad communium rerum diuisionem. Atque hæc quidem de distinctione rerum ac diuisione, à quibus tria existunt iudicia, finium regundorum, familiæ herciscundę, cõmuni diuidundo. In quibus tribus iudicijs, quæri quidem solet, quis actor intelligatur, quia par causa omniũ videtur: sed magis placuit, eum videri actorem, qui ad iudicium prouocasset: estq́; iudiciũ cõmuni diuidundo, bonæ fidei, & ideo si vna res indiuisa relicta sit, valebit nihilomin' & cæterarum rerum diuisio: & poterit iterum communi diuidundo agi, de ea quæ indiuisa remansit.

CÕMVNI DIVIDVNDO.

AD EXHIBENDVM.

Ad exhibendum actionis finis propriè is est, vt res qua de agitur, secreta habeatur: nam exhibere est, in publicũ producere, & materię ipsius videndę tangendę, apprehendendę, ac petendę, copiam facere. Tunc autem decurritur ad hanc actionẽ, cùm ea res, quam ego abs te petiturus sum, vel cuius mea interest exhibitionem fieri, sic à te possidetur, vt propter mixtionem eius, cum reliquis rebus tuis, nõ rectè petatur, vel exhibeatur, nisi prius fuerit segregata.

Et ideo, si in rem acturus sim, quę cum rebus tuis sit confusa: veluti si gemma mea inclusa sit tuo auro, si rotā meā tuo vehiculo aptaueris, si armario, vel naui tabulā meam vel ansam schypho iniunxeris, vel emblemata phiolę, vel purpuram vestimento intexueris, vel brachiū statuę per applumbaturā, nō per ferruminationē, coadunaueris, his casibus inquā, quoniam recta via nō consistit vendicatio, vtilis est actio ad exhibendum, videlicet, vt re per hāc actionē separata, post deinde rei vendicatio proponatur. Nam etsi serui optio mihi relicta sit, vel si noxali iudicio experiri velim, pari ratione ad exhibendum agere possum. Quid enim si dominus quidem paratus sit defendere, actor verò designare non possit, nisi ex præsentibus, quia aut seruum non recognoscit, aut nomen non tenet: nōnne æquum est ei familiam exhiberi, vt noxium seruum agnoscat? Interest enim illius hoc ita fieri, & ad exhibendum agere possunt omnes, quorum re vera, vt inquit Paulus cap. 19. interest, idque aduersus quemuis possessorem, siue is ciuiliter possideat, siue naturaliter incumbat possessioni, siue deniq; dolo desierit possidere. Est autem exhibere, quantum ad hanc actionem attinet, in eadem causa præstare in qua fuit, cùm iudiciū acciperetur, vt quis copiam rei habens, possit exequi actione, quod destinauit, in nullo causa quam intendit lęsa. Planè si quis extra hæredem tabulas testamenti, vel codicillos, vel quid aliud ad testamentum pertinens exhiberi velit: dicendum est per hanc actionem agendum non esse, cùm sufficiunt sibi interdicta in hanc rem competentia: & ita Pomponius. Transeamus nunc ad ea iudicia mixta, quæ non à contractu, vel delicto quidem, sed à facto tamē aliquo personæ magis, quàm à rebus oriuntur: quę quidem vel in rebus existunt humanis, tam iudicialibus, vt si quis ex interrogatione sua, in iure facta, conueniatur, aut ad eundem cum alijs iudicē intrare cōpellatur: q̄ priuatis, vt si alienum quis seruum corrumpat, aut fugitiuum celet, aut aleatores recipiat, aut mensor falsum

DE INTERROGATIONIBVS IN IVRE FACIENDIS ET INTERROGATORIIS ACTIONIBVS.

modum dicat, vel in rebus religiosis, & ad funera sepulchraque pertinentibus. Quantum ad interrogationes, quæ in iure fiunt, earum diuersa olim ratio habebatur, quàm hodie. Etenim ante iudicium vllum acceptum, moris erat, aduersarium interrogationibus quibusdam propositis premere, & ex ijs, quæ forte respondisset, ipsam actionem, quam interrogatoriam vocabant fundare: sed posterioribus temporibus, postquàm iniquũ visum est, cogi qué ante iudiciũ, de suo iure aliquid respondere, actoremq; non ipsum paratũ venire, sed à confessione aduersarij auspicari: paulatim effectum est, vt interrogatoriæ illæ actiones, minus frequentari cœperint, & in desuetudinem abierint. Et ideo interrogationes quæ hodie fiunt, non pariunt quidem actionem, sed si quę fuerint ab aduersa parte, apud iudices expressæ, eæ tantummodo ad probationes litigatoribus sufficiunt. Est autem interrogatio in iure toties necessaria, quoties dubitat actor, qua ex parte, is cum quo agere velit, hęres sit, ne dum hoc ignorat, interdum plus petendo, aliquid damni sentiat. Tantundem receptum est & de ijs qui interrogantur, an seruus qui noxam nocuit, quadrupes quę pauperiem fecit, ædes ex quibus damnũ timetur, ipsorum sit: item an fundum quem quis petere velit possideat, cuiúsue ætatis sint, nam & hi omnes respondere coguntur. Et generaliter vbicunque iudicem æquitas mouerit, ęquè oportere fieri interrogationem, dubium non est. Iam autem interrogatione facta, qui interrogatus respõdit, si modo id quod in confessionem venit, ius & natura recipere potest, sic tenetur, quasi ex contractu obligatus, pro quo pulsabatur, dum ab aduersario interrogaretur. Et ideo etiam qui seruum alienum responderit suum esse, si noxali iudicio conuentus sit, dominum liberat: aliter atque si confessus sit, occidisse seruum, quem alius occidit, vel si quis responderit, se hæredẽ. Nam his duob' casibus, nõ liberatur qui fecit, ne impunitum sit delictum eius qui fecerit, propter eum qui re-

qui responderit: nec qui hæres est, nam qui confessus est, non tam ex persona alterius, quemadmodum fit in iudicio noxali, quàm ex suo quasi contractu obligatur. Si cum esset quis ex semisse hæres, dixerit se ex quadrante, mendacij hanc pœnam fert, quod in solidum conuenitur, nisi forte vel iustus error interuenerit, vel pœnitentia. Qui tacuit apud prætorem, vel omnino ad interrogatum non respondit, vel obscure: in ea causa est, vt instituta actione, in solidum conueniatur, quasi negauerit se hæredem esse, nam qui omnino non responderit, contumax est, & prętorem contẽnere videtur. De quibus rebus ad eundẽ iudicem, à pluribus, qui diuersis territorijs subiecti sunt, eatur: sic ait Põponius: Si inter plures familię hercíscũdę agetur, & inter eosdẽ cõmuni diuidũdo, aut finium regũdorum: eundem iudicem sumendum. Præterea quo facilius coire cohæredes, vel socij possunt, in eundem locum omnium præsentia fieri potest. Papinianus. Cum ex pluribus tutoribus vnus, quòd cæteri non sint idonei, conuenitur, postulante eo, omnes ad eundem iudicem mittuntur, & hoc rescriptis principum continetur.

DE QVIBVS REBVS AD EVNDEM IVDICEM EATVR.

De seruo corrupto, ait Prætor: Qui seruum seruam, alienum alienam recepisse, persuasisséue quid ei dicetur, dolo malo, quo eum eam deteriorem faceret, in eum, quanti ea res erit, in duplum iudicium dabo.

DE SERVO CORRVPTO.

De fugitiuis. Qui fugitiuum, inquit Vlpianus, celauit, fur est. Senatus censuit, ne fugitiui admittantur in saltus, neque protegantur à villicis, vel procuratoribus possessorum: & multam statuit. His autem, qui intra viginti dies fugitiuos, vel dominis reddidissent, vel apud magistratus exhibuissent: veniam in anteactum dedit. Sed & deinceps eodem Senatusconsulto impunitas datur ei, qui intra præstituta tempora, quàm reperit fugitiuos in agro suo, domino, vel magistratibus tradidit. Hoc etiam Senatusconsultum, aditum etiam dedit militi, vel pagano, ad inuestigandum fugitiuum, in prædia, vel senatorum, vel paganorum.

DE FVGITIVIS.

" Cui rei etiam lex Flauia prospexit & Senatusconsultum
" Modesto consule factum, vt fugitiuos inquirere volentibus,
" literæ ad magistratus dentur: multa etiam centum
" solidorum in magistratus statuta, si literis acceptis, inquirentes
" non adiuuent. Sed & in eum, qui quæri apud se
" prohibuit, eadem pœna statuta est. Est & generalis epistola
" diuorum, Marci & Cōmodi, qua declaratur, & præsides,
" & magistratus, & milites stationarios, dominos
" adiuuare debere, in inquirendis fugitiuis: & vt inuentos
" reddāt: & vt ij, apud quos delitescant, puniantur, si crimine
" contingantur.

DE ALEATORIBVS.

Aleam tanquam prodigalitatis maximum instrumentum, legibus semper vetitā fuisse, etiam Horatius Flaccus prodidit, adeo quidem, vt aleæ conuicti, quadrupli damnari soleant, secundum Asconium Pedianum. Et quidem quoniam valde prouidendum est, ne re sua quis male vtatur, néue quis ad profusionem pecuniarum adiutor, & author cui sit: recte subtrahit auxilium suum Prætor ijs, qui aleatores ad se recipiunt. Ait itaque Prętor.
" Si quis eum, apud quē alea lusum
" esse dicetur, verberauerit, damnúmue ei dederit: siue quid
" eo tempore, dolo eius subtractum erit: iudicium non dabo.
" In eum, qui aleæ ludendæ causa vim iutulerit, vti
" quæque res erit, animaduertam. Præterea senatuscon-
" sultum simpliciter vetuit in pecuniam ludere, præterquā
" si quis certet hasta, vel pilo iaciēdo, vel currēdo, saliēdo,
" luctādo, pugnādo: quod virtutis causa fiat, in quib' rebus
" ex lege Titia, & Publia, & Cornelia etiā sponsionē facere
" licet: sed ex alijs, vbi pro virtute certamen non fit, non
" licet. Quod in conuiuio vescendi causa ponitur, in eam
" rem familia ludere permittitur.

SI MENSOR FALSUM MODUM DIXERIT.

" Aduersus mensorem agrorum, Prætor in factum actionē proposuit: à quo falli
" nos nō oportet. Nam interest nostra ne fallamur in modi
" renunciatione, si fortè, vel de finibus contentio sit, vel
" emptor scire velit, vel venditor, cuiusmodi ager veneat.
" Ideo autem hanc actionem proposuit, quia non crediderunt
" veteres, inter tales personas locationem & conductionem

ctionem esse, sed magis operam benificij loco præberi: ‹‹
& id quod datur ei, ad remunerandum dari, & inde ho- ‹‹
norarium appellari. Hoc iudicium inquit Vlpianus la- ‹‹
tius prætor porrexit. Nam & si cuius alterius rei mensu ‹‹
ram falsam renunciauisse dicetur, hæc actio competit. ‹‹
Proinde si in ædificij mensura fefellit, vel in frumēti, vel ‹‹
in vini, siue de itineris latitudine, siue de seruitute immit ‹‹
tendi, proijciendique quæratur, siue aream, vel tignum, ‹‹
vel lapidem metiendo mentitus fuerit, vel cuius alteri- ‹‹
us rei, tenebitur. Et si mensor machinarius fefellerit: hęc ‹‹
actio dabitur. Nec non illud quoq; Pomponius dicit: eti- ‹‹
am in eum qui mensor non fuit, fefellit tamen in modo ‹‹
competere hanc actionem. hoc exemplo etiam aduersus ‹‹
architectum, & redemptorem actio dari debet, qui fefel- ‹‹
lit, & aduersus tabularium, qui in computatione fefellit. ‹‹
Sciendum autem est, mensorum officium, non in nuda solum opera, verum etiam in iudicando veteribus constitisse, & ideo Iulius Frontinus, & eius interpres Aggenius Vrbicus, accuratè distinguunt, quibus locis ordinario iure (nam vocant ordinarium ius, omne id, quod non pertinet ad mensorem) res finiri debeat, quibus locis mensurarum ratione. Describit autē officium mensoris in iudicando Aggenius Vrbicus, his verbis. In iudicando ‹‹
autem Mensor bonus vir & iustus agere debet: nulla am- ‹‹
bitione aut sordibus moueri: seruare opinionem & arte ‹‹
& moribus: omnis illi artificij veritas custodiēda est, ex- ‹‹
clusis illis similitudinibus, quæ falsæ pro veris subijciun ‹‹
tur: quidam enim per imperitiam, quidam per impuden ‹‹
tiam peccant. Totum autem iudicandi officium, homi- ‹‹
nem bonum, iustum, sobrium, castum, modestum, & ar- ‹‹
tificem egregium exigit. Hoc autem possessores æquo ‹‹
animo ferre non possunt. Nam cum his veritas expo- ‹‹
sita fuerit, aduersus synceritatem artis facere cogunt. ‹‹
Multa sunt enim in possessione, quæ generaliter pro ve- ‹‹
ris offerantur, multa quæ specialiter, quædam quæ ar- ‹‹
gumentaliter, quædam coniecturaliter etiam mentiri ‹‹

DE RELIGIOSIS ET SVMPTIBVS FVNERVM & VT FVNVS DVCERE LICEAT.

artifices coguntur. Hactenus Vrbicus. De religiosis & sumptibus funerum, quorum curam non solum pontifex, verum etiam princeps apud veteres sustinebat, primum sic ait Prætor. Si homo mortuus, ossáue hominis mortui, in locum purum alterius, aut in id sepulchrũ, in quo ius non fuerit, illata esse dicentur, qui hoc fecerit, in factum actiõe tenetur, & pœnę pecuniarię subijcietur. Purus autem locus dicitur, qui neque sacer, neq; sanctus, neque religiosus, sed ab omnibus huiusmodi nominibus vacare videtur. Sepulchrum est, vbi corpus ossaue hominis condita sunt. Celsus autem ait: Non totus qui sepulturæ destinatus est locus, religiosus fit, sed quatenus corpus humatum est. Monumentum est, quod memoriæ seruandæ gratia existat, ductum à monendo, secundum Varronem, quanquam nonnunquam pro eo, secundum Macrum accipiatur, quòd monumenti, id est, causa muniendi eius loci factum sit, in quo corpus impositum sit. Familiaria sepulchra dicuntur, quæ quis sibi *familiæque* constituit. Hæreditaria autẽ, quæ quis sibi *hæredibusque* suis cõstituit, vel quæ paterfamilias iure *hæreditario* acquisijt. Senatuscõsulto cauetur, ne vsus sepulchorũ permutationibus polluatur, id est, ne sepulchrum aliæ conuersationis vsum accipiat. Item Prætor ait: Qui funeris causa sumptus factus erit: eius reciperandi nomine, in eum, ad quem ea res pertinet iudicium dabo. Funeris sumptus accipitur, quicqd corporis causa, veluti vnguẽtorum, erogatũ est, & preciũ loci in quo defunctus humatus est: & si qua vectigalia sunt, vel sarcophagi, & vectura, & quicqd corporis causa, anteq̃ sepeliatur, cõsumptũ est: Arbitrantur aũt sumptus funeris, pro facultatibus vel dignitate defuncti. Iam autẽ ne corpora aut ossa mortuorũ detinerentur, aut vexarentur, néue prohiberentur, quo minus via publica transferentur, aut quo minus sepelirentur, præsidis prouinciæ officiũ est. Adhæc diui fratres edicto admonuerunt, ne iustę sepulturæ traditum, id est terra conditũ corpus inquietetur: videtur aũt in terra cõ

ditũ,

ditũ,& si in arca conditũ hoc animo sit, vt nõ alibi trãsferatur, sed arculam ipsam si res exigat, in locum commodiorem, licere transferre, non est denegandũ. Item Prætor ait. Quo quáue illi mortuum inferre inuito te, ius est: quo minus illi eo eáue mortuum inferre, & ibi sepilire liceat, vim fieri veto. Iterũ Prætor ait. Quo illi ius est, inuito te mortuum inferre, quo minus illi in eò loco, sepulchrum sine dolo malo ædificare liceat, vim fieri veto. Ædificare videtur prohibere, & qui prohibet eã materiã cõuehi, quę ædificio necessaria sit: proinde etsi operi necessarios prohibuit quis venire, interdictum locũ habet. De hisce iuribus sepulchrorum, multa fuit mentio in legibus Solonis, & duodecim tabularum, à quibus hęc accepta sunt. Meminit earũ legum, Marcus Cicero, in extremo libro secundo de legibus. Plato in duodecimo de legibus, vetat ex agro culto, eóue qui coli possit, vllam partem sumi sepulchro: sed quæ natura agri tantummodo efficere possit, vt mortuorum corpora sine detrimento viuorum recipiat, ea potissimum vt compleatur. quę autem terra fruges ferre, & vt mater cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat neue viuus, neue mortuus. Extrui autem vetat sepulchrum altius, quàm quod quinque diebus, homines v. absoluerint: nec è lapide excitari plus, nec imponi, quàm quod capiat laudem mortui incisam, ne plus quatuor herois versibus, quos longos appellat Ennius. Atque hucusque quidẽ de iudiciis.

DE MORTVO INFERENDO ET SEPVLCHRO ÆDIFICANDO.

IOACHIMI

IOACHIMI HOPPERI PHRISII IVRECONSVLTI,

AD PANDECTA S IVRIS CIVILIS,

LIBER QVARTVS.



DICTVRI deinceps, de rebus creditis & commercijs, è re est, priusquàm ad singula perueniamus, pauca de significatione ipsius tituli referre. Quoniam igitur multa ad contractus varios pertinétia iura, sub hoc titulo Prætor inseruit: ideo rerum creditarum titulum pręmisit. Omnes enim contractus, quos alienam fidem secuti iustituimus, complectitur. Nam (vt libro primo quęstionum *Celsus* ait) credendi generalis appellatio est: ideo sub hoc titulo pręțor & de commodato, & de pignore edixit. Nam cuicunque rei assentiamur alienam fidem secuti, mox recepturi quid ex hoc cõtractu, credere dicimur. Rei quoq; verbũ, vt genetale, Prætor elegit. Quia verò in rerum creditarũ actionibus, nonnullæ sunt, quę Principales dicuntur, nõnullę, quę accessionis vicem obtinent, cuiusmodi sunt pignora, redhibitiones, euictiones, vsuræ, cum quibusdã alijs, quę ad eandem similitudinem rediguntur: prius est vt de Principalibus explicemus, post deinde de Accessorijs. Et Principalium autem omnium, quę quidem in ordinariam iuris formam cadunt: nam de extraordinarijs post dicemus, quædam re contrahuntur, quędam verò consensu. Re contrahi dicuntur illa negotia, hoc in loco, quę vel interuentu rei constituuntur, veluti cùm id agitur, vt eadem res in genere, aut in specie restituatur, vt mu-

vt mutuũ, commodatũ, pignus, depositum, vel quę intercedente negociatione personæ alicuius, quę nos obstringat, inducuntur: vt exercitoria actio, institoria, de peculio, cum similibus. Consensu consistunt illæ obligationes, quę neque verborum ac literarum figuris astringuntur, quę quoniam actum potius iudicialem, q̃ negociationem, qua de hîc agimus, continent, in alium locum reijciuntur: neque interuentum aliquem, aut intercessionem rei, ac personæ requirunt, quæ quidem re contrahi dicuntur: sed nuda meraque contrahentium voluntate cõstituuntur, vt emptio, vẽditio, locatio, cõductio, societas, mandatũ. Et quidem, cùm omnis mercatus & negociationis, variæ sint partes ac formæ, nullum puto planè genus eius exstare, cuius non mentio aliqua, sub hoc titulo habeatur. Quia enim omnis mercat', vel terra exercetur, vel mari, vel per nos, vel per alios, vel rebus permutandis, vel fœnerandis. De maritima negociatione habes, sub tit. de exercitoria actione, ad legem Rodiá de iactu, de nautico fœnore: de ijs per quos exercemus negociationem, sub titulo de institoria actione, mandati, pro socio: de mutuo ac fœnore, sub titulo de rebus creditis, si certum petatur, de vsuris, cum alijs eiusdem modi. Tractãdum autem est, priusquam ad contractus quæ consensu constant, perueniamus, de his negotijs, quę re fiunt, in quibus quidem, vel genus vertitur, veluti cum de eo agitur, quod numero, pondere, mensuràue cõtinetur, vel species, vt cum de eadem re restituenda actio proponitur, vel vtrumque, tam genus quàm species, veluti cum indifferenter, tam corpus, quàm quantitas siue pecunia, in iudiciũ deducitur.

DE NEGO-

DE NEGOTIIS QVÆ RE CONTRAHVNTVR, QVIBVS GENVS DEBETVR.



ENERIS debitum, proprie versatur in mutuo, quod quasi μῦ τεὸν siue meum tuum dicitur. Nam cùm per rerum naturam ita sit cōparatum, vt quarundam rerum sit vsus, salua earum substantia, veluti vestis, schyphi, annuli, quarundam haud aliàs, quàm per consumptionem, vt vini, olei, frumenti: rectè ac conuenienter naturę factum est, q, pro cuiusq; rei subiectæ portione, alię atque alię species obligationū, ac rerū cōtrahendarū figurę sint cōstitutę. Ac earū quidē rerū, quæ certa forma circūscriptę, specierū, siue corporū nomē habēt, ita vsus cōcedi potest, per cōmodatū, de quo idoneo loco, vt eadē omnino res, veluti vestis, liber, annulus reddatur: earum verò, quæ in abusu consistunt, & quantitates siue genera vel pecunię *dicuntur*, non alia ratione ac via, vsus permitti potest, *quàm* domi nio in totum translato cum hac videlicet conuentione, vt non eadem quidem species, sed idem genus, quod eiusdem bonitatis sit, & quantitatis, reddatur. Ratio verò differentiæ hæc est, quoniam si hoc conueniat in fungibilibus, vt eadem species præstetur, non poterit verus vsus, quæ sine cōsumptione ipsius substantiæ non est, concessus videri, sed erit vel commodatum, si forte ad pompam, aut ostētationē, aut vt dicis causa numerationis loco intercedat pecunia, fuerit concessa: vel depositum, si nec huius vlla facta commemoratione tātum hoc actum sit, vt eadem corpora nummorum restituantur. Nam quod idem genus solui oportet, hinc nimirum est, quia si aliud genus, veluti pro tritico vinum recipiamus, non erit mutuum, sed permutatio. Ideo autem eiusdem bonitatis genus exolui debet, quia vix est, vt idem id censeri possit, cum aliquo, quod bonitate qualitateque ab eo differat. Et ideo cum quid mutuum dederimus etsi

non

non cauimus, vt æque bonum nobis reddatur, non licet debitori deteriorem rem, quæ ex eodem genere sit, reddere, veluti vinum nouum, pro veteri. Nam in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum est. Id autem agi intelligitur, vt eiusdem generis, & eadem bonitate soluatur, quod datum sit. Iam verò quod eadem etiam quantitas præstanda venit, hinc profectum est, quoniam in omnibus contractibus ac commercijs, illud etiam atq; etiam diligenter ad eorum æternitatem custodiendum est, vt ęqualitas conseruetur, quod equidem haud alia ratione fieri potest, quàm si id quod nullam per se speciem habet, vel ad numerũ, vel ad pondus, vel ad mẽsuram reuocetur, & secundum eundem modum vltro citroque præstetur: atque hoc est quod dicit Paulus: Mutui datio, consistit in ijs rebus, quæ pondere, numero, mensuráue consistunt, quoniam cum mutuum illarum tantummodo rerum sit, quarum dominium transferri debeat, earum datione siue dominij translatione, recte possumus in creditum ire: quia manẽte eodem genere, recipiunt in genere suo functionem, hoc est, ęqualẽ hinc inde vnius in locum alterius pręstationem, idque non tam formæ suæ siue speciei ratione, quã aliquã subinde habẽt, vt pecunia publica forma percussa, quàm ipsius ab vtraque parte solutionis siue dationis, quę fit per pondus, numerum & mensuram. Atque ideo in cęteris rebus, propterea earum datione in creditum ire non possumus, quia cum in ijs non solum genus ipsum ac bonitatem, quantitatémque spectemus, verum etiam figuram ipsam ac speciem: quę quidem species tam varia est ac multiformis, vt si ad eam respicias, nunquàm dici possit hæc res eadem esse cum illa: duorũ alterũ contingeret, vel vt aliud pro alio inuito creditore solueretur, quod quidem neque ciuilis, neq; naturalis ratio patitur, vel vt rixantibus ijs, qui cõtraxissent, de rei soluendę cum ea quę data esset ęqualitate, nullus negotij exitus inueniretur, quòd quidem longe secus est, in rebus fungibilibus, in quibus neglecta for-

cta forma, nihil aliud venit in reputationem quàm genus, bonitas & quantitas, in quibus facile potest æqualitas, sine vlla querela existere. Actio autem quæ pro repetendo mutuo tribui solet, vocatur certi condictio, estque inter reliquas actiones, & eas quæ condictionum nomen habent, nonnulla iure differentia. In communibus actionibus hoc obseruatur, vt per competentes actionum formulas, coram tribunali *in ijs* procedatur, & aduersarius si veterem rationem spectes, recta via, in ius, vel vocetur, vel ducatur, vel rapiatur, & si famosa sit actio, pudor eius perstringatur. In condictionibus aliter placuit, nam in ijs, neq; pleno foro pro tribunali, sed amicabili quadá quasi collatione seorsum disceptatur, & aduersarius non propalam in ius ambulare compellitur, sed denunciatione facta, (nam *condicere* prisca lingua denunciare est,) dies illi dicitur, & quamuis ex famosis causis pendeant, cessat tamen in ijs ignominia. Causa vero cur in mutuis *pecunijs*, & ijs quæ in causam mutui cadunt, per *condictiones* potius certetur, quàm per legitimas & solennes actiones, hæc est .Primo quoniam in ijs fere fit, vt ex facili vel chirographis rationibúsue prolatis, vel dato iureiurando, expediri possint, ad quàm quidem rem, nihil opus est, magna formularum ac aliarum rerum obseruatione. Deinde, quoniam non est indulgendum morosis & delicatis creditoribus, ac argentarijs (nam ab his solet olim peti mutuum) vt vel bonis confestim aliquem euertant, vel putationē eius ac nomen suggillent: quæ quidem causæ, cum in nullis alijs negotijs, quàm in mutuis pecunijs, vel ipso Cicerone authore obtineant, merito comparatum est, vt in ijs hoc sit singulare, vt non solennibus confestim actionibus, sed potius condictionibus, de ijs agatur. Sed sunt condictionum plura diuersa genera. Nam aliæ sunt, quæ vocantur speciales, aliæ generales. Inter speciales, primum locum obtinent, quæ de mutuo, stipulatóue ac expen-

DE REBVS CREDITIS SI CERTV̄ PETATVR ET DE CONDICTIONE

expensolato proponuntur, quæ & certi condictiones vocantur: posteriorem aliæ, quæ tam incerti sunt, quàm certi, quæque regulariter hisce de rebus competunt, quæ in speciem quasi mutui incidunt, veluti cum id abs te repeto, quod ob causam honestam tibi dedi, quam non exhibuisti, vel quod turpiter à me, aut tanquàm debitum, cum non esset, aut sine causa accepisti, quódue furto mihi surripuisti. Generalium, alia est, quæ ex lege dicitur, alia quæ triticiaria: sed est ordine tractandum de singulis. Certi condictionis nomen, inde acceptum est, quoniam ex ea proprie causa competit, ex qua certum petitur: estque certum nihil aliud, quàm cuius species vel quantitas, quæ in obligatione versatur, aut nomine suo, aut ea demonstratione, quæ nominis vice fungitur, qualis quantaque sit ostenditur. Et quanquam quidem ad eas proprie obligationes ac res accommodetur, quæ in mutuo consistunt, & numero, pondere, mensuráue continentur: propter tamen vtilitatem acceptum est, vt ex omni causa, & omni obligatione, ex qua quouis modo certum petitur, siue ex certo contractu, qui nomen habet, siue ex incerto qui non habet, petatur, competere possit, videlicet quia vtique consentiendum est ei, qui humanius cum debitore suo agẽdo, condictionibus eum pulsare mauult, quàm solennibus actionibus. Sed, quemadmodum author est Iulius Paulus in sententijs, placuit in hoc genere condictionum, vt cum de refusione pecuniæ agitur: eius rei ambiguitas, sacramentorum interpositione finiatur, estque hinc illud apud Gellium facetum ex Laberio, Iusiurandum, emplastrum esse æris alieni. Nec mouet verò, quod nonnullis locis sacrarum literarum, penitus prohibitum videtur iusiurandum, à quo non longe abest sententia illa Platonis, qua definitur, propter hominum aduersum deum impietatem, nequaquàm permittendum esse, vt qua ex re lucrum quis speret, in ea iusiurandum illi deferatur:

non

non turbat hoc inquam: quoniam quantum ad sacras literas attinet, eas sic accipiẽdas esse censuit Augustinus, & post eum alij, vt non de sacramento publice in iudicio dato intelligantur, sed de priuato, quod propria voluntate superstitionéue suscipitur. Nam quemadmodum in causis priuatis, & vita communi, deierare, partim periculosum est, & ad periurium procliue, partim nihil aliud, quàm sacrosanctum Dei nomen, rebus friuolis & inanibus admiscere: ita per contrarium, vt in ijs iudicijs, in quibus nulla ope humana veritas exquiri ac erui potest, ad Deum optimum maximum, tanquam ad summum ac supremum iudicem, prouocatio fit, non solum ad expediendas lites maximam habet oportunitatem, verum ad conseruandam etiam & stabiliendam in Republica religionem. Atque hac quidem etiam causa fit, vt nec in periurium inquiratur, quasi scilicet vtile sit Reipublicæ, teste Cicerone, Deum ipsum vindicem contemptę religionis constituere, nec de facili suspicari, quemquam esse tam deploratum, qui tam nefandum & impium scelus, in se admittere velit. Nisi fortasse de eo dicas, qui iam manifestus sit, talis esse, vt vel omnino Deum esse neget, vel nulla eum rerum humanarum cura tangi existimet: huic enim ego homini tanquam penitus efferato ac immani, nullum iusiurandum deferendum cum Platone censeo: quemadmodum, nonnunquàm per contrarium contingit, vt propter summã ac spectatã fidẽ, iusiurãdum (sic enim de Xenocrate legimus) alicui publicè remittatur. Concipi autem solebat olim iusiurandum verbis solennibus, idque duobus ferme modis. Vno cum quis testem Deũ inuocaret, quale est illud apud Virgilium: Esto nũc sol testis, & hæc mihi terra precãti, Et pater omnipotens, & tu Saturnia Iuno. Item illud. Audiat hęc genitor, qui fœdera fulmine sancit. Tango aras, mediosque ignes, & numina testor. Altero cum quis capiti suo, filiorúmue suorum male precaretur, si contra quam esset conuentum, fecisset, Nam lapidem silicem tenebant iu-

faturi per Iouem, hæc verba dicentes: si sciens fefellero, ita me Diespiter, salua vrbe arceque, bonis eijciat, vt ego hunc lapidem. Ná qui per salutě suam iurat, inquit Vlpia. vel per fortuná principis, q pro numine coli cœpt⁹ est sub Tiberio, licet per Deú iurare videatur, attamen si nō ita specialiter iusiurandú ei delatum est, iurasse non videtur. Ac dicebátur quidē pręiuratiões facere hij, qui ante alios cōceptis verbis iurarent, post quos in eadé verba iurantes, tátummodo dicebant: idem in me. Diuiditur autem omne sacramentum, in voluntarium, & necessarium, siue iudiciale. Voluntarium est duplex, vnum quod ex conuentione extra iudicium defertur, quod referri non potest, vt inquit Paulus. cap. 17. Alterum quod in iudicio à litigatore, litigatori datur, in quo regula est, manifestę turpitudinis esse, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre: estque hoc vtrique commune, vt speciem quandam pactionis transactionisue, ac solutionis, vt est apud Caium, contineant. Necessarium siue iudiciale, duplex quoq; est, alterum quod litem finit, alterum quod in litem vocatur. Quod litem finit ac terminat, proprie illud est, quod necessarium vel iudiciale dicitur, habens maiorem authoritatem, propter religionem, quam res iudicata. Nam in bonæfidei contractibus, nec non in alijs cæteris causis, inopia probationum, per iudicem, iureiurando, causa cognita, res decidi oportet, & si delato vel relato iureiurando, iuratum sit, vel gratia facta, hoc est, cum paratus esset aduersarius, remissum sacramentum, ad similitudinem iudicati, in factum actio competit. Ait namque prętor. Eum a quo iusiurandum petitur, soluere aut iurare « cogam, & si conditione delata, non propria sponte, « nam ita nulla religio est, iurauerit, eius rei de qua iusiu- « randum delatum fuerit, neque in ipsum, neque in eum ad « quem ea res pertinet, actionem dabo. Iusiurandum in li- « tem est, quod ex delatiōe præstat is, cui res ab aduersario non exhibetur, vel restituitur, in quo permittitur ei, de æstimatione ipsius rei, ac eius quod interest, in infinitum

DE IVREIVRANDO SIVE VOLVNTARIO SIVE NECESSARIO, SIVE IVDICIALI.

DE IN LITĒ IVRANDO.

nitum ex affectione iurare, excepto eo, quod iudex, vel antè, vel pòst, modum iuriiurando per taxationē statuere possit, vt intra certam quantitatem iuretur, ne accepta occasione, in immensum iuretur. Habet autem proprie locum hoc iusiurandum, cum dolus aut contumacia, non restituentis, vel non exhibētis, punitur. Nam si culpa tantum interueniat, quod interest agentis, solum æstimatur. Præterea non solet hoc iuramentum deferri, in ijs quæ stricti iudicij sunt, in quibus id tantummodo sequimur, quod lingua nuncupatum est, sed in bonæfidei solum iudicijs, in quibus tantum potest officium iudicis, quantū in stipulationibus, eius rei nominatim facta interrogatio, & itē in arbitrarijs, cuiusmodi est actio in rē, & ad exhibendum, in quibus si non paretur arbitrio iudicis, permissum est ei, ex bono & æquo, secundum cuiusq; rei de qua actum est naturá, æstimare, quemadmodum actori satisfieri oporteat. Estque harum arbitrariarum insigne exemplum, apud Valerium Maximum, lib. 8. cap. 2. cuius verba, quoniam demonstrant priscam illá formam exercendæ actionis arbitrariæ, subiunxi. Multo
" animosiꝰ inquit, & vt militari spiritu dignū erat, se in cō-
" simili genere iudicij C. Marius gessit. nam cum Caius Ti-
" ciniꝰ Minturnensis Fāniam vxorem, quam impudicam
" de industria duxerat, eo crimine repudiatam, dote spoli-
" are conaretur, sumptus inter eos iudex, in conspectu ha-
" bita quæstione, seductum Ticinium monuit, vt incepto
" desisteret, ac mulieri dotem redderet. Quod cum sępius
" frustra fecisset, coactus ab eo sententiam pronunciare,
" mulierem impudicitiæ sestertio nummo, Ticinium sum-
" ma totius dotis damnauit. præfatus ideo se hunc iudi-
" cādi modum secutum, quod liqueret sibi Ticinium patri-
" monio Fāniæ insidias struentem, impudicæ coniugium
" expetisse. Atque huc vsque quidē, de certi condictione, quæ propter mutuas pecunias præcipuè comparata est, licet ad alias quoque actiones, vti diximus, nonnunquá porrigatur. Quantum ad eas condictiones attinet, quæ

ab ijs negotijs oriuntur, in quibus quasi mutuum versatur: Omne quod datur, inquit Paulus, aut ob rem datur, aut ob causam. Ob rem, aut honestam, aut turpem. Si ob rem honestam, inquit Vlpianus, data sit pecunia, veluti, vt filius emancipetur, vel seruus manumitteretur, vel vt à lite discedatur, ita repeti condictione potest, si res ob quam data est, secuta non est. Si ob rem turpem aliquid detur, aut est dantis turpitudo, non accipientis, aut accipientis duntaxat, non etiam dantis, aut vtriusque. Quod si turpis causa accipientis fuerit, etiamsi res secuta sit, repeti potest: vtputa dedi tibi, ne sacrilegium facias, ne furtum, ne hominem occidas, condici enim potest, quod dedi. Vbi autem & dantis & accipientis turpitudo versatur non posse repeti dicimus, veluti si pecunia detur, vt male aut bene iudicetur. Nam vterque tam dans, quàm accipiens, vt tractat pulchre Philo, post Mosem & Platonem, crimine contingitur, quemadmodum etsi ob stuprum aliquid datum sit, vel fur ne proderetur dederit. Quoties autem solius dantis turpitudo versatur, verius est, repeti non posse, & ideo quod meretrici datur in ea causa est, vt repeti non possit. Nec est vero dicendum in hac specie, vtriusque versari turpidinem: quoniam illa turpiter quidem facit, quod sit meretrix, sed non turpiter accipit, cum sit meretrix. Quod ob causam datum, condictionem parit, aut ob causam debiti cum sit indebitum datur, aut ob aliam aliquam iniustam causam, vel præteritam, vel futuram. De indebito soluto, regula hæc est: Quod indebitum per errorem soluitur, aut ipsum, aut tantundem, repetitur, per indebiti condictionem. Aliquis dixerit, cur non potius per rei vindicationem? An quia translatum est dominium, propter voluntatem tradentis & accipientis, hoc agentium, vt transeat? Et est sanè verissimum hanc condictionem, ex bono & æquo conceptam esse, quia quod alterius apud alterum sine causa deprehenditur, reuocari consueuit, contingitque in hac specie, vt extra id quod

DE CONDICTIONE CAVSA DATA CAVSA NON SECVTA.

DE CONDICTIONE OB TVRPEM CAVSAM.

DE CONDICTIONE INDEBITI

agitur, tacita obligatio quasi mutui nascatur. Sed videamus, quid nam in proposito indebitum dicatur. Nam sunt nonnulli, qui licet iure ciuili non teneantur, iure tamen naturali sunt obstricti. Et ideo si id quod dominus seruo debuit, manumisso soluerit, repetere non poterit, quia naturale agnouit debitum, & cessat æquitas repetitionis. Tantundem est in debitore in diem, nam adeo debitor est, vt ante diem solutum, repetere nō possit, quàquam illud debitum, quod sub conditione, quæ an impleatur incertum sit, debetur, pendente conditione solutum, recte repetatur. Præterea si quis pœnam, id est, vsuras indebitas, vel operas patrono suo soluerit, item si mulier in ea opinione sit, vt credat se pro dote obligatam, & dotem det: vel si is, qui male absolutus est, aut qui retentionem tantum habet, satisfecerit: placuit his casibus, cessare repetitionem. Nam sublata falsa opinione, relinquitur, vel causa naturalis debiti, vel pietatis, quæ quidem efficit, vt in pari æquitate, secundum possessorem pronuncietur. Porrò in his etiam, *quæ per inficiationem in lite crescunt*, hoc est receptum, vt si quis ea per errorem indebita soluat, condictione deficiatur, videlicet, quia quasi ex iudicato depensa videntur, & est verum, eum qui falso condemnatus soluit, propter authoritatem rei iudicatæ, nullam habere repetitionem. Idem placuit & in filiofamilias, qui contra Macedonianum mutuam pecuniam accepit, & paterfamilias factus soluit. Nam licet indebitum etiam illud accipiatur, quod per aliquam exceptionem perpetuam non debetur: tamen quoties non in fauorem excipientis, sed in odium eius cui debetur, exceptio datur, perperam solutum, non repetitur. Adhæc repetitio nulla est ab eo qui suū recepit, nec ab eo, qui sibi ab hæreditate debitū, à bonæfidei possessore, qui in multis vice domini fungitur, accepit: quāq̃ aliter probatū sit, in eo qui cū existimaret se possidere hęreditatē cum nō possideret, soluerit: hic enim quia verū hæredem non liberauit, id quod dedit, repetere poterit,

Nam

Nam extra causam bonæfidei possessoris, quamuis debitum sibi quis recipiat, tamen si is qui dat, non debitum dat, repetitio competit. Et in summa, vt generaliter de repetitione tractemus, sciendum est, dari aut ob transactionem, aut ob causam, aut propter conditionem, aut ob rem, aut indebitum, in quibus omnibus quæritur de repetitione. Et quidem quod transactionis nomine datur, licet res nulla media fuerit, non repetitur, nam si lis fuerit, hoc ipsum quod à lite discedatur, causa videtur esse. Id quoque quod ob causam datur, puta quod negotia mea adiuta ab eo putaui, licet non sit factum, quia donare volui, repeti non potest. Quod propter conditionem legati implendam dedi, si non sit mihi legatum, possum repetere. Quod ob rem datur, ex æquo bono habet repetitionem, veluti si dem tibi, vt aliquid facias, nec feceris. Indebitum solutum repetitur cum fructibus & partu, deducta impensa: nam ex ijs omnibus, inquit Papinianus, quæ iure non valuerunt, vel non habuerunt effectum, secuta per errorem solutione, condictioni locus est. Atque hæc de indebiti condictione. Condictioni sine causa tunc locus est, cum vel ab initio, sine causa promissum est, vel cum fuit causa promittendi, quæ finita est, vel secuta non est, nam nihil refert, vtrum ne ab initio sine causa quid datum sit, an causa propter quam quid datum sit, secuta non sit, vel ad non causam redijt.

DE CONDICTIONE SINE CAVSA.

Computatur autem cum ijs, qui quasi ex mutuo condictione tenentur, etiam is, qui furtum commisit, quàm diu dominus rei furtiuæ possessionem non apprehenderit, & ideo condictione quoque tenetur. Quod quidem ita comparatum est, non tam secundum strictas iuris regulas, quæ non patiuntur, vt rem suam quis per actionem personalem petat, quàm odio furum, quo magis pluribus actionibus teneantur. Competit autem hęc condictio, ipsi domino, vel hęredi eius, idq; do-

DE CONDICTIONE FVRTIVA.

nec do-

nec domini facto, dominium rei ab eo recedat, & ideo si eam rem alienauerit, condicere non poterit. Tenetur verò ea, tum fur ipse, tum hæres eius. Nec prçstatur solum ipsa res, verum etiam fructus, & vsuræ. Nam qui primo inuito domino rem contrectauit, semper in restituenda ea, quam nec debuit auferre, moram facere videtur. Nunc videamus de condictionibus generalibus, quæ vel ex lege sunt, vel triticiariæ. Ex lege condicitur, quoties obligatio, lege noua introducta est, nec cautum est, quo genere actionis experiamur. nam eius exemplum habemus, in donatione, quæ hodie crediti formam accepit.

DE CONDICTIÕE EX LEGE.

DE CONDICTIONE TRITICIARIA.

Condictio triciciaria, si ortum eius spectes, nomen habet à tritico, quo verbo veteres, vt est apud Marcellum de verb. obligat. c. 94. significabant, omnes fruges. Et ideo quemadmodum certi condictio, de illo proprie mutuo competebat, quod in pecunia numerata consisteret, ita triticiaria, de reliquis generaliter omnibus, quç numero, pondere, ac mensura constabant, in mutuum deductis, tribuebatur. Quanquàm progressu temporis effectum est, vt licet pecuniæ verbum, à pecudibus diductum, ad reliquas omnes res fungibiles porrigi cœperit, propterea quod omnia pecunia çstimantur: tamen tritici vocabulum, intra suos semper limites perstiterit, nec vnquàm ad pecuniam numeratam pertinuerit. Cui quidem rei consequenter factum est, vt quantum ad mutuum attinet longe latius pateat certi condictio, vt quæ omnes res fungibiles cõplectatur, quàm triticiaria, vt quæ de pecunia numerata non detur. Sed iam porrò, quoniam illud etiã propter benignitatem placuit, vt condictio certi & triticiaria, non solum in mutuo, verum etiam in omnibus alijs contractibus proponi possint, si ita sederit actori, & malit condictionibus, quod humanius est, quam solennibus actionibus experiri: hoc tamen habet nunc amplius triticiaria, quam condictio certi, quod in condictionem certi, nullum aliud debitum veniat, quàm quod certum sit: contra in triticiariam, non minus illa deducantur,

quæ

quæ incerta ſint, quàm quæ certa, extra pecuniam numeratam. Et hoc eſt quod dicit Vlpianus his verbis.
" Qui certam pecuniam numeratam petit, illa actione vti-
" tur. SI CERTVM PETATVR. Qui autem alias res,
" per triticiariam condictionem petet. Et generaliter dicendum eſt, eas res per hanc actionem peti, ſi quæ ſint
" præter pecuniam numeratam, ſiue in pondere, ſiue in
" menſura conſtent, ſiue mobiles ſint, ſiue ſoli. Quare fun-
" dum quoque per hanc actionem petimus, etſi vectigalis
" ſit: ſiue ius ſtipulatus quis ſit: veluti vſumfructum, vel
ſeruitutem vtrorumque prædiorum. Quoniam autem in debito generis, ſæpenumero accidit, vt vel in certum locum ſolutio conferatur, vel pecunia debita conſtituatur: non erit fortaſſis alienum, ſi de vtroque nonnihil explicuerim⁹, priuſq̃ ad illud genus credẽdarum rerũ, quod circa ſpecies verſatur, tranſeamus. Si quis igitur certo loco dare promiſerit, is quidem nullo alio, quàm in quo promiſit ſoluere, inuito creditore, poteſt, ſed an alio loco agendi facultas contra eum competat, dubitatum eſt, & prima quidem ſpecie, nõ competere videbatur. Sed quoniã iniquum erat, ſi promiſſor ad eum locum, in quem daturũ ſe promiſiſſet, nũquàm accederet, quod vel data opera faceret, vel quia alijs locis neceſſario diſtringeretur, nõ poſſe ſtipulatorem ad ſuum peruenire: ideo viſum eſt vtilem actionem arbitrariam, in eam rem cõparare, qua videlicet etiã alio loco petat actor, q̃ in quo promiſſum ſit, dummodo id fiat, cum illius loci, in quo dari promiſſum eſt, commemoratione. Officio autem iudicis, qui ex hac actione cognoſcet incumbit, non quantitati contract⁹ præciſe inſeruire, ſed vel excedere, vel diminuere quantitatem. Nam ſi interſit rei, Epheſi potius ſoluere, quàm eo loco quo conuenitur, ratio eius habebitur. Et vice verſa, ſi actoris interſit Epheſi, hoc eſt, eo loci in quem concepta eſt ſolutio, potius accipere quàm alibi, veniet in reputationem, quanti eius interſit, quod culpa debitoris alibi petere cogitur. Continet enim hæc arbitaria actio

DE EO QVOD CERTO LOCO DARI OPORTET.

actio vtriusque vtilitatem, tam actoris quàm rei. Et si rei interest, minoris fiet pecuniæ condemnatio, quàm intentatum est, si actoris, maioris. Planè interdum iudex absoluere reum debet, cautione ab eo exacta, de pecunia ibi soluenda, vbi promissa est: quid enim si ibi vel oblata pecunia actori dicatur, vel deposita, vel ex facili soluenda, nonne debebit interdum absoluere? In bonæfidei iudicijs, etiam si in contrahendo conuenit, vt certo loco quid præstetur, ex empto vel vendito, vel depositi actio competit, non arbitraria. Constitutæ pecuniæ verbum, à constituendo profectum est. Est autem constituere, de sistendo certo tempore, ac certo loco, cum aliquo conuenire. Terentius: Nam constitui cum *quodam* hospite, me esse illum conuenturam. Hinc constituere pecuniam est, sine solennitate conuenire, de ad diem danda vel soluenda pecunia debita, quod quidem constitutum, parit actionem constitutoriam. Dico autem sine solennitate conuenire, quoniam ad constitutum celebrandum, neq; verborum, neque literarum *proprietatem* exigimus, & ideo constituere & absentes & *pręsentes* possumus, sicut pacisci, & per nuncium, & per nosmetipsos, & quibuscũq; verbis, & per epistolam possumus. Ideoq; si Titius talem epistolã emittat: Scripsi secundum mandatum Seij, si quod debitum tibi approbatum erit, me tibi cauturum & soluturum: sine controuersia tenebitur Titius de constituta pecunia: quemadmodum & si huiusmodi literas faciat: Decem quæ Lucius Titius ex arca tua (nam solent veteres mutuas pecunias, vel de domo arcáue dare, vel de mensa argentarij, apud quem lucri gratia pecuniã deposuissent) mutuo acceperat, salua ratione vsurarum, penes me habes. Addo ad diem danda vel repræsentanda pecunia, quoniam si sine die penitus constituas, dici potest, inquit Paulus, te nõ teneri, propterea quod cõstitutũ natura sui certum tẽpus, vt diximus, exigit: quanquàm tamen, si hoc actum sit, vt repræsentetur pecunia, confestim agi possit: quo casu modicum tempus statuen-

DE PECVNIA CONSTITVTA.

ſtatuendum eſt non minus decem dierum,vt exactio celebretur.Pecunię verbum,aliter in hoc argumento veteres acceperunt, aliter Iuſtinianus. Veteres eam tantum pecuniam rectè conſtitui putabant,quæ numero, pondere,ac menſura contineretur, circa reliquas res, quandam tribuebant obligationem receptitiam, qua quis debiti prçſtationem, in ſe reciperet, quæ ſolennibus verbis erat compoſita. Iuſtinianus, ſublata receptitia actione, longius extendit vtilitatem conſtitutoriç, ita vt eas etiam res, quæ functionem in genere ſuo non recipiunt, apprehendat. Debitam pecuniam,in rem exigimus, & ideo nihil refert,vtrum is qui conſtituit debeat,an alius. Præterea debitum ex quacunque cauſa conſtitui poteſt, id eſt, ex quocunque contractu,ſiue certi, ſiue incerti. Item ſiue natura debeatur tantum,ſiue iure honorario,nõ autem iure ciuili : nam ſi quis conſtituerit, quod iure ciuili debeat,iure prætorio non debeat,id eſt,per exceptionem,cõſtituendo non tenetur,quia debita iuribus non eſt pecunia,quæ conſtituta eſt,nec habet in ſe naturalem illam æquitatem,qua ſola nititur actio conſtitutoria. Cũ enim regulariter ex nudo pacto, nulla oriatur actio : ex conſtituto tamen,ideo placuit naſci,quoniam & validam habet actionem ante ſe,cui incũbat,& pertinet ad cõmunem ac frequentẽ vſum mercatus,& eſt graue fidem fallere. Verba autem prætoris ſic dicunt.Qui pecuniam eámque cùm conſtituebatur debitam, conſtituerit,ſi appareat eum qui conſtituit, neq; ſoluere,neque feciſſe,neque per actorem ſtetit,quo minus fieret,quod conſtitutum eſt,iudiciũ dabo. Nunc verò tranſeamus ad illas formas cõtractuum,in quibus ſpecies verſatur.

m DE NE-

non turbat hoc inquam: quoniam quantum ad sacras literas attinet, eas sic accipiẽdas esse censuit Augustinus, & post eum alij, vt non de sacramento publice in iudicio dato intelligantur, sed de priuato, quod propria voluntate superstitionéue suscipitur. Nam quemadmodum in causis priuatis, & vita communi, deierare, partim periculosum est, & ad periurium procliue, partim nihil aliud, quàm sacrosanctum Dei nomen, rebus friuolis & inanibus admiscere: ita per contrarium, vt in ijs iudicijs, in quibus nulla ope humana veritas exquiri ac erui potest, ad Deum optimum maximum, tanquam ad summum ac supremum iudicem, prouocatio fit, non solum ad expediendas lites maximam habet oportunitatem, verum ad conseruandam etiam & stabiliendam in Republica religionem. Atque hac quidem etiam causa fit, vt nec in periurium inquiratur, quasi scilicet vtile sit Reipublicæ, teste Cicerone, Deum ipsum vindicem contemptę religionis constituere, nec de facili suspicari, quemquam esse tam deploratum, qui tam nefandum & impium scelus, in se admittere velit. Nisi fortasse de eo dicas, qui iam manifestus sit, talis esse, vt vel omnino Deum esse neget, vel nulla eum rerum humanarum cura tangi existimet: huic enim ego homini tanquam penitus efferato ac immani, nullum iusiurandum deferendum cum Platone censeo: quemadmodum, nonnunquàm per contrarium contingit, vt propter summã ac spectatã fidẽ, iusiurãdum (sic enim de Xenocrate legimus) alicui publicè remittatur. Concipi autem solebat olim iusiurandum verbis solennibus, idque duobus ferme modis. Vno cum quis testem Deũ inuocaret, quale est illud apud Virgilium: Esto nũc sol testis, & hæc mihi terra precãti, Et pater omnipotens, & tu Saturnia Iuno. Item illud. Audiat hęc genitor, qui fœdera fulmine sancit. Tango aras, mediósque ignes, & numina testor. Altero cum quis capiti suo, filiorúmue suorum male precaretur, si contra quam esset conuentum, fecisset, Nam lapidem silicem tenebant iuraturi

iaturi per Iouem, hæc verba dicentes: ſi ſciens fefellero, ita me Dieſpiter, ſalua vrbe arceque, bonis eijciat, vt ego hunc lapidem. Nā qui per ſalutē ſuam iurat, inquit Vlpia. vel per fortunā principis, q̄ pro numine coli cœpt⁹ eſt ſub Tiberio, licet per Deū iurare videatur, attamen ſi nō ita ſpecialiter iusiurandū ei delatum eſt, iuraſſe non videtur. Ac dicebātur quidē pręiuratiōes facere hij, qui ante alios cōceptis verbis iurarent, poſt quos in eadē verba iurantes, tātummodo dicebant: idem in me. Diuiditur autem omne ſacramentum, in voluntarium, & neceſſarium, ſiue iudiciale. Voluntarium eſt duplex, vnum quod ex conuentione extra iudicium defertur, quod referri non poteſt, vt inquit Paulus. cap. 17. Alterum quod in iudicio à litigatore, litigatori datur, in quo regula eſt, manifeſtę turpitudinis eſſe, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre: eſtque hoc vtrique commune, vt ſpeciem quandam pactionis tranſactioniſue, ac ſolutionis, vt eſt apud Caium, contineant. Neceſſarium ſiue iudiciale, duplex quoq; eſt, alterum quod litem finit, alterum quod in litem vocatur. Quod litem finit ac terminat, proprie illud eſt, quod neceſſarium vel iudiciale dicitur, habens maiorem authoritatem, propter religionem, quam res iudicata. Nam in bonæfidei contractibus, nec non in alijs cæteris cauſis, inopia probationum, per iudicem, iureiurando, cauſa cognita, res decidi oportet, & ſi delato vel relato iureiurando, iuratum ſit, vel gratia facta, hoc eſt, cum paratus eſſet aduerſarius, remiſſum ſacramentum, ad ſimilitudinem iudicati, in factum actio competit. Ait namque prętor. Eum a quo iusiurandum petitur, ſoluere aut iurare " cogam, & ſi conditione delata, non propria ſponte, " nam ita nulla religio eſt, iurauerit, eius rei de qua iusiu- " randum delatum fuerit, neque in ipſum, neque in eum ad " quem ea res pertinet, actionem dabo. Iusiurandum in li- " tem eſt, quod ex delatiōe præſtat is, cui res ab aduerſario non exhibetur, vel reſtituitur, in quo permittitur ei, de æſtimatione ipſius rei, ac eius quod intereſt, in infini-

DE IVREIVRANDO SIVE VOLVNTARIO SIVE NECESSARIO, SIVE IVDICIALI.

DE IN LITĒ IVRANDO.

locum non apparentis rei, id quod intereſt, præſtetur. Item vt re ſalua damnum culpa commodatarij circa rem datum exhibeatur, & ſi aliter quàm cōuenit, commodatarius re vſus ſit, eius quoque ratio habeatur. Nam refert Valerius, quendam aliquando furti damnatū fuiſſe, quod equo, cuius vſus illi vſque Ariceam commodatus fuerat, vlteriore eius municipij cliuo vectus eſſet. Planè ſi commodauero tibi equum, vt eo vtereris, vſque ad *certum* locum: ſi nulla culpa tua interueniente, in ipſo itinere deterior equus factus ſit, non teneberis cōmodati: nam ego in culpa ero, qui in tam longum iter cōmodaui, qui eum laborem ſuſtinere non potuit. Prterea quantū ad interitum rei commodatæ attinet, ea vel dolo commodatarij perit, vel fortuitu, vel culpa, ac negligētia. De dolo ſemper tenetur commodatarius, nam in *commodato*, nec hæc quidem pactio, ne dolus præſtetur, rata eſt. De caſu, regulariter nō obligatur, niſi aliqua culpa interueniat: nam in incendio, qui cum poſſet res commodatas ſaluas facere, ſuas prætulit, tenetur. Item ſi tibi equum commodauero, vt ad villam duceres, tuque ad bellum duxeris, periculi eum tui feciſti. Culpa, alia eſt lata, alia leuis, alia leuiſſima. Culpa lata, cum prope dolum ſit, iiſdem continetur iuris regulis, quibus ipſe dolus. Leuiſſima, non longe abeſt à fortuito caſu, & ideo de ea non videtur teneri commodatarius, niſi forte vel ſuſpicionem quandam negligentiæ ſecum trahat, vt in furto, vel res ęſtimata data ſit. Leuis computatur duobus modis, nam cum patrumfamilias, in re familiari procuranda, nōnulli culpam vitent, nonnulli laudem mereantur: in quibuſdam contractibus, hoc probatum eſt, vt ſola culpa pręſtetur, veluti ſi quid fiat, quod infra modum ſit eorum, qui mediocritatem in domo gubernanda tuentur, in quibuſdam, vt etiam diligentia exigatur, videlicet, vt ſi quid minus præſtetur, quàm laudatum patremfamilias deceat, impunitum non relinquatur, eſtque nihil du-

bium

bium quin ad laudati probatique patrisfamilias diligentiam, commodatarius, cuius bono negotium cõtrahitur, (nam aliàs secus esset) obstringatur, nisi forte aliud sit conuentum. Contrarium commodati iudicium tunc competit, cum iustæ causæ interueniunt, ex quibus cũ eo qui cõmodauit, agi debet, veluti de impẽsis in valetudinẽ serui factis, quæue post fugã requirendi reducendique eius causa factæ essent. Nam cibariorum impensæ, naturali scilicet ratione, ad eum pertinent, qui vtendum accepisset. Sed & id, quod de impensis in valetudine, aut fuga diximus, ad maiores impensas pertinere debet, modica enim impendia, verius est, vt (sicuti cibariorum) ad eundem pertineant. Item qui sciens vasa vitiosa commodauit, si infusum ibi vinũ, vel oleum, corruptum, effusúmue est, condemnandus eo nomine est. Et quidem sicut volũtatis & officij magis, quàm necessitatis est, commodare: ita modum commodati, finemque præscribere, eius est, qui beneficium tribuit, cum autem id fecit, id est postquam commodauit, tunc finem præscribere, & retro agere, atque intempestiue rei commodatę vsum auferre, non officium tantum impedit, sed suscepta est obligatio, inter dantem accipientemque, quæ contrarium iudicium inducit. quippe adiuuari nos, non decipi beneficio oportet. Pigneratitia actio duplex quoque est, directa & contraria. Directa est, qua is qui rem pignori opposuit, soluta pecunia, agit aduersus creditorẽ, vt rem restituat, damnúmue circa eam datũm resarciat. Dico soluta pecunia, quoniam omnis pecunia exsoluta esse debet, aut eo nomine satisfactum esse, vt nascatur pigneratitia actio. Satisfactũ autẽ accipimus, quemadmodũ voluit creditor, licet nõ sit solutum: siue enim alijs pignoribus sibi caueri voluit, vt ab hoc recedat, siue fideiussoribus, siue reo dato, siue precio aliquo, vel nuda conuentione, nascitur pigneratitia actio. Et generaliter dicendum erit, quoties recedere voluit creditor à pignore, videri ei satisfactum: si is vt ipse voluit, sibi cauit, licet in hoc de-

DE PIGNERATITIA ACTIONE VEL CONTRA.

ceptus ſit. Planè ſolutam autem pecuniam accipiendum eſt, non ſolum ſi ipſi cui obligata res eſt, ſed & ſi alij ſit ſoluta, voluntate eius, vel ei cui hæres extitit, vel procuratori eius, vel ſeruo pecunijs exigendis præpoſito. Solutum autem non videtur, ſi lis conteſtata cum debitore ſit, de ipſo debito: vel ſi ipſe fideiuſſor conuentus ſit. Nouata autem debiti obligatio, pignus perimit: niſi conuenerit, vt pignus repetatur. Præterea qui reprobos nummos ſoluit creditori, neque pigneratitia agere, neque liberari poteſt, quia reprobata pecunia, non liberat ſoluentem, reprobis videlicet nummis reddendis. Quod dixi, vt rem reſtituat, huc videlicet pertinet, quia ſoluta pecunia, creditor poſſeſſionem pignoris, quę corporalis apud eum fuerat, reſtituere debet: nec quicquam amplius præſtare cogitur. Itaque ſi medio tempore pignus creditor pignori dederit, domino ſoluente pecuniam quam debuit, ſecundi pignoris, neque perſecutio dabitur, neque retentio relinquetur. Quod tandem addidi, vel damnum reſarciat, eam vim habet, vt ſi vitio creditoris res vel deteriorata ſit, vel perierit, id pręſtetur. Nam venit in hanc actionem, inquit Vlpianus, non ſolum dolus, vt in depoſito, in quo hoc tantum ſpectatur, vt quis ad ſuum modum ſit diligens, verum dolus & culpa, vt in commodato, in quo aliena etiam induſtria exquiritur. Atque ideo quemadmodum in commodato diligens eſſe debet is, qui rogauit, non ad ſuum ſolum modum, verum ad laudati etiam alicuius, & quod magis eſt, diligentiſſimi ac rari patrifamilias exemplum: ita etiam is, qui pignus accepit, non ea ſolum ratione verſari debet in pignore, qua in ſuis negotijs verſatur, verum & aliorum diligentiam imitari debet, non quidem exquiſite diligentiſſimorum, vt in commodato quod ſolius accipientis gratia cõſtituitur. ſed eorum, qui inter probatos & laudatos patresfamilias numerantur, atque hoc eſt quod dicit Vlpianus, venit & cuſtodia, vis maior non venit. Contraria pigneratitia actio eſt, quæ compe-

competit ipsi creditori, nam si necessarias impensas inquit Pomponius fecerim in seruũ aut in fundum, quem pignoris causa acceperam: non tantum retentionem, sed etiam contrariã pigneratitiam actionem habebo. Item si rem alienam mihi pignori debitor dederit, aut malitiose in pignore versatus sit, dicendum est, locum habere contrarium iudicium. Nam cum debitore qui alienam rem pignori dedit, potest creditor, contraria pigneratitia agere, etsi soluendo debitor sit. Adhæc si post distractum pignus debitor, qui precario rogauit, vel conduxit pignoris possessionem, non restituat, contrario iudicio tenetur. Si seruos pigneratos artificijs instruxit creditor, si quidem iam imbutos, vel voluntate debitoris, erit contraria actio, si verò nihil horum intercesserit: si quidem artificijs necessarijs, erit actio contraria: non tamen sic vt cogatur seruis carere, pro quantitate sumptuum debitor. Sicut enim negligere creditorem dolus & culpa quam præstat non patitur: ita nec talem efficere rem pigneratam, vt grauis sit debitori ad recuperandum: puta saltum grandem pignori datum, ab homine, qui vix luere potest, nedum excolere: tu acceptum pignori excoluisti sic, vt magni precij faceres: alioquin non est æquum, aut quærere me alios creditores, aut cogi distrahere, quod velim receptum, aut penuria coactum derelinquere me tibi. Igitur hæc à iudice erunt dispicienda, vt neque delicatus debitor audiatur, neque onerosus creditor. Nomen pignoris inquit Caius, à pugno deductũ est, quia res quæ pignori dantur, manu tradũtur, diciturque proprie pignus, quod ad creditorem transit, hypotheca, cum non transit possessio ad creditorem, sed hoc solum agitur, vt res pro obligatione personæ, oneri supponatur. Ac est hoc genus rerum contrahendarum, primum omnium ad hoc inuentum, vt securus sit creditor, quoniam plus cautionis in rem est, quàm in personam, vocaturq; hinc pignus ipsum, fiducia, quasi scilicet haud secus atque fiduciarius aliquis emptor, inter debitorem

 & cre-

& creditorem interueniat. Et non tantum ob pecuniam, ſed & ob aliam cauſam, pignus dari poteſt, veluti ſi quis pignus alicui dederit, vt pro ſe fideiubeat. Contrahitur autem pignus, non ſolum traditione, ſed etiam nuda cōuentione, etſi traditum nō eſt. Pręterea ſi ex quacunq; cauſa, magiſtratus in poſſeſſionem aliquem miſerit, pignus conſtituitur, quemadmodum & teſtamento recte conſtitui viſum eſt, quamquā vbi iuſſu magiſtratus conſtituitur, non aliâs conſtituitur, niſi ventum fuerit in poſſeſſionem. Opponimus autem recte pignori, non tantum res noſtras, verum etiam alienas, modo voluntate domini id fiat, vel is ratum habeat quod actū ſit. Adhæc ſi rē alienā pignori dediſti, deinde dn̄s rei eius eſſe cœpiſti, datur vtilis actio pigneratitia creditori, pro eius perſecutione: nā tu contra propriū tuū factum venire nō debes. Sed nō idē eſt dicēdum, ſi ego Titio, qui rē meā obligauerat, ſine mea voluntate, hęres extitero, hoc enim modo, pignoris perſecutio, non eſt cōcedenda creditori, nā cum ea res, quo ad ipſum dominum, nullo modo ſpeciem habeat pignoris, ex qua quidem ſpecie, ſolet plerumq; naſci ea actio quæ vtilis vocatur: vtiq; non ſufficit, ad competendam, per ſe ſua ſponte vtilem pigneratitiam actionem, eundem eſſe dominum, qui etiam pecuniam debet, ſed eſt neceſſarium, vt idem ille, qui pignus conſtituit, poſtea dominus rei fiat. Quāq̄ tamē, ſi Modeſtino credimus, ſub tit. de pignoribus, c. 22. nō omnino alienū eſt, quod iuri deeſt, per iudicis officium ſuppleri. Et ideo cum ęquū ſit hæredem approbare factum deceſſoris, ad iudicē pertinet, ex officio ſuo, vtilē actionem pigneratitiā, dare creditori, licet ea iure, ſecundū Paulū, non procedat. nā aliam quidem vtilemq́; actionē dicimus, iure naſci, cū videlicet negotiū nō omnino quidē proportiōe eſt directæ actionis, ſed ſpeciem quandam eius habet, aliam officio iudicis dari, cū propter æquitatem quādam extra poſitam, vtilis actio alicui religione iudicis accommodatur. De his igitur creditis in quibus ſpecies verſatur, hactenus.

DE NE-

DE NEGOTIIS QVÆ RE CONTRAHVNTVR, IN QVIBVS VEL GENVS, VEL SPECIES DEBETVR.



VPEREST, vt de ijs negotijs explicandum ſit, in quibus permiſtè, tam genus verſatur, quàm ſpecies, nam ea vel negotiatione aliqua media, interuentu certarum perſonarum, conſtituuntur, vel re, vt in compenſatione ac depoſito. Sed quæ prioris generis ſunt, ea vel peculiotens nos obſtringunt, vel in ſolidum, puta cum aut ex eo in obligationem incidimus, quod tum is, quem negotiationi maritimæ præfecimus, quem magiſtrum nauis vocamus, contraxit: tum is, quem officinæ, tabernæue noſtrę præpoſuimus, qui inſtitor appellatur: aut ex eo, quod vel ſeruus noſter, vel filius, qui in poteſtate noſtra commoratur, geſſiſſe dicitur. De quibus quidem omnibus, primo loco ac ordine dicemus, priuſquàm ad illas obligationes, quæ de peculio ſunt, & item quæ ad compenſationem ac depoſitum pertinent, perueniamus, initio ſumpto, ab ea negotiatione, quæ nautica nominatur. Dicitur autem nauis, à nauo ſecundum Feſtũ Pompeiũ, quod eſt propero, à quo gnaui & ignaui nomen habent. Diuiditur verò ſecundum Iureconſultos, tribus modis. Primo in marinam, fluuialem, & quę in ſtagno nauiget. Secundo in eam, quæ proprio nomine nauis dicatur, & eam, quę vel lintrium, pontonũ, ratium aut ſchediarũ numero veniat. Tertio in illas, quas onerarias appellamus, quas & gerarias Plautus vocat, & illas quæ ἐπιβάτηγοι dicuntur, quæ ſolis vectoribus tranſportandis, parantur. Partes eius ſpectamus, vel per ſe, vel ſecundũ negotiationũ. Priore modo, principalẽ partẽ, carinã putam⁹, cui reliqua omnia tanquàm fundamento, cedunt. Poſteriore, anchoram: nam qui magiſter nauis eſt, ei dicimus totius

nauis

nauis anchoram mandatam esse. Personæ quæ in naui versantur, & quarũ in iure ratio habeatur, hæ sunt. Exercitor, Magister, Nautæ, vectores. Exercitor est, ad quem obuentiones, & reditus omnes perueniunt, siue is dominus nauis sit, siue à domino, nauem per aduersionem cõduxit, vel ad tempus, vel in perpetuum: nec magni refert qui exercet, masculus sit, an mulier, sui iuris, an alieni. Magistrum nauis accipimus eũ, cui totius nauis anchora cu ráue mandata est, qui & nauta subinde nominatur, nec interest, vtrum liber, an seruus sit, exercitoris, an alieni, minoris ætatis, an maioris, sibi imputaturo, qui præposuit. Imponuntur autem magistri, vel locandis nauibus, vel ad merces, vel vectoribus conducendis, armamentisue emendis. Præterea magister est, non solum quem exercitor præposuit, sed etiam quem magister: nam qui scit aliquem magisterio fungi, & patitur, ipse eum imposuisse videtur. Nautæ generali nomine sunt omnes, qui nauis nauigandæ causa, in naui sunt, quamquàm in *edictis* prętorum, vel exercitor ipse, vel magister, *nauta subinde*, aut nauicularius, aut nauclerus, nauarchúsue vocetur. Sunt autẽ nautę hij, remiges, gubernatores, celeustę, proretæ, helciarij, nauphilaces, dietarij, siue potius directarij, qui omnes vno nomine mesonautæ apud Vlpianum appellantur. Vectores sunt qui ad hoc in naui sunt, vt vel soli, vel cum suis mercibus vehantur ac transportentur. His generaliter pręmissis, videamus paucis de legibus, ad rem nauticam pertinentibus, nam vel quæritur, de eo, quod cum nautis contractum est, vel de iactu in tempestate. De contractu cũ magistro nauis habito, ac edicto ea de re facto, sic habet Vlpianus. vtilitatem huius edicti patere nemo est qui ignoret. Nã cum interdũ ignari, cuius sint conditionis, vel quales, cum magistris propter nauigandi necessitatem contrahamus, ęquũ fuit eum qui magistrum naui imposuit teneri, vt tenetur qui institorem tabernę vel negotio prępOsuit, cum sit maior necessitas contrahendi cum magistro, quàm cum institore, quippe

DE EXERCITORIA ACTIONE.

res

res patitur, vt de cōditione institoris dispiciat & sic con trahat, in nauis magistro non ita, nam interdum locus vel tempus non patitur plenius deliberandi consilium. Etenim si cum quolibet nautarum sit contractum, non datur actio in exercitorem: quamqnàm ex delicto cuiusuis eorum, qui nauis nauigandæ causa in naue sint, detur actio in exercitorem. Alia enim est cōtrahendi causa, alia delinquendi: siquidem qui magistrum prępońit, con trahi cum eo permittit: qui nautas habet, non contrahi cũ eis pmittit, sed culpa & dolo carere eos, curare debet. Pręterea nõ ex omni causa prętor dat in exercitoré actioné, sed eius rei nomine, cuius ibi prępositus fuerit, id est, in eā rē, cui pręposítus fuit, vt puta si ad onus vehendũ locatũ sit, aut aliquas res emerit vtiles nauigāti: vel si quid reficiendę nauis causa contractũ, vel impensum est, vel si quid nautæ operarũ nomine peterent. Igitur pręposítio certā legem dat contrahentibus. Quare si eum præposuit naui, ad hoc solum vt vecturas exigat, non vt locet, quod forte ipse locauerat, non tenebitur exercitor, si magister locauerit: vel si ad locandum tantum, non ad exigendũ, idem erit dicendum: aut si ad hoc vt vectoribus locet, nõ vt mercibus nauem præstet, vel contra, modũ egressus, non obligabit exercitoré. Sed & si vt certis mercibus eā locet præposit⁹ est, puta legumini, canabi: & ille marmoribus vel alij materiæ locauerit, dicendum erit exercitorem non teneri. Quædam enim naues onerariæ, quędam (vt ipsi dicunt) ἐπιϐάτηγοι sunt. Et plerosque mandare cõstat, ne vectores recipiāt: & sic vt certa regione, & certo mari negotientur: vt ecce sunt naues quę Brundusium, vel à Capua, vel à Dyrachio vectores traijcũt, ad onera inhabiles. Item quædam capaces ad flumina, ad mare nõ sufficientes. Si plures nauem exercēt, cum quolibet eorum in solidum agi potest, ne in plures aduersarios distringatur, qui cum vno contraxerit, nisi forte plures per se nauem exerceāt, nam hij pro portionibus exercitionis cõueniũtur. De iactu è naui, qui propter vim tem-

DE LEGE RHODIA DE IACTV

pestatis, nauis leuãdæ causa fieri solet, vtimur lege Rhodia de iactu, qua cauetur, vt si leuandæ nauis gratia iactus mercium factus sit, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est, nam hoc vtique æquissimum est, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum, consecuti sunt, vt merces suas saluas haberent. Et quidem cum in eadem naue varia mercium genera complures mercatores coëgissent, prætereaque multi vectores serui liberique in ea nauigarent, tempestate graui orta, necessario iactura facta erat: quæsita deinde sunt hæc: an omnes iacturam præstare oporteat? & si quidem tales merces imposuissent, quibus nauis non oneraretur, veluti gemmas, margaritas: & quæ portio pręstanda est, & an etiam pro liberis capitibus dari oporteat? & qua actione ea res expediri possit? Placuit, omnes, quorum quid interfuisset iacturam fieri, conferre oportere: quia id tributum ob seruatas res deberent, itaque dominum etiam nauis pro portione obligatum esse. Iacturæ summam, pro rerũ precio distribui oportere. Corporum liberorum, ęstimationem nullam fieri posse. Ex conducto dominos rerum amissarum cum nauta, id est cum magistro acturos. Inde agitatum est, inquit Vlp. an etiã vestimentorũ cuiusq;, & annulorum æstimationem fieri opoteat? Et omnium visum est, nisi si qua consumendi causa imposita forent: quo in numero essent cibaria, eo magis, quod si quando ea deficerent in nauigatione, quod quisque haberet, in commune conferret. Enimuero si res quæ iactæ sunt apparuerint, exoneratur collatio, nam qui leuandæ nauis gratia res aliquas proijciunt: non hanc mentem habent, vt eas pro derelicto habeant: quippe, si inuenirint eas, ablaturi: & si suspicati fuerint in quem locum iactæ sunt, requisituri: vt perinde sit, ac si quis onere pressus in viam rem abiecerit, mox cum alijs reuersurus, vt eandem auferret. Præterea si conseruatis mercibus deterior facta sit nauis, aut si quid exarmauerit, nulla facienda est

collatio:

collatio:quia dissimilis earum rerum causa sit,quæ nauis gratia parentur, & earum pro quibus mercedem aliquis acceperit. Nam & si faber incudem, aut malleum fregerit, non imputaretur ei qui locauerit opus. Sed si voluntate vectorũ, vel propter aliquem metũ id detrimentum factum sit: hoc ipsum sarciri oportet. Nam cum aut arbor,aut aliud nauis instrumentum, remouendi communis periculi causa deiectum est, contributio debetur. Quæ terra exercetur mercatura,ea vel per ipsos negotiatores exercetur,vel per institores,vultque Plato huic rei adhiberi nõ generosos & pręstãtes in Republi. homines ac ciues, sed viles & peregrinos, in quibus non multum est iacturæ, si fortasse contingat eos labe aliqua corrumpi vel aspergi: non quidem quod vir ille mercaturam tãquam per se turpem,damnandam & eijciendam è Republica sentiat, sed quod nullam putet esse artem, quæ facilius animos nostros a virtute detorqueat,& ad omne genus fraudis ac luxus inuitet ac impellat, quàm mercatura, maxime si venalitiaria sit, & circa res minutatim distrahendas vertatur. Est autem appellatus institor ex eo,quod negotio gerendo instet,nec multum facit,tabernæ sit præpositus, an cuilibet alij negotiationi: cum interdum etiam ad homines honestos afferant merces, & ibi vendant. Nec mutant causam actionis,locus vendẽdi,emendíue:cum vtroque modo verum sit,institorem emisse, aut vendidisse. Cuicunque igitur negotio prępositus sit, institor rectè appellabitur. Nam & Seruius libro primo ad Brutum ait, si quidẽ cum insulario gestũ sit,vel cum eo quem quis ædificio prępo suit,vel frumento emẽdo,insolidũ eũ teneri. Adhæc parui refert,quis sit institor,masculus an fœmina,liber an seruus, proprius an alienus,item quis,quęue præposuit.Nam etsi mulier prępo suit,competit institoria actio:exemplo exercitoriæ actionis. Etsi mulier sit præposita,tenebitur etiam ipsa. Sed etsi filiafamilias sit, vel ancilla præposita, competit institoria actio.Pupillus autem institor,obligat eum,qui

DE INSTITORIA ACTIONE.

eum præposuit, institoria actione: quoniam sibi imputare debet, qui eum præposuit. Nam & plerique pueros puellasque tabernis prȩponunt. Et generaliter institor is est, qui tabernæ, locóue, ad emendum, vendendúmue præponitur, quique sine loco ad eundem actum præponitur. Circa id autem quod per institorem contractum est, æquum prætori visum est, sicut commoda sentimus ex actu institorum, ita etiam obligari nos, ex contractibus ipsorum & conueniri, sed hoc ita, vt conditio præpositionis obseruetur: nam si certa lege, vel interuentu cuiusdam personæ, vel sub pignore, voluit cum eo contrahi, vel ad certam rem, æquissimum erit id seruari, in quod prȩpositus est. Nam & si denunciauit cui dominus, ne cum eo contraheret, nõ debet institoria teneri.

DE TRIBVTORIA ACTIONE.

Iam autẽ si seruus per se negotietur, non in patrimonio quidẽ aut merce domini, vel maritima, vel terrestri, sed in peculiari, refert ignorãte domino id fiat, an sciente. Si ignorante, nihil amplius competit aduersum eũ, q̃ actio de peculio, in qua receptũ est, secundũ quod paulò post probabimus, vt dominus, deducto eo, quod sibi debetur, id quod superest de peculio, creditoribus cedat: si sciente, datur illa actio, quæ à cõtribuendo, tributoria nominatur. In hac illud receptum est, vt non solidum debitũ, quod sibi à seruo debetur, prius deducat dominus, sed vt velut extraneus creditor, cum reliquis creditoribus, in tributum vocetur, videlicet, ne scienter ac prudenter permittens seruum in peculiari merce negotiari, ac cum multis cõtrahere, reliquos in fraudem illiciat, dum suum debitum integrum seruare cupit. Fit autem tributio pro rata eius quod cuique debetur, & ideo, si vnus creditor veniat, desyderãs tribui, integram portionem consequitur: sed quoniã fieri potest, vt alius quoq;, vel alij existant peculiaris mercis creditores, cauere debet creditor iste, pro rata se refusurum, si fortè alij emerserint creditores: non enim hæc actio, sicut de peculio, occupantis meliorem conditionem facit, sed ȩqualem conditionem, (nam

hoc

hoc profiteri videtur, qui primus agit) quãdocunq; agentium. Præterea illud quoq; cauere debet, si quòd aliud domini debitũ emerserit, refusurũ se ei pro rata: finge enim cõditiõale debitũ imminere, vel in occulto esse, hoc quoque admittẽdũ est, nã iniuriã dominus pati nõ debet, licet in tributũ vocatur. Et si dominus ipse tribuere nolit, nec illam molestiam suscipere, plerumque arbitrum in hanc rẽ dat Prętor, cuius interuentu tribuantur merces peculiares. Plane licet mercis appellatio angustior sit, vt neq; ad seruos, fullones, vel sarcinatores, vel textores, vel venaliciarios, pertineat: tamẽ ad omnes negotiationes porrigitur hoc edictũ. Item scientiã in domino hic accipimus, nõ voluntatem, sed patientiam, non enim velle debet dominus, sed non nolle: & ideo si scit, & non protestatur, & nõ contradicit, tenebitur actione tributoria. Si non seruus sed filiusfamilias, qui patrię potestati subditus est, contrahat, postquàm exiuit de patria potestate, manet nihilominus obligatus: nã tam ex contractibus, quàm ex delictis, in filiumfamilias competit actio: sed si contingat eum vel viuo patre emancipari, vel post mortem patris, aut exhęredatum reperiri, aut abstentum ab hæreditate paterna, æquum visum est non in solidũ eum conueniri, de ea obligatione, cuius vtilitas, alienis, hoc est paternis ratiõibus applicata est, sed in quantum facere potest: nimirum vt hoc temperamento, & creditori sua actio conseruetur aduersus eum, cum quo contraxit, & ab eo qui nullo ex eo contractu lucro affectus est, nimiũ damnum auertatur.

QVOD CṼ EO QVI IN ALIENA POTESTATE EST NEGOTIVM GESTṼ ESSE DICETVR.

Verba verò Prętoris hæc sunt: "In eũ qui emãcipatus aut exhędetatus erit, quíue abstinuit se hęreditate eius, cuius in potestate cũ moritur fuerit, eius rei nomine, quæ cum eo contracta erit, cũ is in potestate esset, siue sua voluntate, siue iussu eius, in cuius potestate erat cõtraxerit, siue in peculium ipsius, siue in patrimonium eius, cuius in potestate fuerit, ea res redacta fuerit, actionem causa cognita dabo, in quod facere potest." Sed & si citra emancipationem sui iuris factus sit, vel in adoptionem datus, deinde

» de pater naturalis decesserit, item si quis ex minima par-
» te sit hæres institutus, ęquissimum est, causa cognita, etiá
» in húc dari actioné, in id quod facere potest. Enimuero, si quis mutuam pecuniam numeratam det filiofamilias, non est locus huic edicto: nam ei, ne post morté quidem patris, vlla actio petitioque datur, propter Senatusconsultum Macedonianum, quod pręter communem rationem reliquorum senatusconsultorum, quibus ab ipsis authoribus nomina imponi solent, nomen suum accepit ab eo fœneratore, qui illi causam dedit. Verba auté eius

AD SENATVSCŌSVLTVM MACEDONIANV̄.

» sic habét: Cum inter cęteras sceleris causas Macedo, quas
» illi natura administrabat, etiam ęs alienū adhibuisset, &
» sæpe materiam peccandi, malis moribus pręstaret: quod
» pecuniam, ne quid amplius diceretur, incertis nomini-
» bus crederet: placere, ne cui qui filiofamilias mutuam pe-
» cuniam dedisset, etiam post mortem parentis eius, cuius
» in potestate fuisset, actio petitioque daretur, vt sciret qui
» pessimo exemplo fœneraret, nullius posse *filijfamilias*
» bonum nomen, expectata patris morte, fieri. Ac est quidé incertis nominibus credere, cum solū nomé debitoris calendario, vel libro rationū inseritur, ipsa verò causa debiti, vel vsus, ad qué mutuū datur, quéadmodum author est Demosthenes, non exprimitur. Enimuerò is solus offendit senatusconsultum, qui mutuam pecuniam filiofamilias dedit, nō qui aliàs cōtraxit, puta, quia vendidit, locauit, vel aliomodo contraxit: nam pecuniæ datio, perniciosa parentibus eorū visa est, non alius aliquis cōtractus, nisi si forte fraus adhibeatur senatusconsulto, colore quęsito: nam si frumentū, vel oleum, vel quid simile detur, vt his distractis pecunia vtatur, subueniendum est filiofamilias. Post expositas actiones, qbus quis in solidū ex cōtractu alterius, qué in potestate habet, cōuenitur, ordinariū est, vt ad eas perueniamus, quibus de peculio agitur: ná omnia proconsul agit, inquit Caius, vt qui cōtraxerit cum eo, qui in aliena potestate sit, etiási deficiant superiores actiones, nihilominus tamé in quantū ex bono

& æquo res patitur, suum consequatur. Est igitur hoc ædictum triplex: Aut enim de peculio, aut de in rem verso, aut quod iussu hinc oritur actio. Peculium dictũ est, inquit Vlpianus, quasi pusilla pecunia, ducto nomine à pecore, secundum Marcum Terentium Varronem, à quo & pecunia appellata est, quæ est nobilium: (nam pecunia sacrificium fieri dicebatur, cum fruges, fructusq; offerebantur, quia ex his rebus constat, quam nunc pecuniam dicimus, inquit Festus) & peculium, quod est seruorum & filiorumfamilias, qui ad instar seruorum in multis iuris articulis obtinent. Atque hinc quidem pecuniam illam, quę pręsidij causa, bellis ingruẽtibus, reponeretur, peculiũ veteres rustici vocare solebant, dictitantes pecuniam sine peculio fragilem esse. Estq; ferè hinc nata origo peculij, quod serui de dimenso suo, qđ erat quaternorũ modiorũ frumenti in mensem, pauxillatim aliquid conparcentes voluntate domini reponerent. nam peculium, inquit Florentinus, & ex eo consistit, quod parsimonia sua quisque parauerit, vel officio meruerit, à quolibet sibi donari, idq; velut proprium patrimoniũ seruum suũ habere quis voluerit. Definitur autẽ secundum Tuberonẽ in hunc modũ: peculiũ est, quod seruus domini permissu separatim à rationibus dominicis hábet, deducto inde, siquid domino debetur. Domini permissum accipe cum effectu, nã non id cuius seruus seorsum à domino rationẽ habuerit peculiũ est, sed quod dominus ipse separauerit, suá substantiam, à serui ratione discernens, idq; nõ nuda voluntate, sed traditione vel quasi. Ideo autẽ deducto eo, ꝗ domino debetur peculiũ cõputatur, quia præuenisse dominus & cũ seruo egisse creditur. Possunt autẽ in peculio esse oẽs res & mobiles & soli. Natura eius est, vt nascatur, crescat, decrescat & moriatur, & ideo elegãter Papyrius Frõto dicebat peculiũ simile esse homini. Nascitur autẽ si id acqsiuit seruus, quod dominus necesse nõ habet ei præstare: crescit cum auctum fuerit: decrescit cum serui vicarij moriuntur, res intercidunt: moritur cum ademptum sit.

DE PECVLIO.

Iam autem de actione, quæ pro peculio competit, sic ait Prætor: Quod cum eo, qui in alterius potestate esset, ne-
" gotium gestum erit, de eo, contra dominum, duntaxat
" de peculio, & si quid dolo malo domini captus, frau-
" datusque actor est: quo minus peculij sit, iudicium dabo. Hæc actio, quamdiu seruus vel filius in potestate est, perpetua est, post mortem aūt eius, vel postquam emancipatus manumissus alienatúsue fuerit, tēporalis esse incipit hoc est annalis, siue anni vtilis. Ná cum morte vel alienatione extinguitur peculium, sufficit vsq; ad annum produci obligationē. Verba aūt Prętoris sic dicūt: Post mor-
" tem eius, qui in alterius potestate fuerit, posteáue quam
" is emácipatus, manumissus, alienatúsue fuerit, duntaxat
" de peculio, & si quid dolo malo eius, in cuius potestate
" est, factum erit, quo minus peculij esset in anno, quo pri-
" mū de ea re experiūdi potestas erit, iudiciū dabo. Atq; hęc quidem si serui aut filijfamiliarū habeant peculiū. Si nihil habeāt in peculio, in solidum tamen tenentur, qui eos habēt in potestate, si in rem eorum, quod acceptum est, conuersum sit, quasi cum ipsis potius contractum videatur. Nec videtur frustra de in rem actio promissa, quasi sufficeret de peculio: rectissime enim Labeo dicit, fieri posse, vt & in rē versum sit, & cesset de peculio actio: quid enim si dominus peculium ademit, sine dolo malo: quid si morte serui extinctum est peculium, & annus vtilis præterijt? de in rem verso namque actio, perpetua est, & locum habet, siue ademit, sine dolo malo, siue actio de peculio anno finita est. In rem auté versum videtur, siue idipsum quod seruus accepit, in rem domini cōuertit, veluti si triticum acceperit, & idipsum in familiam domini, cibariorum nomine consumpserit, aut si pecuniam à creditore acceptam, dominico creditori soluit. Et regulariter dicimus, toties de in rem verso esse actionem, quibus casibus procurator mādati, vel qui negotia gessit negotiorum gestorum haberet actionem, quotiesque aliquid cōsumpsit seruus, vt aut meliorem rem dominus ha

QVANDO DE PECVLIO ACTIO ANNALIS EST.

DE IN REM VERSO.

buerit, aut nō deteriorem, si modo nō id factum sit, quod ipse dominus, facturus non fuisset, nam non debet ex eo onerari dominus. Illud quoq; in rem domini versum Labeo ait: quod mutuatus seruus, domino emit volenti, ad luxurię materiam, vnguenta forte, vel si quid ad delitias, vel si quid ad turpes sumptus subministrauit, neque enim spectamus, an bono domini accesserit, quod cōsumptum est, sed an in negotium domini. Nam vt cognoscamus vtrum quid in rem domini versum sit, nec ne, duo sunt propositi fines ac termini, vtilitas videlicet domini, quā nec ipse aspernaretur, & voluntas, cum eo volente seruus æs alienū contrahit. A qua quidem specie, non longe abest id, quod iussu domini, cum seruo eius geritur, nisi quod in actione de in rem verso, mandatum ipsi seruo factum, spectemus: in quod iussu, iussum factum ei, qui cum seruo contrahit. Ait itaq; Vlpianus in hunc modum: Merito ex iussu domini vel patris, in solidum aduersus eum iudicium datur, nam quodammodo cum eo contrahitur, qui iubet. Iussum autem accipiendum est, siue testato quis, siue per epistolam, siue verbis, aut per nuncium, siue specialiter in vno contractu iusserit, siue generaliter: & ideo si sic contestatus sit, quod voles, cum Sticho seruo meo, negotium gerere, periculo meo: videtur ad omnia iussisse, nisi certa lex aliud prohibeat. Quoniam autē ista obligatio, nō omnino aliena est, à fideiussione vel saltem cognatione aliqua cum ea coniungitur, vix est, vt ex ea mulier conueniri possit. Nam senatusconsulto Velleiano plenissime comprehensum est, ne pro vllo fœminę intercedant, cum primo temporibus diui Augusti, mox deinde Claudij, edictis eorum erat interdictū, ne fœminę pro viris suis, à quibus facile delinimentis & maritalibus illecebris, ad hoc pellicerentur, intercederent. Verba senatusconsulti hæc sunt: Quod Marcus Syllanus & Velleius tutor consules, verba fecerūt, de obligationibus fœminarum, quæ pro alijs reæ fierent, quid de ea re fieri oportet, de ea re ita cōsuluerūt. Quod ad fideiussiōes & mutui

QVOD IVSSV

AD SENATVSCŌSVLTVM VELLEIANVM.

„ datiões pro alijs quibus intercesserint fœminę pertinet, „ tametsi ante videtur, ita ius dictum esse, ne eo nomine ab „ his petitio, néue in eas actio detur, cùm eas virilibus offi „ cijs fungi, & eius generis obligationibus obstringi non „ sit æquũ: arbitrari senatum recte atq; ordine facturos, ad „ quos de ea re in iure aditum erit, si dederint operá, vt in „ ea re senatus voluntas seruetur. Ratio autem huius senatusconsulti est duplex: Vna ne contra sexus sui verecundiam fœminę ciuilibus ac virilibus officijs se immisceát: nam id legibus Romanorum indignum visum est, suntq; ea de causa nonnulli Cæsares in historia notati, q̃ contra morem maiorũ, fœminas in senatum induxissent. Et quod fideiussiones ac intercessiones, pro publicis olim negotijs habitæ semper sunt: hinc nimirum cõstat, quod & iudiciales sint, & non nisi stipulatione intercedente cõtrahantur. Altera causa est, ne propter imbecillitatem sexus muliebris, qui multis huiusmodi casibus suppositus, atq; subiectus est, vt inquit etiam alibi Plato, in graue aliquod damnũ ac ruinam patrimonij sui trahantur mulieres, quia iuxta vetus Prouerbium: Spondę noxa prę sto est. Et ideo sicut moribus ciuilia officia adempta sunt fœminis, & pleraq; ipso iure non valent, ita multo magis adimẽdum eis fuit id officium, in quo non sola opera, nudumq; ministeriũ earum versaretur, sed etiam periculum rei familiaris. Cessat autem hoc senatusconsultum, si callide sint versatę mulieres, nam vt habet egregium Seueri & Antonini rescriptum ἐξαπατούσαις τῶν γυναικῶν οὐ βοηθεῖ τὸ τῆς βουλῆς δόγμα. Præterea, si eum defendat mulier, qui damnatus regressum ad eam habeat, veluti cum venditorem hæreditatis sibi venditę vel fideiussorem suum defendit, intercedere non videtur, quemadmodum nec eo casu quo pecuniam pro debitore donandi animo numerat. Nam senatus obligatæ mulieri succurrere voluit, non donanti, vtpote quia facilius se obliget mulier, quam alicui donet. Planè quæ in fraudem senatusconsulti excogitata probari possunt, rata inquit

Paulus

Paulus haberi nō oportet. Expositis ijs tam generum, quàm specierum contractibus, quæ personarum intercessione tāquam re fiunt, superest, vt de ijs paucis tractemus, in quibus ipsa res interueniens, vel generis, vel speciei, obligationem inducit. Hij autē nascūtur, vel ipso iure, cū vltro citroq; debitū exoritur, ex quo quidem contingit compensatio, in qua regulariter genus versatur, subinde autē species, vt cùm negligentiā, cū negligentia, dolum cum dolo compensamus: vel facto contrahentiū, vt cum aliqua res deponitur, in quo fere quidē species, sed nōnunquā tñ genus debetur, vt cū pecunia ita deponitur, vt tantundem pecuniæ reddatur. Compensationem definit Modestinus hoc modo: Compensatio est, debiti & crediti inuicem inter se contributio, nam vnusquisque creditorem suum eundemque debitorem petentem submouet, si paratus est compensare, estque ideo compensatio necessaria, quia interest potius nostra non soluere, quàm solutum repetere, ne videlicet frustrà per plura fiat, quod fieri potest per pauciora. Veniunt autem in compensationem etiam ea, quæ vel ex maleficio debentur, vel ex stipulatu, & id nulla facta distinctione inter fiscū & priuatum. Debitum in diem, & quod ob negotium copiarum expeditionis tempore mandatum est, quódue alternatim vel alij debetur, non compensatur. Quod autem naturaliter debetur, recte venit in compensationem, quanquam quod per exceptionem perimi potest, nō veniat: & ratio quidem differentiæ est, quia cum naturalis sit compensatio, vtique debent in eam deduci & ea, quæ naturali ratione debentur, licet nulla ciuilis actio, pro ijs competat: contra quæ iure naturali nō sunt debita, cuiusmodi sunt, quæ per exceptionem tolluntur, merito excluduntur ab ea, licet iure legittimo actio pro his tribuatur. Effectus autē cōpensationis nō exiguus est eo casu, cum alter alteri pecuniā sine vsuris, alter vsurariam debet, nam constitutum est, à diuo Seuero, concurrentis apud vtrumq; quantitatis, vsuras non esse pręstandas.

DE COMPESATIONIBVS.

DEPOSITI VEL CONTRA.

Depositum est, inquit Vlpianus, quod custodiendum alicui datum est, dictum ex eo, quòd ponitur: præpositio enim de, auget positum, vt ostendat totum fidei eius commissum, quod ad custodiam rei pertinet. Nam cum in omnibus negotijs, secundum Plutarchum hoc agatur, vt vel res acquiratur alienetúrue, vel vsus eius & vtilitas præstetur, vel custodia curáue committatur: sic per rerum naturam euenit, vt vniuscuiusque generis, tam re q̃ consensu constitutus, contractus aliquis, reperiatur. Et in acquirendo quidē ac abalienãdo, cõsistunt, emptio, ac mutui datio, in vsu ac vtilitate concedenda, locatio & commodatum, in custodiendo curandóue, mandatum & depositum. Sed existunt persępe casus, in quibus haud facile discernas, vtrum ne res depositi an mandati legem habeat, nam cum emptio & mutui datio, hac nota pręcipue distinguantur, vt emptionem & venditionem vltro citroq; obligatoriam dicamus, mutuũ ab vna solum parte obligationem habere: item cõmodatum, & locatum hoc discrimine, vt in locato merces interueniat, commodatũ gratuitum sit: inter depositum & mãdatum vix est, vt tam euidentem ac apertam, tamq́ue propriam differentiam inuenias. Nam quod vnum re contrahitur alterum consensu, næ hoc commune est in omnibus de quibus supra diximus cõtractibus. Nisi fortassis illud pro generali disciplina tradideris, in mãdato proprie hoccõueniri, vt aliquid agatur, licet custodia per cõsequentiam accedat, contra in deposito hoc spectari, vt res custodiatur, licet procuratio quædam per sequelam adijciatur. Refert Ælianus, libro de varia historia, legem apud Ægyptios fuisse, vt ne cui deponere vel depositum suscipere liceret, sed mihi probatur hæc forma Reipublicæ, in qua depositum quidem ipsum permittitur, propter varias hominum necessitates, sed ne qua fraus cui fiat, diligens cautio adhibetur, estq́; idem & in Repu. Mosaica receptum, nisi dicas Ælianum, de illo forte deposito loqui, quod ad mensas argentariorum, fœnerandæ pecuniæ gratia, fieri

solet,

ſolet, quod quidem à fœneratione, meo iudicio, non differt. Actiones quæ in hoc argumento competunt, ſunt duæ, vna directa, alia contraria. De directa ſic ait prætor: " Quod neque tumultus, neque incendij, neq; ruinæ, neq; " naufragij cauſa, depoſitum ſit, in ſimplum, earum autem " rerum, quæ ſupra comprehéſæ ſunt, in ipſum, in duplum, " in hæredem eius, quod dolo malo eius factũ eſſe dicetur, " qui mortuus ſit, in ſimplum, quod ipſius, in duplum iudi " cium dabo. Competit autem hæc actio, pro re depoſita repetenda, aut ſi quid dolo depoſitarij factum ſit, circa ipſam rem, ná de culpa, quia nulla vertitur vtilitas eius, qui ſuſcepit depoſitum, merito placuit eum non teneri, niſi fortaſſis vel dolus ſemel præceſſerit, vel culpa talis interueniat, quæ in doli crimen incidat. Nam de priore ſpecie, ſic ait Vlpianus: Si rem depoſitã vendidiſti, eáq; poſtea redemiſti in cauſam depoſiti, etiáſi ſine dolo malo, poſtea perierit, teneris depoſiti, q; ſemel dolũ feciſti cum venderes. de poſteriore ſic dicit Celſus: quod Nerua dicit latiorem culpam dolum eſſe, Proculo diſplicebat mihi veriſſimum videtur. Nam & ſi quis non ad eum modum, quem hominũ natura deſiderat, diligens eſt, niſi tamen ad ſuum modum curam in depoſito præſtet, fraude non caret, nec enim ſalua fide, minorem hisquam ſuis rebus diligentiam præſtabit. Tribuitur hæc actio, non ſolum domino qui depoſuit, verum etiam prædoni & furi, nam intereſt inquit Marcellus eorum, eo quod teneátur. quamquàm tamẽ, ſi dominum nouerit depoſitarius, magis eſt, vt inquit Cicero, ac poſt etiã Triphonin⁹, vt ei recte ſine fraude reſtituere illi liceat, videlicet inſpecta non partis alicuius, ſed totius rei quæ ex omnibus perſonis quę in negotio geſto continguntur, impletur, æquitate. Tenetur autẽ hac actione, tum is apud quem depoſitum eſt, tum hæres eius ex dolo defuncti, nam licet in maleficijs dolus deceſſoris, non afficiat ſucceſſorẽ: tamẽ ſecus acceptum eſt in his negotijs, quæ ex contractu conſiſtunt, & rei perſecutionem continent. Tenetur etiam

hac

hac actione sequester, qui ab eo, quod vtraq; pars fidem ei⁹ sequatur, nomẽ, vt inquit Gellius, inuenit. Nã proprie in sequestro est depositũ, quod in cõtrouersiã deductũ, à pluribus insolidum (quod secus habet in simplici deposito) certa conditione custodiendum, reddendumq; traditur, possessione in eũ qui accepit (quod & itẽ aliter probatũ est in deposito) translato, ne videlicet interea temporis, alicuius litigantiũ possessio procedat. Ac solent quidem veteres, nõ harum solum rerum sequestres habere, verum etiam iudiciorum & suffragiorum, quoties videlicet sordes interueniẽrt, vel pro sentẽtia ferenda, vel pro suffragio: nã ij quidẽ per quos huiusmodi pactiões inducebãtur, interpretes secũdũ Asconiũ dicebãtur: apud quos verò pecunia, quę suffragatori daretur, si cõuentis staret, deponeretur, sequestres. Quod in eos qui incẽdij, ruinæ, naufragij causa depositũ acceperunt, in duplũ si abnegent depositum, iudiciũ datur: hęc inq̃ separatio causarum iustam rationem habet, quippe quia cũ quis fidẽ elegit, nec depositum redditur, contentus esse debet simplo: cum verò exigente necessitate deponit, crescit perfidiæ crimen & publica vtilitate coercẽdum est, vindicandæ Reipublicæ gratia: est enim inciuile, in causis huiusmodi, fidem frangere. Contrarium depositi iudicium est, quod ei datur, apud quem depositum esse dicetur, in quo quidem iudicio non de fide rupta agitur, sed de indemnitate eius, qui depositũ suscepit, & in id aliquid impẽdit.

DE CONTRACTIBVS QVI CONSENSV EIVNT.



RANSEAMVS nunc ad eas obligationes, quæ consensu contrahuntur: nam hæ quidem quoniam ad mercatum & negotiationẽ ciuilem ac quotidianam pertinent, meritò non debent vllis verborum ac literarum figuris ac solennibus, ne qua forte mora rebus inijciatur illigari. Nec est verò illud etiá necessariũ, vt res aliqua in ijs interueniat, quoniá nõ agitur de eadẽ re, vel in genere, vel in specie restituẽda. Et si quæras, cur permutatio, quæ & ipsa negotiationẽ quotidianá cõtinet, cũ ijs non numeretur? respõdebimus eá meri iuris gentiũ, & nullo modo ciuilem esse, ac propterea rationẽ nõ admittere, vt aliqua inde ciuilis actio exoriatur. Qui autẽ hoc modo constituuntur cõtractus, hij sunt, mandatũ, societas, emptio venditio, locatio cõductio: quorũ quidẽ duo priores, personas magis respiciunt q̃ res: posteriores verò, res q̃ personas. Forma contrahendi mádati est, vt nõ solum inter præsentes, verum per nunciũ quoq;, vel per epistolá mandatũ suscipi possit. Itẽ siue volo, siue rogo, siue mádo, siue alio quocũq; verbo scripserit, mandati actio est. Sed si qs talẽ epistolá emiserit amico suo, rogo te, vt cõmendatũ habeas Sextilium Crescẽtem amicũ meũ, nõ obligabitur mádati, quia commẽdandi magis hominis, q̃ mádandi caussa, scripta est. Et ideo si quis etiá non animo procuratoris interueniat, sed affectionẽ amicalem promiserit in cõmonendis procuratoribus & actoribus, & in regendis cõsilio, mádati nõ tenebitur. & si quid dolo fecerit, nõ mandati, sed magis de dolo obligabitur. Natura autẽ mandati hęc est, vt nisi gratuitũ nullum sit: nam originẽ ex officio atq; amicitia trahit, cõtrarium autẽ officio merces, ac interueniẽte pecunia, res ad locationem & conductionem potius respicit. Etenim si remunerádi gratia honor vel salariũ interue- MANDATI VEL CONTRA.

niat,nihil est impedimēto mandato, nam nō omne precium, quēadmodum inquit alibi Vlpianus in mercedis rationē incidit. Contrahitur inter nos mandatū, inquit Caius,siue mea tantum gratia tibi mandem,siue tua,siue aliena,siue mea & aliena,siue mea & tua,siue tua & aliena. Mea tantū gratia interuenit mandatum,veluti si tibi mādem,vt negotia mea geras,vel vt fundum mihi emas, vel vt pro me fideiubeas. Aliena tantū,veluti si tibi mādem,vt Titij negotia gereres,vel vt fundū ei emeres, vel vt pro eo fideiubeas. Mea & aliena,veluti si tibi mādem, vt mea & Titij negotia gereres,vel vt mihi & Titio fundū emeres,vel vt pro me & Titio fideiubeas. Tua & mea, veluti si tibi mandē,vt sub vsuris crederes ei,qui in rem meam mutuaretur. Tua & aliena,veluti si tibi mandem, vt Titio sub vsuris crederes:q, si,vt sine vsuris crederes,aliena tantū gratia interuenit mandatum. Tua autē gratia interuenit mandatum , veluti si tibi mandem , vt pecunias poti⁹ in emptiones prędiorū colloces,q̄ fœnores,vel ex diuerso, vt fœnores potius, q̄ in prædiorū emptionē colloces,cuius generis mandatū magis cōsilium,q̄ mandatū est,& ob id non est obligatorium,quia nemo ex cōsilio obligatur,etiamsi nō expediat ei cui dabitur,quia liberum est,cuiq; apud se explorare,an expediat sibi cōsilium,nisi si forte vel tertij mentio in eo consilio habeatur, cuius ego gratia mandare tunc videor,vel si tu non esses facturus,nisi ego mandassem:nā siquidē de his propolàm cōstet,verius est nasci mādati actionē. Verba autē Vlpiani sunt hæc: Si tibi mādauero quod mea nō intererat,veluti vt pro Seio interuenias,vel vt Titio credas:erit mihi tecum mādati actio,vt Celsus libro septimo digestorum scribit,& ego tibi sum obligatus. Planè si tibi mādauero, qđ tua intererat,nulla erit mandati actio,nisi mea quoq; interfuit,aut si non esses facturus, nisi ego mādassem,etsi mea nō interfuerit, tamen erit mandati actio. Hactenus Vlpianus: Qui suscepit mandatū,si potest id explere,deserere promissum officium nō debet, alioqui quāti mādatoris

toris interſit, damnabitur: Si verò intelligat explere ſe id officium nõ poſſe, idipſum cũ primũ poterit, debet mãdatori denũciare, vt is ſi velit, alterius opera vtatur. Quod ſi cùm poſſit denũciare ceſſauerit, quãti mãdatoris interſit tenebitur: ſed ſi aliqua ex cauſa non poterit renũciare, ſecurus erit. Iam autẽ in ipſa negotij executione diligenter fines mandati cuſtodiendi ſunt: nã qui exceſſit, aliud quidẽ facere videtur, & ſi ſuſceptũ non impleuerit, tenetur. Itaq; ſi mãdauero tibi, vt domũ mihi Seianã centum emeres, tuq; Titianã emeris longe maioris precij, non videris impleſſe mandatũ. Itẽ ſi mãdaui tibi, vt fundũ meũ centũ vẽderes, tuq; eum nonaginta vẽdideris & petã fundum, non obſtabit mihi exceptio, niſi & reliquũ mihi qđ deeſt mãdato meo prẹſtes, & indemnẽ me per omnia cõſerues. Præterea in cauſa mãdati etiã illud vertitur, vt interdum nec melior cauſa mandãtis fieri poſſit, interdum melior, deterior verò nunq̃. Melior fieri nõ poteſt in negotijs mandatis & ſuſceptis: nã re ſemel ſtatuta deliberataq; ab eo, cuius id negotiũ potiſſimũ ſit, nequaq̃ putauerunt veteres contra dictũ eius eſſe faciẽdum, etiãſi repentinus aliquis caſus rẽ commodius agi poſſe polliceatur. Exẽpla eius ſeueriſſima cõſtituta ſunt, nõ ſolũ in Poſthumianis & Manlianis imperijs, verũ etiã per P. Craſſum Mutianũ hoĩem Iurecõſultiſſimũ. Is enim inquit Gellius, lib. 1. c. 13. cum in conſulatu obtineret Aſiã prouinciã, & circũſidere oppugnareq; Leucas oppidũ pararet, opuſq; eſſet firma, ac procera trabe, qua arietẽ faceret, quo muros eius oppidi quateret, ſcripſit ad magiſtrũ ἀρχιτέκτονα molis Athenienſiũ ſociorũ, amicorũq; populi Romani, vt ex malis duob⁹ quos apud eos vidiſſet, vter maior eſſet, eum mitttendũ curaret. Tum magiſter ἀρχιτέκτωρ cõperto quã ob rem malum deſideraret, nõ vti iuſſus erat maiorẽ, ſed quẽ eſſe magis idoneũ aptiorẽq; faciendo arieti, faciliorẽq; portatu exiſtimabat, minorem miſit. Craſſus eum vocari iuſſit, & cũ interrogaſſet, cur nõ quẽ iuſſerat miſiſſet, cauſis rationibuſq; quas dictabat

ſpretis,veſtiméta detrahi imperauit,virgiſq; multũ cecidit,corrũpi atq; diſſolui officiũ omne imperãtis rat⁹ ſi qs ad id qđ facere iuſſus eſt,nõ obſequio debito,ſed conſilio nõ cõſiderato reſpõdeat. Melior autẽ cauſa mãdantis fieri poteſt,ſi cũ tibi mãdaſſem,vt Stichũ decẽ emeres,tũ eum minoris emeris,vel tãtidẽ,vt tamẽ aliud quicq̃ ſeruo accederet,vtroq; enĩ caſu, aut nõ vltra preciũ,aut ĩtra preciũ feciſti. Adeo autẽ deterior cauſa mãdãtis fieri nũq̃ poteſt, vt ſi mãdaui tibi,vt rẽ aliquã mihi emeres, ac p̃ciũ ſtatui, tuq; pluris emeris,quidã negauerint mãdati te habere actionẽ,etiãſi parat⁹ eſſes,id qđ excedit remittere,nãq; iniquũ eſt,nõ eſſe mihi cũ illo actionẽ,ſi nolit: illi verò ſi velit,mecum eſſe: ſed Proculus rectè eum exiſtimat,vſq; ad p̃ciũ ſtatutũ acturũ,q̃ ſentẽtia ſanè benignior eſt. Finitur aũt mãdatũ,primũ morte,tã mãdatoris,q̃ mãdatarij,ſi ea re adhuc integra fortaſſe cõtingat: deĩde renũciatione tẽpeſtiue facta: nã & ſi valetudinis aduerſæ vel capitaliũ inimicitiarũ cauſa,vel ob ĩmanes rei actiões,vel ob aliã iuſtã cauſam excuſationes alleget,mãdatarius audiendus eſt. Actiones quę hic cõpetunt,vel directæ ſunt,vel cõtrarię. Directa eſt,quæ cõpetit mãdãti,quę quidẽ tũc locũ habet cũ cœperit intereſſe eius q mãdauit,cęterũ ſi nihil intereſt,ceſſat mãdati actio,& eaten⁹ cõpetit,quatenus intereſt. Contrario iudicio experiũtur, qui mandatũ ſuſceperũt: nã impẽdia mãdati exequẽdi gratia facta,ſi bona fide facta ſunt,reſtitui omnino debẽt,nec ad rẽ pertinet, q̃ is qui mãdaſſet, potuiſſet, ſi ipſe negotiũ gereret minus impendere.

PRO SOCIO Societatis coitionẽ primi mercatores,tũ maioris lucri,tũ verò cõmodioris negotiationis gratia, dũ pluriũ facultates & operę in vnũ cõferuntur,inſtituerũt. Et quidem licet admodum prouidendum eſt, ne monopolium à quoq̃ ſine permiſſu Principis fiat: tamen ad augendam ac locupletandam negotiationem,valde oportunũ eſt,inueniri ſocietates, per quas ſummaria mercatura exerceatur: vtpote,quia nũquam fieri poteſt, vt quo loco minutiaria, quam vocant, negotiatio tantum ſit: ibi per

ſibi per mercaturam reſpublica ditetur. Sed hic ſcire oportet inter ſocietatem & communionem eſſe differẽtiam. Nam ſocietas eſt, quæ præcipuè ſpectatur in perſonis, habens quodammodo ius fraternitatis, licet per cõſequentias porrigatur ad res, quæ quidem ſine vlla diuiſione, vt inquit Aſconius, conſiderantur. Communio eſt, quæ ex re ipſa ſine tractatu perſonarum accidit, vt ſi vna res duobus legetur: nam hoc caſu, qui rem communem habent, non ſocij vocantur, ſed participes ſecundum Pedianum, quo quidem ſignificatu accipi poteſt illud Terẽtij in Heautontumerumeno: Niſi vbi ille huc ſaluos redierit meus particeps: nam pater filium ſuum participem nominat, quaſi qui etiam patre ſuperſtite eius ſit cohærus, ex quo & hæredis nomen manauit, vt tractat alibi Iuſtinianus. Coire autem poſſumus ſocietatem, & re & verbis & per nuntium. Item tam vniuerſorum bonorum, quàm ne negotiationis alicuius vel vectigalis, vel etiam rei vnius ſocietas contrahi poteſt. Poteſt & ſimpliciter iniri, quo caſu videtur eſſe coita, vniuerſorum quę ex quęſtu veniunt, hoc eſt, ſi quod lucrũ ex emptione, venditione, locatione, cõductione, deſcẽdit. Nec refert ad tẽpus ea cõtracta ſit an in perpetuum, id eſt dum viuunt: vtrũque enim peræque permiſſum eſt. Sed hæc demum ita permittẽda eſſe, Pomponius ait, ſi honeſtæ & licitæ rei ſocietas coita ſit: nam ſi maleficij ſocietas coita ſit, ne vocabula legittima rebus illegittimis accõmodentur, conſtat nullam eſſe ſocietatem. Generaliter enim taditur, tam apud philoſophos, quàm Iureconſultos: rerum inhoneſtarum nullam eſſe ſocietatem. Poſtquam autem conſtituta eſt ſocietas, ſi quidem eſt omnium bonorum, omnes res quæ coëuntium ſunt, continuo communicantur: quia licet ſpecialiter traditio non interueniat, tamen tacite creditur interuenire, licet hoc ſecus ſit in nominibus quæ perſonis inhęrent, quarum tantum actiones inuicem pręſtantur: fitque hoc caſu, vt & hęreditas & legatum, & quod donatum eſt, aut quacumq; ratione acquiſitum, communioni

acquiratur. Si alicuius rei certę cõflata est societas, lucrũ & damnũ qđ ex ea re emergit, est cõmune, sed pro qbus partibus dubitatur. Et ait Vlpian. Si nõ fuerint partes societatis adiectæ, æquas esse cõstat, quod intellige, licet ea quę cõferuntur inęqualia sint propter iu's fraternitatis, vt idoneo loco tractauim⁹. Si verò placuerit, vt quis duas partes vel tres habeat, alius vná, an valeat? Et placet valere, si modo aliquid pluscõtulerit societati, vel pecunię, vel operę, vel cuiuscunq; alterius rei causa. Ita coiri societatẽ posse, vt nullã partẽ dãni alter sentiat, lucrũ verò cõmune sit, Cassius putat, quod ita demum valebit, vt & Sabinus scribit, si tanti sit opera, quãti damnum est: plerũq; enim tanta est industria socij, vt plus societati conferat, q̃ pecunia, id est, si solus nauiget, solus peregrinetur, pericula subeat solus. Aristo refert Cassium respondisse, societatẽ talem coiri non posse, vt alter lucrum tantum, alter damnum sentiret, & hanc societatem Leoninam (ex Æsopi Apologo fortassis, quemadmodum & illi qui cõturbauerunt, vel foro cesserunt, vespertiliones alibi in iure ex Æsopo dicuntur) solitũ appellare. Et nos cõsentimus talem societatẽ nullã esse, vt alter lucrũ sentiret, alter verò nullum lucrũ, alter damnum sentiret. Iniquissimũ enim genus societatis est, ex qua quis damnum, nõ etiã lucrũ expectet. Hacten⁹ Vlpianus. Soluitur aũt societas, inquit idem Vlpia. ex personis, ex rebus, ex volũtate, ex actione: ideoq; siue hoẽs, siue res, siue voluntas, siue actio interierit, distrahi videtur societas. Intereunt aũt homines maxima, aut media capitis deminutione, aut morte: nã adeo morte socij, inqt Pomp. dissociamur, vt nec ab initio pacisci possim⁹ (eligitur enĩ industria personę, cõtineturq; sola volũtate societas, vt mox dicem⁹) vt hęres etiã succedat societati, q̃q̃ ĩ societate vectigaliũ sec⁹ est acceptũ propter authoritatẽ & vtilitatẽ publicã, quo magis cõductores vectigaliũ reperiãtur, si modo pars defuncti ad p̃sonã hęredis eius asscripta sit. Res intereunt, cũ aut nullę relinquãtur, aut conditionẽ mutauerint: neq; enim eius

rei,

rei quę iá nulla ſit, quiſq́ ſocius eſt, neq; eius quę cõſecrata publicatáue eſt. Itē ſi alicuius rei ſocietas coita ſit, & finis negotio ſit impoſitus, finitus ſocietas. Itē bonis à creditoribus venditis vnius ſocij, diſtrahi ſocietatē, Labeo ait. Volũtate diſtrahitur ſocietas, cũ vel tacito intellectu hoc agitur, vt diſcedatur: nã ſi ſeparatim ſocij agere cœperint, & vnuſquiſq; eorũ ſibi negotietur: ſine dubio, ius ſocietatis ſoluitur: vel cũ renunciatur ſocietati: nã adeo quidem renunciatione ſoluitur ſocietas, vt ſi cõuentũ ſit, ne intra certũ tēpus diſcedatur à ſocietate, nihilominus tñ ſi contrà fiat, diſtracta videatur, licet is qui intēpeſtiuè renũciauerit, de eo quod intereſt, teneatur. Et ratio quidē eſt, qa nõ vti cõmodatum primo voluntatis & officij eſt, mox neceſſitatis fit, ita etiam ſocietas vnq̃ ad neceſſitatē deducitur: ſed ea eſt illius natura, vt ſola perpetua volũtate cõſiſtat, quēadmodũ voce canentis muſica, qua mutata, ſiue iure, ſiue iniuria id fiat, ſemper vtiq; verũ eſt, ceſſare volũtatē ſocietatis. Et ideo, quēadmodũ inter iuſtã & iniuſtã poſſeſſionē, quaten⁹ poſſeſſio eſt, nihil intereſt: ita etiã ad diſtrahēdã ſocietatē, nihil refert, iuréne an iniuria ſocietati renũcies, licet de eo quod intereſt, cõtrà. Actione diſtrahitur ſocietas, cũ aut ſtipulatione, aut iudicio mutata ſit cauſa ſocietatis. Proculus enim ait, hoc ipſo q̧ iudiciũ ideo dictatũ eſt, vt ſocietas diſtrahatur, renunciatum eſſe ſocietati, ſiue totorũ bonorũ, ſiue vnius rei ſocietas coita ſit. Iam aũt actionis pro ſocio, quæ quidē regulariter, non niſi finita demum ſocietate intentatur, finis proprie is eſt: vt ſi quid ſit, quod ab vno aliquo ſolo occupetur. id in cõmune redigatur, in quo quidē iudicio, non in ſolidũ, ſed quantũ facere poteſt ſocius, vel quod dolo malo fecit quo minus poſſit, fit condēnatio: hoc enim ſummã habet rationē, cũ ſocietas ius quodãmodo fraternitatis in ſe habeat. Venit aũt in hoc iudiciũ nõ modo dolus, verũ etiã culpa, id eſt, deſidia aut negligētia. Sed culpa nõ ad exactiſſimã diligentiã redigēda eſt, ſufficit enim talē diligētiam cõmunibus reb⁹ adhibere, qualē ſuis reb⁹ adhibere ſolet, qa q parũ diligentē ſibi ſociũ acquirit, de ſe queri debet.

Nunc tractemus de emptione ac venditione, quæ quidē præcipuam partem mercaturæ obtinet, cuius vsus tū peruetustus est, vt à Libero patre profectus, tum verò vt tractat non vno loco Plato, admodum necessarius in Republica. Dicitur autem emptio ab emendo quod sumere veteribus significabat, vt inquit Festus, vēditio à venū dando, quemadmodum author Apuleius, cuius origo à priuatiua particulá ve deducta videtur, quāquàm veteres emptionum vēditionumque appellationibus promiscue, vt inquit Caius, aliquando vsi sunt. Ac solet quidem emptionis ac venditionis significatio tam latè olim patēre, vt omnem alienationis speciem amplecteretur, & nō solum commercijs, quibus à mercede, quæ in ijs interuenit nomen est, accommodaretur, verum etiam vltimis voluntatibus, veluti cùm quis per assem & libram hæres fieret, & publicis actibus, tam in manumittendis, q̄ arrogandis liberis. nam emancipati, inquit Festus, duobus modis intelliguntur, aut ij qui ex patris iure exierunt, aut ij qui aliorum fiunt dominij, quorum vtrūque fit mancipatione. Origo emendi vendendique, inquit Paulus, à permutationibus cœpit. Olim enim non ita erat numus, neque aliud merx, aliud precium vocabatur, sed vnusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum vtilibus inutilia permutabat, quoniam plerumque euenit, vt quod alteri superest, alteri desit. Sed quia non semper, nec facile concurrebat, vt cùm tu haberes quod ego desiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia est, cuius publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quātitatis subueniret, eaq; materia, forma publica percussa, vsum dominiumque, non tam ex substantia præbet, quàm ex quantitate, nec vltra merx vtrumque, sed alterū preciū, quod nonnulli à procando, quod poscere est, secūdum Festum, deductū volunt, vocetur. Sed an sine numis venditio dici hodie quoque possit, dubitatur: veluti si ego togam dedi, vt tunicam acciperem: Sabinus

DE CŌTRAHENDA EMPTIONE & DE PACTIS INTER EMPTOREM & VENDITOREM COMPOSITIS, & QVÆ RES VENIRE NON POSSVNT.

&

& Cassius esse emptionem & venditionem putant: Nerua & Proculus, permutationem non emptionem hoc esse aiunt. Sabinus, Homero teste vtitur, qui exercitū Græcorum, ære, ferro, hominibusq; vinum emere refert, illis versib' Νῆες δ' ἐκ λήμνοιο παρέστασαν οἶνον ἄγουσαι ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες ἀχαιοὶ ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ ἄλλοι δὲ ῥινοῖς ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσι, ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι. Sed hi versus permutationem significare vidētur, nō emptionē, sicut illi: ἔνθ' αὖτε γλαύκῳ κρονίδης φρένας ἐξέλετο ζεὺς, ὃς πρὸς τυδείδην διομήδεα τεύχε' ἄμειβεν χρύσεα, χαλκείων ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων. Magis autem pro hac sententia illud diceretur, quod aliàs idē poëta dicit: τὴν ποτὲ λαέρτης πρίατο κτεάτεσσιν ἑοῖσιν. πρωθήβην ἔτ' ἐοῦσαν ἐεικοσάβοια δ' ἔδωκεν. Sed verior est Neruæ & Proculi sententia. Nam vt aliud est vendere, aliud emere, alius emptor, alius venditor: sic aliud est precium, aliud merx, quod in permutatione discerni non potest, vter emptor, vter venditor sit. Ad perficiendam autem emptionem & venditionem, requiruntur hæc tria.

Primum vt de certo, vel quasi certo precio, quod scilicet formam & substantiam huius contractus continet, conueniat: nam regula generalis est: Sine precio venditionem nullam esse. quam quidem regulam sic accipe, vt non precij numeratio, sed conuentio perficiat sine scriptis habitam emptionem. Secundum, vt consensus adsit. nam in venditionibus & emptionibus cōsensum debere intercedere, palam est, inquit Vlpianus. Cæterùm siue in ipsa emptione dissentiant, siue in precio, siue in aliquo alio, emptio imperfecta est. Planè pacta conuenta, quæ postea facta detrahunt, aliquid emptioni, contineri cōtractu vidētur, inquit Papinianus, quæ verò adijciunt, credimus nō inesse. Quod locum habet in ijs, quæ admini-

adminicula sunt emptionis, veluti ne cautio duplę prę-stetur, aut cum fideiussore cautio duplę prestetur, quo quidem casu, agente emptore, nō valet pactū. Idem vires habebit, iure exceptionis, agente venditore. An idem dici possit aucto postea vel diminuto precio, nō imerito quęsitū est, quoniā emptionis substātia consistit ex precio: Paulus notat, si omnibus integris manētibus de augēdo vel deminuendo precio, rursus cōuenit, recessum à priore cōtractu, & noua emptio intercessisse videtur. Tertiū est, vt res aliqua subsit quæ veneat: nā nec emptio, nec vēditio sine re quę veneat potest intelligi, inquit Pomp. Et proinde, si ea quoq; res in cōtractū sciēter deducatur, quę nō sit in cōmercio, cuiusmodi est liber homo, locus sacer, vel religiosus, res propria, vel quę in vsu publico, nō pecunia habeatur, verius est emptionē nō cōstare: q̄q̄ tn̄ promouēdæ negotiationis gratia, & liberi hoīs, & loci sacri & religiosi, qui haberi non potest, emptio intelligitur, si ab ignorāte ematur, quia difficile dinosci potest liber homo à seruo. Enīuero perfecta emptiōe ac vēditiōe, qđ vēdidi, ac tradidi nō aliter lege 12. Tabularū fit accipiētis, q̄ si aut precium nobis solutū sit, aut eo nomine satisfactū, vel etiā fidem habuerimus emptori, sine vlla satisfactione. Sed hęc de emptione ac vēditione generaliter dixisse sufficiat: quæ aūt specialiter circa eā tractantur, hæc fermè sunt: de in diem addictione, de lege commissoria, de hæreditate vel actione vendita, de rescindēda vēditione, de periculo & cōmodo rei venditæ, de seruis exportādis, de actionibus empti & vēditi, de quib⁹ singulis est dicendū.

DE IN DIE ADDICTIONE.

In diem addictio ita fit, inquit Paulus: ille fundus cētum esto tibi emptus, nisi si quis intra Calend. Ianuarias proximas meliorē conditionē fecerit, quo res à dn̄o abeat. Melior aūt conditio adferri videtur, si precio sit additū. Sed & si nihil precio addatur, solutio tn̄ offeratur, facilior, vel maturior, vel loco magis propitio, æq; melior cōditio allata videtur, vt quicquid ad vtilitatē vēditoris pertineat, pro meliore conditione habeatur: quo quidē

fit vt

ſit vt & meliorẽ conditionẽ abijcere poſſit venditor, & ſequi primã, inuito emptore, niſi cõtra actũ ſit. Verbũ aũt Addictionis, primo ortu forenſe eſt: nam omnis prætoris authoritas, vertitur in his tribus verbis: Do ſcilicet iudicem, Dico ius, & Addico rem petitã, cùm ſententia mandatur executioni. Sic etiã in ceſſione, quę in iure fit, dicitur verſari Cedẽs, Vindicãs, & Addicens: nã addicere inquit Feſtus dãnare eſt. Hinc autẽ facta eſt trãſlatio ad auctiones publicas, in quibus vincẽti in licitatione res addicitur, id eſt, auferẽda datur: haud aliter atq; debitores creditoribus addicti, domũ iure veteri ducũtur. Inde trãſiuit hoc verbũ ad priuatas emptiões ac venditiones. Nã quoties hac lege res vẽditur, vt intra certũ diẽ adijci aliquid ab alio poſſit (eſt enim addicere vẽdentis, adijcere licitantis) & recedi ab emptione: addictio in diẽ fieri dicitur, quod quidẽ nõ hoc ſignificat, quaſi præſens quidẽ ſit emptio, ſed addictio differatur in diẽ, ſi nemo plus offerat, vt nonnulli autumant: ſed vt & emptio ſit præſens & addictio, quę quidẽ, ſi intra diem melior cõditio offeratur, reſolui poſſit. Plautus, Age ſis roga emptũ, niſi quis meliorẽ afferet, Quæ mihi atq; amicis cõditio placeat magis. Quaſi fundum vendam, meis addicam legibus. Plane adiectio ſiue melioris cõditionis oblatio, duob' modis expectari poteſt: nã re in diẽ addicta, poteſt offerri melior cõditio vel priuatim, vel in auctione, quoties res ſic vẽdita auctioni exponitur, quãquam ſubinde fieri poſſit, vt non tã pura q̃ cõditionalis emptio cenſeatur. Vlpianus: Quoties fundus in diem addicitur, vtrũ pura emptio eſt, ſed ſub cõditione reſoluitur, an verò conditionalis ſit magis emptio, quæſtiõis eſt. Et mihi videtur veri' intereſſe quid actũ ſit. Nã ſiquidẽ hoc actũ eſt, vt meliore allata cõditiõe ab emptiõe diſcedatur, erit pura emptio, quę ſub cõditiõe reſoluitur. Sin aũt hoc actũ eſt, vt perficiatur emptio, niſi melior cõditio offeratur, erit emptio cõditiõalis. Cõmiſſoria lex hęc eſt, vt ſi preciũ rei vẽditę ad diẽ nõ ſoluatur res iempta ſit, quo caſu magis eſt, vt ſub cõditiõe reſolui DE LEGE COMMISSORIA.

emptio

emptio, quã sub cõditione cõtrahi videatur. Soletq; hoc casu etiã aliud cõuenire: vt si venditor eundẽ fundum vẽderet, q̃to minoris vẽdiderit, id à priore emptore exigat. Ratio autẽ cur hæc lex commissoria dicatur est, quia si ei non pareatur, tantum est commissum, siue peccatum, vt dissoluat id quod gestum est. Sic enim & hæreditas committi dicitur & pignus & pœna, quę quidem & hac specie locum habet: nam si quid arræ nomine datum est, id precio non soluto cadit in cõmissum, & manet apud vẽditorem. Alio significatu committi dicitur id quod iam in vnum coit & initium accipit. nam hac ratione dicimus stipulatiõem cõmitti, Vergilius: Et tuba commissos medio canit aggere ludos. In hæreditatis & actionis venditiõe, quæ & ipsę in bonis nostris esse dicuntur, quia tamen incorporales sunt, multa reperiuntur singularia. Primum si hęreditas venierit eius qui viuit aut nullus sit: nihil est actum, quia in rerum natura non sit quod venierit. Ad hæc venditor hæreditatis, satisdare de euictione non debet, cum id inter ementem & vendentem agatur, vt neque amplius, neq; minus iuris emptor habeat, quàm apud hæredem futurum esset. sed vt sit aliqua hæreditas pręstare debet: nec tamen alea emitur, vt in venatione, sed res, quę si non est, non contrahitur emptio, nisi si quis fortasse ipsum incertum rei emat: veluti si qua sit hæreditas esto mihi empta. Pręterea cum in venditione rei singularis, hoc iuris sit, vt si res vendita nondum tradita interea temporis alij accepto preciò vendatur ac tradatur, & ante morã intereat, precium apud venditorẽ maneat, quasi nõ tã ex re quàm propter negotiationem acceptum sit: in hæreditate vendita longẽ aliter probatũ est: nam si hęreditate vendita, postea ante traditionem rem aliquam ex ea vendam, licet ea ante morã intereat, nihilominus teneor emptori ad precium acceptũ. Ratio verò est, quia cum hæreditas venit, tacite hoc agi videtur, vt si quid tanq̃ hęres feci, id præstem emptori quasi illius negotium agam. Si nomen sit distractum, Celsus libro

DE HÆREDITATE VEL ACTIONE VENDITA.

libro decimo digestorum scribit, locupletem esse debitorem nō debere præstare: debitorem autem eum esse, prę-stare debere, nisi aliud conuenit, & quidem sine exceptione quoque, nisi contrarium actum sit. Enimuero non ea solum nomina vēdere possumus quę pura sunt, verum etiam quæ sub conditione vel in diem sunt cōcepta. Sed hoc casu multum interest, an sub conditione aliqua obligatio veneat, an cum ipsa obligatio sub conditione contracta sit, purè veneat. Priore enim casu, deficiente conditione, nullam esse venditionem, posteriore verò statim venditionem consistere. Rescinditur emptio ac venditio re integra, ijsdem modis, quibus contrahitur, hoc est, per contrarium consensum. Et ideo si quam rem à te emi, eandem rursus à te pluris minorisve emero, discessimus à priore emptione. Potest enim dum res integra est, conuentione nostra, infecta fieri emptio, atque ita consistit posterior emptio, quasi nulla præcesserit. Sed non poterimus eadem ratione vti post precium solutum, emptione repetita, cùm post preciū solutū infectam emptionem facere non possimus. De periculo & cōmodo rei venditæ, duplex est inspectio: nam aut quærimus de periculo, aut de custodia. De periculo regula hæc est. Perfecta emptione, quoniam venditor incipit esse debitor speciei, cuius interitu liberari debet, periculum ad emptorem respicit. Et si id quod venierit appareat, quid, quale, & quantum sit, & preciū, & purè venit, perfecta est emptio. Quod si sub conditione res venierit, siquidem defecerit conditio, nulla est emptio, si extiterit, emptoris periculum est, propter emptionē retrotractam ad tempus conuentionis: nisi fortasse tota res perierit, quo casu perimitur emptio ac venditio. Si post cōtractā emptionē, vel de re nō satis cōstet, vel de qualitate rei, vel de q̄titate, magis est nondū plenā videri emptionem cōstitutā, ac periculum venditoris manere. Et ideo si lectos fieri iusserim, vel materiam in genere emerim non antè pertinebit ad me periculum, quàm traditio mihi

DE RESCINDENDA VĒDITIONE, ET QVANDO LICEAT AB EMPTIONE DISCEDERE.

DE PERICVLO ET COMMODO REI VENDITÆ.

mihi facta sit, hoc est, priusquã lectos pro me factos iã approbauerim, vel ex multa materia certas trabes signauerim. Item si ex doliario vino pars venierit, anteq̃ degustetur, ac admetiatur, licet dolium signatum sit, quòd hoc casu eò fieri videtur, ne submittatur, periculum agnoscere debet venditor, quia quod degustatum, aut admensum non est, prope quasi nondum venijt. Quanquam inter degustationem & admensionem nonnulla est differentia: nam gustus ad hoc proficit, vt improbare liceat, inquit Paulus cap.34.tit.de cont.empt. mensura verò non eo proficit, vt aut plus, aut minus veneat, sed vt appareat quantum ematur. Quæ quidem res huc pertinet, vt ante degustationem nihil penitus censeatur actum, ante mensuram verò tantum, vt si culpa venditoris res perierit, in id quod interest teneatur emptori: nam si verum est, ante degustationem, vel quamuis aliam approbationem, re culpa venditoris perempta, ideo non teneri venditorem, quia iniquum esset, non permitti venditori, pro sua voluntate in ea re versari, quam inuitus emptor accipere non cogeretur: vtique per contrarium ęquum est, vt si cogatur rem accipere emptor, quod contingit, si nihil aliud supersit, quàm vt mensura pagatur, simul etiam teneatur de dolo & culpa venditor, in id quod interest emptoris. Sed tamen si hoc casu vel fatale aliquod damnum accidat, vel vis maior, verius est neque emptorem teneri ad precium, vt qui sub ea conditione emerit, vt in singulas puta metretas, quæ admensæ essent pecuniam daret, neque venditorem ad id quod intersit emptoris, vt quem æquum non sit, sine sua culpa teneri ad æstimationem rei venditæ. Planè si vina simpliciter quę in dolijs erant, venierint, vel omne vinum in auersione, ita vt degustatio ac mensura, vel tacitè, vel disertis verbis fuerit exclusa, propius est, quemadmodum in cæteris rebus, ita etiam hic periculum mucoris, acoris, & si fortè fugere incipiat, vel effundarur, statim esse emptoris, quia scilicet imputare sibi debet, quòd sic contraxerit

rit. Dicitur autem Auersione, meo quidem iudicio, emi illud, quod summatim vtvt est, emitur, auerso videlicet omni periculo à venditore: nam hac ratione nauem per auersionem conducere intelligitur is, qui non pro numero amphorarum impositarum, sed simpliciter mercedem constituit, quo quidem casu, quantum imponat, nihil interest, cùm peręque semper teneatur. Tantundem est vt tractat Vlpianus de exercit. act. c. 1. & in illa conductione, qua quis nauem, non vt ea vehatur, sed vt ipse eam exerceat, conducit per auersionem, in qua specie, tũ mercedem dare promittit, tum nauem etiam saluam fore, si quid ei acciderit. Rustici nostri arméta vel pecudes sic locatas, quia interire domino non possunt, ferreas vocare cõsueuerunt. Nec refert verò, vt puto, auersionis ne an aduersionis vocabulo vtare, quoniã auerti periculum dicitur ab eo, qui eximitur oneri: aduerti autem ad eum qui subijcitur, estque huc referenda illa actio, quæ oneris auersi vel aduersi sub titulo de locato & conducto, c. 34. nominatur. Licet autem de periculo regulariter véditor non teneatur, tamé custodiã, non dubie, ante traditionem præstare debet. Et cùm custodia, vel ad eius modum, qui eam exhibet consideretur vt in deposito, vel ad alterius alicuius diligentis patrisfamilias, vt in commodato: talem præstare debet venditor, qualem præstat is qui rogauit commodatum. Quod quidem sic intellige, non quasi ad exactissimam diligentiam teneatur, sed quia vtriusque gratia constitutus est contractus, vt, quéadmodum dicit Paulus cap. 3. exactiorem præstet, quam in suis rebus adhiberet. Si seruus ita fuerit distractus, ne aliquo loci moretur vel exportetur, custoditur lex propter securitatem domini ne periculum subeat. Si quis hac lege venijt, vt intra certum tempus manumittatur, si non sit manumissus, liber fit, si tamen is qui vendidit in eadem voluntate perseueret. Si venditor ab emptore cauerit ne serua manumitteretur, neue prostituatur, ratio facit, vt quantum ad priorem partem, iure non teneat sti-

DE SERVIS EXPORTĀDIS, VEL SI ITA MANCIPIVM VENIERIT, VT MANVMITTATVR, VEL CONTRA.

DE ACTIONIBVS EMPTI & VENDITI.

at stipulatio, quantum ad posteriorem, vt valeat. Actiones empti ac venditi, non aliter proponi rectè possunt, nisi is qui agere velit, suum offerat: nam sic ait Vlpianus, Offerri precium venditori ab emptore debet, cùm ex empto agitur: & ideo si partem precij offerat, nondum ex empto actio est: venditor enim quasi pignori retinere potest eam rem quam vendidit. Quæ autem naturaliter insunt, huius iudicij potestate, hæc sunt. In primis, vt ipsam rem venditor præstet, id est, tradat: quæ res, siquidem dominus fuit venditor, facit & emptorem dominum: si non fuit, tamen euictionis nomine venditorem obligat, si modo precium est numeratum, aut eo nomine satisfactum. Emptor autem nummos venditoris facere cogitur. Sed cur tam variè? Certè precium, quia genus est, omnino transferri debet: merces autem, quia in specie consistit, non debet præcise transferri, ad hoc, vt satisfiat contractui, ne quod contra bonam fidem est (nam aliud est in stipulationibus) ad id quod propter difficultatem propè impossibile est (quid enim difficilius probatione dominij?) obstringatur venditor. Et sanè hac ipsa quoq; causa fiebat apud veteres, cur in emptione ac venditione, emptor quidẽ nummos per stipulationem promitteret: venditor verò, non tá de dominio, quàm de præstatione rei ac integritate, rogaretur. Sed vt hæc res, & tota adeò natura huius contractus, planius intelligatur, subiungam ea, quę apud Marcũ Varronem, libro secũdo, de re rustica, de emptione pecudum exstant. In emptionibus, inquit, iure vtimur eo, quod lex præscripsit: in ea enim alij plura, alij pauciora excipiunt, & vtuntur antiqua ferè formula. cùm emptor dixit: Tanti sunt mihi emptæ? & ille respondit: Sunt, & expromisit nummos, emptor stipulatur prisca formula sic: Illasce oués, qua de re agitur, sanas rectè esse, vti pecus ouillum, quod rectè sanum est, extra luscam, surdam, minam, id est, vẽtre glabro, neq; de pecore morboso esse, habereq; rectè licere, hæc sic rectè fieri spõdes?

nec

nec cum id factum est, tamen grex dominum non mutauit, nisi sit æs adnumeratum. Necnon emptor potest ex empto vendito illum damnare, si non tradat, quanuis non soluerit nummos, vt ille emptorem simili iudicio, si non reddidit precium. Hactenus Marcus Varro. Illud superest, vt de locatione ac conductione nō nihil dicamus, quæ quidem cùm nihil aliud sit, quàm quasi emptio quædam vsus rei, proxima est, inquit Caius, emptioni & venditioni, eisdemque iuris regulis consistit. Nam vt emptio & venditio contrahitur, si de precio conuenerit: sic & locatio & conductio contrahi intelligitur, si de mercede conuenerit. Nomen autem huius contractus, illis pactis nuptialibus, quæ apud veteres in vsu esse solebant, respondet. Nam quemadmodum is, qui filiam quam in potestate haberet, accepta certa pecunia, vsurpandam alicui concedebat, elocare eam dicebatur, propterea quod in alium locū, ac sedem transiret, & item quemadmodum is, qui pecuniam numerasset, & in domum suam eam duceret, conducere: ita etiam in ijs negotijs contrahendis, in quibus dominio manente, vsus rei certo precio conceditur, (nam non solet locatio dominium mutare) qui rem auferri patitur, locare: qui aufert, codućere dicitur. Sed quemadmodum emptionū & vēditionū appellationibus promiscue veteres vsi sunt: ita etiam in locatione ac cōductione cōtigit. Et quidem in operis locandis & conducendis sic est receptum, vt is qui pecuniam promittit, locator: qui opus perficiendum suscepit, conductor appelletur. Initur autem omnis locatio & conductio, vel partibus, vel numis, vel pecunia. Partibus, vt si quis vel tertiam vel alteram, vel aliam aliquotam partem fructuum domino promittat, qui partiarius vocatur. Numis, qui certam pecuniam numeratam, in singulos annos promittit. Ad pecuniam, qui certum numerum frumenti, aut olei pollicetur. Et quidem locatione ac conductione facta, locator obligatus est ad rem tradendā eiusmodi, vt ea pos-

LOCATI CŌDVCTI.

ea possit conductor vti, secundum legem conuentionis. Nam si re, quam conduxit, frui ei non liceat, fortè quia possessio ei aut totius agri, aut partis, non præstatur, aut villa non reficitur, vel stabulum, vel vbi greges eius stare oporteat, vel si quid in lege conductionis conuenit, si hoc non præstatur: ex conducto agetur. Item si quis dolia vitiosa ignarus locauerit, deinde vinum effluxerit, tenebitur in id quod interest, nec ignorantia eius erit excusata, & ita Cassius scribit, aliter atque si saltum pascuum locasti, in quo herba mala nascebatur: hic enim si pecora vel demortua sint, vel etiam deteriora facta, quod interest præstabitur, si scisti, si ignorasti, pensionem non petes, & ita Seruio, Labeoni, & Sabino placet. Quod coductor locatori præstare debet, consistit in duobus. Vnum est vt pensionē recte soluat: alterum vt rem quam cōduxit, custodiat & exerceat, quemadmodum oportet. Caius: Conductor omnia secundum legem conuentionis facere debet, & ante omnia curare debet, vt opera rustica suo quodq; tempore faciat, ne intempestiua cultura deteriorem fundum faciat. Præterea villarum curá agere debet, vt eas incorruptas habeat. Etenim vis maior, quam Græci θεοῦ βίαν appellant, non debet conductori damno esse, si plus q̃ tolerabile est, læsi fuerint fructus, alioqui modicum damnũ æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur. Singulare autem hoc est, in locatione ac cōductione, vt mutato domino fundi, locatio, etiam in plures annos concepta, euanescat: videlicet ne locatio, quę nullo modo tangit dominiũ, deteriorem aliqua parte faciat causam domini. Et ideo si is qui fundum colendum in plures annos locauerat, decesserit, & eum fundum legauerit, verius est non posse cogi colonum, vt eum fundum colat, quia nihil hęredis interest. Et vice versa, si colonus velit colere, & ab eo cui legatus est fundus prohibeatur, cum hærede erit actio tantum de eo quod interest, non cum legatario, vel emptore aliquo, nisi forte in lege venditionis hoc sit conuentum,

vt stetur

vt ſtetur colono. Atq; hęc quidem hactenus expoſita ſint de ijs contractibus, qui in certum nomẽ cadere dicuntur, quiq; ſuis actionum formulis ac figuris conſtantes, in ordinariam iudiciorum formam incidunt: nunc autẽ porrò ſequitur, vt de ijs, qui neque nomen certum, neq; certas formulas obtinent, exponamus.

DE CONTRACTIBVS EXTRAORDINARIIS.



E his ait Papinianus in hunc modum: Nonnunquam euenit, vt ceſſantibus iudicijs proditis, & vulgaribus actionibus, cùm proprium nomen inuenire non poſſumus, facile deſcendamus ad eas, quę in factum appellantur. Sed ne res exemplis egeat, paucis agam. Domino mercium in magiſtrum nauis, ſi ſit incertum, vtrum nauem conduxerit, an merces vehendas locauerit, ciuilem actionem in factum eſſe dandam, Labeo ſcripſit. Item ſi quis precij explorandi gratia rem tradat, neq; depoſitum, neq; commodatum erit, ſed non exhibita fide in factum, ciuilis ſubijcitur actio. Nam cum deficiunt vulgaria atq; vſitata actionũ nomina, præſcriptis verbis agendum eſt, in quam neceſſe eſt confugere, quoties contractus exiſtunt, quorum appellationes nullo iure ciuili proditæ ſunt, natura enim inductum eſt, vt plura ſint negotia q̃ vocabula. Hactenus Papinianus, Celſus, Iauolenus & Vlpianus. Vt autem exactius quid rei ſit intelligatur, ſcire oportet ſupraſcriptos cõtractus, de quibus eſt expoſitum, & alios de quibus idoneo loco tractabitur, ideo vocari ordinarios, quia eorum actiones ſecundum ordinariam iuris figuram, hoc eſt, certis & deſignatis formulis proponuntur: nam cum vel certa & indubitata nomina habeãt, vt ſocietas, mandatũ, mutuum vel iure præſcriptas ac conceptas rationes contrahendi,

vt ſtipulatio, literarum obligatio, nihil quoque mirum eſt, ſi & iudicia certa ijs ſint accommodata. Iam autem quoniam ita per rerum naturam eſt comparatum, vt plures contractus ſint, quàm vocabula: ſæpenumero contingit, vt nonnullę exiſtant contractus, qui neque nomen habeant, neque certam formam contrahendi, in quibus tamen quia nudi non ſunt, æquum eſt præſtari actionem. Hij ergo ſunt qui vocantur extraordinarij, vtpote in quibus nō ſolennes & formulis incluſæ actiones tribuuntur, ſed quæ præſcriptis verbis in factum vocantur. Quibus quidem hoc nominis inde collatum eſt, quod in ijs Prætor actionem dat ei, qui agere velit, non quidem conceptis formulis conſtantem, ſed præſcriptis verbis in factum, in qua præſcribit, & quaſi præit Prætor, quomodo id quod factum eſt, narrare ac proponere debeat. Sed cauſæ propter quas ad hoc genus actionum decurratur ſunt duæ: vna eſt, cum negotium tot formas habet, vt neſcias vtrum pro modo huius an illius ſit contractus, quo caſu decidendæ ambiguitatis gratia peruenitur ad hoc genus actionum: altera cum manifeſtum eſt, negotium eſſe eiuſmodi, vt ad ordinariorum contractuum numerum redigi non poſſit, qua ſpecie res ipſa exigit, vt ad hanc actionem perueniatur. Prioris generis ſunt, cùm res æſtimata data eſt, & item permutatio. Poſterioris contractus, do vt des, do vt facias, facio vt des, facio vt facias: qui quidem contractus anonymi dicuntur. De æſtimatoria actione ſic ait Vlpianus: Actio de æſtimato proponitur tollendæ dubitationis gratia: fuit enim magis dubitatum cum res æſtimata vendenda datur, vtrum ex vendito ſit actio propter æſtimationem, an ex locato quaſi rem vendendam locaſſe videar, an ex conducto quaſi operas conduxiſſem, an mandati. Melius itaque viſum eſt hanc actionem proponi. Quoties enim de nomine contractus alicuius ambigeretur, conueniret tamen actionem dari

DE ÆSTIMATORIA.

dari: dandam æstimatoriam præscriptis verbis actionem. Est enim negotium ciuile gestum, & quidem bona fide. Quare & omnia hic locum habent, quæ in bonæ fidei iudicijs. De rerum permutatione verba pauli hæc sunt. Sicut aliud est vendere, aliud emere, alius emptor alius vẽditor: ita aliud preciũ aliud merx. At in permutatione discerni non potest, vter emptor, vter venditor sit, multumque differunt eorum præstationes. Emptor enim, nisi fecerit numos accipientis, tenetur ex vendito. Venditori verò sufficit ob euictionem se obligare, possessionemque tradere, & purgari dolo malo. Itaque si euicta res non sit, nihil debet. In permutatione verò, si vtrumque precium est, vtriusque rem fieri oportet, si merx, neutrius. Sed cum debeat & res, & precium esse: non potest inueniri, quid eorum merx & quid precium sit, nec ratio patitur, vt vna & eadem res, & veneat, & precium sit emptionis. Vnde si ea res, quam acceperim vel dederim, postea euincatur, in factum dandam esse actionem respondetur. De contractibus anonymis sic inquit Paulus: Totius ob rem dati tractatus in his competit speciebus. Aut enim do tibi vt des, aut do vt facias, aut facio vt des, aut facio vt facias, in quibus quæritur, quæ obligatio nascatur. Et si quidem pecuniam dem, vt rem accipiam, emptio ac venditio est. Si autem do rem, vt rem accipiam, quia non placet permutationem rerum emptionem esse: dubium non est, nasci ciuilem obligationem, quæ scilicet ad similitudinem formulæ emptionis ac venditionis sit composita. At cum do vt facias, si tale sit factum, quod locari soleat, puta vt tabulas pingas, pecunia data locatio erit: si res sit, non erit locatio, sed nascetur, vel ciuilis actio in hoc, quod mea interest, vel ad repetendum condictio. Nam & si dedi tibi seruum, vt seruum tuum manumitteres, si manumisisti, &

DE RERV̄ PERMVTATIONE.

DE PRÆSCRIPTIS VERBIS & IN FACTV̄ ACTIONIBVS.

is quem

is quem dedi euictus est: si sciens dedi, de dolo in me dandam actionem (propter fraudem) Iulianus scribit: si ignorans, in factum, non prętoriam, quæ quidem concipitur ad similitudinen actionũ pretoriarũ, de qua vtrũ ea competat, an ciuilis, dubitatur illo casu, quo nescitur, sciés ne, an ignorás fuerit, de quo c. 7. de pactis: sed ciuilem, quæ ad similitudinem ciuilis alicuius actionis redigitur. Quod si faciam, vt des, & postquàm feci, cessas dare, nulla erit ciuilis actio, & ideo de dolo, quæ subsidiaria est, dabitur. Ratio verò est, quoniam ciuilis actio, quæ pręscriptis verbis in factum concipitur, non solet aliter competere, quàm si negotium formá habeat ciuilis alicuius contractus, ad cuius imitationem componatur. Quoniam igitur hac in specie, res, neque emptionem respicit, vt in do vt des: neque locationem, vt in do vt facias: neque mandatum, vt in facio vt facias: verius est non posse fieri, vt pręscriptis verbis actio locum habeat. Quod si facio vt facias, hæc species, tractatus plures recipit, nam si pacti sumus, vt tu à meo debitore Carthagine exigas, ego à tuo Romæ: vel vt tu in meo, ego in tuo solo ædificem, & ego ædificaui, & tu cessas, in priore specie mandatum quodammodo interuenisse censetur, sine quo exigi pecunia alieno nomine non potest. Sed hoc tutius erit, & in insulis fabricandis, & in debitoribus exigendis, pręscriptis verbis dari actioné, quæ actio similis erit mandati actioni, quemadmodum in superioribus casibus emptioni & locationi.

DE ACCESSIONIBVS ET APPENDICIBVS CONTRACTVVM.



BSOLVTIS ipsis contractibus, tam ordinarijs, quàm extraordinarijs, superest vt de his quæ accedere cõtractibus fermè solent, nunc dicamus. Hæc autem consistunt in his quinque, pignoribus scilicet, redhibitionibus, euictionibus, vsuris, & probationibus, quorum alia spectant securitatem & vtilitatem creditoris, alia verò eius, qui quid emit ac comparauit. Pignorũ & hypothecarum vsus hinc manauit, quia videlicet propter dubiam hominum fidem, longè satius est, pignori incumbere quàm in personam agere. Qua quidem causa fit, vt & fiduciæ vocabulum ad pignora secundũ Iulium Paulum in sententijs pertineat. Deductum autem est nomen pignoris, à pugno, inquit Caius, quia res quę pignori dantur, manu traduntur: vel potius, quia, vt ego autumo, hoc pręstant, vt creditum suum quis tanquam certum & quasi in manu habeat. Hypotheca, à supponendo vel opponendo nomen traxit, nec est ulla alia inter pignus & hypothecam differentia, quàm sonus nominis, qui in vno Latin⁹ est, in altero Graius, nisi quod proprie pignus dicitur, quod ad creditorem transit: hypotheca, cùm non transit possessio ad creditorem. Contrahitur autem pignus vel hypotheca per pactum conuentum, cùm quis paciscitur, vt res eius propter aliquã obligationẽ sint hypothecæ nomine obligatę. Nec ad rem pertinet, quibus verbis fiat, sicuti est & in ijs obligationibus, quæ consensu contrahuntur. Et ideo sine scriptura si conuenit, vt hypotheca sit, & probari poterit, res obligata erit de qua cõuenerit. Fiunt enim de his scripturæ, vt quod actum est, per eas facilius probari possit: & sine his autem valet quod actum est, si habeat probationẽ, sicuti & nuptiæ sunt, licit testationes in scriptis habitæ non sint. Enimuero quibusdam in causis etiam tacitè contra-

DE PIGNORIBVS, ET HYPOTHECIS, & QVALITER EA CONTRAHANTVR, ET DE PACTIS EORVM.

IN QVIBVS CAVSIS, PIGNVS VEL HYPOTHECA TACITE CONTRAHITVR.

contrahi pignus solet. Nam qui pecuniam ob restitutionem ædificij instruendi mutuam dedit, illi pignus ædificij ipso iure datum esse notissimum est. Præterea eo et á iure vtimur, vt quæ in prędia vrbana inducta illata sint pignori esse credantur, quasi propter frequentiam actus, id tacite conuenerit: In rusticis predijs, quoniam id non solet vsurpari, contra obseruatur, nisi aliter conuentum sit, vt inquit Imp. Alex. c. 5. de locat. & conduct. sed in ijs fructus qui ibi nascuntur, tacite intelliguntur pignori esse domino fundi locati, etiamsi nominatim id non cõuenerit. Sunt plane nõnullæ res, quæ pignori opponi non possunt, nec in quibus legittime consistere potest creditor. Hę sunt res litigiosę, quæ non magis oppignorari q̃ alienari possunt: res quorum cõmercium non est, quæ quia emi nõ possunt, iure quoque pignoris nõ recte accipiũtur: res deniq; pupilli, aut filijfamilias, quę quidẽ sine authoritate tutoris aut patris, non obstringuntur, cùm similibus. Iam autem quia nonnunquàm contingit, vt eadem res pluribus obligetur, non inmerito dubitatum est, quis ex pluribus in persecutione pignoris pręferri debeat. Et est quidem generalis disciplina tradita, potiorem in pignore esse eum, qui prius crediderit pecuniam, & acceperit hypothecam, quamuis cum alio antè conuenerat, vt si ab eo pecuniam acceperit, sit ei res obligata, poterat enim licet antèconuenit, non accipere ab eo pecuniam. Fallit autem hæc regula, primum, si posterior creditor in rem ipsam conseruandam aliquid mutuauit: nam quia saluam fecit totius pignoris causam, merito debet reliquis pręponi. Deinde, si ex numis pupilli fuerit res comparata, nam propter fauorem personæ probatum est, vt pupillus reliquis creditoribus præponatur. Adhæc si paratus est posterior creditor priori creditori soluere, pręfertur ei, cùm per ipsum fiat ne ei pecunia soluatur. Et quidẽ generaliter, licet qs sit posterior puta tertius creditor: si tamẽ cõtingat eum in locum primi succedere: nihil dubium est, quin illius iure vti possit.

QVÆ RES PIGNORI VEL HYPOTHECÆ DATÆ OBLIGARI NON POSSVNT.

QVI POTIORES IN PIGNORE, VEL HYPOTHECA HABEANTVR, ET DE HIS QVI IN PRIORVM CREDITORVM LOCV̄ SVCCEDV̄T

Effectus

Effectus autem pignoris accepti hic est, vt liceat creditori pignus vendere, ac de pecunia ex venditione redacta ad commodum suum peruenire. Sed hoc ita demum verum est, si non in contrarium actum sit: nam si pactum sit, ne liceat debitori hypothecam vendere, vel pignus: certum est, nullam esse venditionem, vt pactioni stetur. Præterea quantum ad tempus venditionis attinet, cum soluendæ pecuniæ dies pacto confertur, conuenisse videtur, ne prius vendendi pignoris potestas exerceatur. Soluitur autem pingnus varijs modis. Primò, solutione eius quod debetur. Secundò, si in venditione pignoris consenserit creditor, vel vt debitor hanc rem permutet, vel donet, vel in dotem det. nisi fortasse salua causa pignoris sui consenserit. Tertiò, si ab ea discedatur, aut paciscatur creditor, ne pecuniam petat. Quartò, si conuenerit, vt pro hypotheca fideiussor detur. Quintò, si pignus sit tempore finitum. Sextò, si res pignorata intereat, siue ea sit corporalis, siue incorporalis. Septimò denique, si vel per iusiurandum, vel per sentētiam liberatus quis sit ab obligatiōe, & alijs quibusdā modis. Quātum ad redhibitionem attinet, redhibitū id propriè dicitur, inquit Festus, quod redditū est improbatumq;, & qui dedit, rursus coactus est habere id quod ante habuit, vnde & receptitius seruus est, qui ob vitium redhibetur. Vlpianus. Redhibere est facere, vt rursus habeat quod habuerat, & quia reddendo id fiebat, idcirco redhibitio est appellata quasi redditio. Meminerūt autē huius actionis nō solū veteres iurecōsulti nostrates, quos Gellius in noctibus Atticis recēset, verum etiā legislatores Græci, in quibus est Plato, libro vndecimo de legibus. Nā pileatos seruos venū solitos ire, quorū nomine vēditor nihil præstaret, Cælius Sabinus iurisperitus scriptum reliquit, cuius rei causam esse ait, quod eiusmodi cōditionis mācipia insignia esse in vēdūdo deberēt, vt emptores errare, & capi nō possent: neq; lex vēdūdi operienda esset, sed oculis iam perciperent, quod nam esset mancipiorum genus.

DE DISTRACTIONE PIGNORVM ET HYPOTHECARV.

QVIBVS MODIS PIGNVS VEL HYPOTHECA SOLVITVR.

DE ÆDILITIO ÆDICTO, & REDHIBITORIA & QVANTO MINORIS ACTIONE.

„ Verba autem Ædilium ſic dicunt: Qui mancipia ven-
„ dunt, certiores faciant emptores, quid morbi vitijue
„ cuique ſit, quis fugitiuus erróue ſit, noxáue ſolutus non
„ ſit, eademque omnia cum ea mancipia venibunt palam
„ recto pronuncianto. Quod ſi mancipium aduerſus ea ve
„ niſſet, ſiue aduerſus quod dictum permiſſúmue fuerit con
„ ueniret, fuiſſet, quod eius præſtari oportere dicetur em-
„ ptori omnibuſque ad quos ea res pertinet, iudicium da-
„ bimus, vt id mancipium redhibeatur, ſi quid autem poſt
„ venditionem, traditionemque, deterius emptoris opera,
„ familiæ procuratoriſue eius, factum erit: ſiue quid ex eo
„ poſt venditioné natũ acquiſitũ fuerit, ſi quid aliud in vé-
„ ditone ei acceſſerit, ſiue quid ex ea re fructus peruenerit
„ ad emptorem, vt ea omnia reſtituat: item ſi quas acceſ-
„ ſiones ipſe præſtiterit vt recipiat. Item ſi quod manci-
„ pium capitalem fraudem admiſerit, mortis conſciſcen-
„ dæ ſibi cauſa quid fecerit, ínue harenam depugnádi cauſa
„ ad beſtias intromiſſus fuerit, ea omnia in véditione pro-
„ nuncianto. Ex his enim cauſis iudicium dabimus: hoc
„ amplius, ſi quis aduerſus ea ſciens dolo malo vendidiſſe
„ dicerur, iudicium dabimus. Item Ædiles aiunt: Qui
„ iumenta vendunt, palam recte dicunto, quid in quoque
„ eorum morbi vitijque ſit, vti quæ optimè ornata ven-
„ dédi cauſa fuerint: ita emptoribus tradẽtur, ſi quid ita fa-
„ ctũ non erit, de ornamẽtis reſtituendis, iumẽtiſue orna-
„ mentorum nomine redhibendis in diebus ſexaginta,
„ morbi autem vitijue cauſa in emptis faciẽdis in ſex men
„ ſibus, vel quo minoris cum venirent fuerint, in anno iu-
„ dicium dabimus. Si iumenta paria ſimul venierint, &
„ alterum in ea cauſa fuerit, vt redhiberi debeat, iudicium
„ dabimus, quo vtrumque redhibeatur. Quæ de iumen-
„ torum ſanitate diximus, de cætero quoq; pecore omni
„ venditores faciunto. Deinde aiunt Ædiles: Ne quis
„ canem, verrem, vel minorem aprum, lupum, vrſum, pan-
„ theram, leonem, aliúdue quod noceret animal, ſiue ſoluta
„ ſint, ſiue alligata, vt cõtineri vinculis quo minus damnũ

inferant,

inferant, non possint: qua vulgo iter fiet, ita habuisse ve- «
lit, vt cuiquam nocere damnumue dare possit. Si ad- «
uersus ea factum erit, & homo liber ex ea re perierit, so- «
lidi ducenti, si nocitum homini libero esse dicetur, «
quanti bonum æquum iudici videbitur condemnetur: «
cæterarum rerum quanti damnum datum factúmue sit, «
dupli. Super euictione rei venditæ, vel simpla solet promitti, vel dupla. Simpla est quæ communi nomine stipulatio euictionis dicitur, de qua quidem Vlpianus habet in hunc modum. Siue tota res euincatur, siue eius pars: habet regressum emptor in venditorem. Sed cum pars euincitur, siquidem pro indiuiso euincatur, regressum habet pro quantitate euictæ partis. Quod si certus locus sit euictus, non pro indiuiso portio fundi, pro bonitate loci erit regressus. Quid enim si quod fuit in agro preciosissimum hoc euictum est: aut quod fuit in agro vilissimum? Æstimabitur loci qualitas, & sic erit regressus. Iulianus. Venditor hominis emptori præstare debet, quanti eius interest hominem venditoris fuisse. Quare siue partus ancillæ, siue hæreditas quam seruus iussu emptoris adierit euicta fuerit: agi ex empto potest, & sicut obligatus est venditor, vt præstet habere licere hominem quem vendidit: ita ea quoque quæ per eum acquiri potuerunt, præstari debent emptori vt habeat. De stipulatione duplæ sic ait Vlpianus: Emptori duplum promitti à venditore oportet, nisi aliud conuenit, non tamen vt satisdetur, nisi specialiter id actum proponatur, vt repromittatur. Quod autem diximus duplam promitti oportere, sic erit accipiēdum, vt non ex omni re id accipiamus, sed de ijs rebus, quæ preciosiores essent, si margarita forte aut ornamēta preciosa, vel vestis serica, vel quid aliud non contēptibile venierit. Committi autem dicitur, inquit Pomponius, duplæ stipulatio, tunc cùm res restituta est petitori, vel damnatus est in litis æstimationē, vel possessor ab emptore

DE EVICTIONIBVS & DVPLÆ STIPVLATIONE.

conuentus absolutus est. Iam autem quia nonnunquam contingit, vt euictionem minetur nō tertius aliquis, sed ipse venditor: iure cōparatum est, vt emptori & hæredi eius, exceptio quædam cōtra venditorem & eius hæredem accōmodetur, quę rei venditæ ac traditæ dicatur. Verba autē Vlpiani de ea exceptione hęc sunt: Marcellus scribit, si alienū fundum vendideris, & tuū postea factum petas, te exceptione recte repellendū. Sed & si dominus fundi hæres venditori existat, idem erit dicendū. Si quis rem meam mādato meo vendiderit, vendicāti mihi rem venditā, nocebit hęc exceptio, nisi probetur me mādasse, ne traderetur, anteq̄ precium soluatur. De vsuris & fructibus rerum debitarum, primùm illud certū est, vsuram nihil aliud Latinis significare, quam ipsum vsum, licet secundum communem loquendi formam pro vsusprecio accipiatur. Et quidem quemadmodum fœnus proprie appellatur, naturalis terræ fœtus, quāobrem & numorum fœtus, fœnus vocatur, vt inquit Festus, & de ea re, leges fœnebres: ita etiam vsura dicta est, tanquam quæ sit merces ipsius vsus pecuniæ, quæ haud aliter in pecunijs conducendis, vt sæpe est apud Plautum, atq; in cæterarum rerum locatione interuenit. Horatius. Omnia conductis coëmens obsonia nummis. Sed videamus causam & originem, tum ipsarū vsurarū, tum reliquarū accessionum. Nam crescit res debita duobus modis, vel per se sua sponte, vel ratione personarū, quæ aut obligatæ sunt, aut crediderunt. Sua sponte res crescunt, veluti si vel fructus edāt, vel augmētētur, vt per alluuionē: vel meliorētur, veluti si seruus artibus imbuatur. Vtrū ergo hæ accessiones vna cum re principali debita, præstari debeant, nec ne, docet plenissimè Paulus Iurecōsultus his verbis. Videamus generaliter quando in actione, quæ est in personam, etiā fructus veniāt. Et quidē si fundus ob rē datus sit, veluti dotis causa & renūciata sit affinitas: fructus quoq; restituēdi sunt, vtiq; ij q percepti sunt eo tēpore quo sperabatur

DE EXCEPTIONE REI VENDITÆ AC TRADITÆ.

DE VSVRIS & FRVCTIBVS, ET CAVSIS, & OMNIBVS ACCESSIONIBVS, ET MORA.

batur affinitas. Sed & posteriores, si in rem mora fuerit, ab illo, qui reddere debeat, omnimodo restituẽdi sunt. Sed etsi per mulieré steterit, quo minus nuptię cõtrahantur, magis est vt debeat fructus recipere. Ratio auté hæc est, quòd si sponsus nõ conueniebatur restituere fructus, licuerat ei negligere fundum. Itẽ si indebitũ fundũ solui, & repeto, fructus quoq; repetere debeo. Idemq; est, si mortis causa fundus fuerit donatus, & conualuerit qui donauit, atq; ita condictio nascatur. In Fauiana quoq; actione & Pauliana, per quam, quæ in fraudem creditorum alienata sunt, reuocantur, fructus quoque restituuntur, nam Prætor id agit, vt perinde sint omnia, atq; si nihil alienatum esset, quod non est iniquum. Nam & verbum Restituas, quod in hanc rem Prætor dixit, plenam habet significationem, vt fructus quoq; restituantur. Et ideo cùm restitui Prætor vult, veluti interdicto vnde vi, etiã fructus sunt restituendi. Item si vi, metúsue causa, rem tradã, non aliter mihi restituere videtur, q̃ si fructus mihi restituat, nec mora mea mihi aliquid aufert. Si actioné habeam ad id consequendũ, quod meum non fuit, veluti ex stipulatu fructus non consequar, etiã si mora facta sit. Quod si acceptum est iudicium, Sabinus & Cassius ex æquitate, fructus quoq; post acceptum iudicium præstandos putant, vt causa restituatur, quod puto rectè dici. Ex causa etiam emptionis, fructus restituendi sunt, sed in societatibus fructus communicandi sunt. Si possessionem naturalem reuocem, proprietas mea manet. Videamns de fructibus. Et quidem in deposito & commodato, fructus quoq; præstandi sunt, sicut diximus. In interdicto quoq; quod vi aut clam, magis est, vt omnis causa & fructus restituantur. Ante matrimonium quoq; fructus percepti, dotis fiunt, & cum ea restituũtur. Eadem ratio est, in fructibus prædiorũ vrbanorũ. Item si diuidere tecũ fundum velim, tu nolis, & colam, an fructus diuidi debeát post deductionem impensarum? & puto diuidendos. In cęteris quoq; bonæfidei iudicijs, fructus omnimodo pręstantur.

Si dos prælegata fuerit, ante nuptias percepti fructus in causam legati veniunt. Hucusque Iulius Paulus. Respectu personarum crescit debitum, duobus iterum modis: nam vel spectamus id quod interest creditoris, pecuniam solutam non esse, vel moram debitoris, quæ proculdubio pœnam aliquam meretur. Atque ex hisce præcipuè duobus, puto equidem constare omnes vsuras, quarum hic mentio habetur. Nam hæ infliguntur partim ea causa, quòd interest creditoris pecuniam in arca potius habere, quàm apud debitorem: partim propter moram non soluentium, veluti si interpellati opportuno loco, non soluerint: partim denique propter naturalem rationem qua iubemur, quemadmodum inquit Hesiodus, mutuum cum fœnore restituere. Sed sunt fœnoris & vsurarum duę quodammodo species, quarum aliæ sunt fauorabiles, aliæ odiosę. Fauorabiles sunt, quæ in bonę fidei contractibus ex mora debentur: nam cum iudicio bonę fidei disceptatur, arbitrio iudicis, vsurarum modus ex more regionis vbi contractum est, constituitur. Odiosæ sunt, conuentionales, in mutuis pecunijs, quæ quidem turpes habentur, vt inquit Cato, tum quia per se contra naturam sunt, nam id quod mihi nõ nocet, & alteri prodest, gratis facere teneor, non mercede, tum verò quia hij qui eos exercent, improbi ferè homines sunt & auari, qui tantum hoc agunt, vt ex alieno damno suum compendium quęrant. Causa verò cur tolerentur, propter necessitatem est, vt ait Papinianus, depositi c. 9. nam vt & is qui eget, inueniat pecuniam cõmodatam: & is qui abundat, pro periculo suo, & eo quod interest, aliquod quasi honorarium habeat: recte modus legibus constitutus est, ad quem vsq; fœnerari pecuniam sit concessum. Et quidem licet apud nonnullas gentes, quarum Ælianus meminit, & in sacris literis, vsuræ sint prohibitæ: tamẽ res ipsa semper, tam apud Asiaticos, quàm apud Græcos, Romanos, & alios docuit, non posse fieri, vt magnus mercatus & negotiatio, sine vsu mensarum argentariarum conseruetur.

ſeruetur. Eſtque hac de cauſa factum, cur Romani non prohibuerint quidem ab initio vſuras, ſed modum illis certum & formam dederint, vt eſt apud Tacitũ, libro quinto. Ac vt legittimę quidem habeãtur vſurę (nã alioqui fur dupli, fœnerator quadrupli punitur, ſecũdum veteres) tum hoc neceſſariũ eſt, vt modum non egrediantur, veluti ne quis vnciario fœnore amplius exerceat, ſecundum 12. tab. quod hodie mutatum eſt, tum verò illud, vt ſolennibus ſtipulationibus interpoſitis promittantur: nam niſi hoc ita fiat, verius eſt, non valere conſtitutionem vſurarum. Planè quibuſdam in contractibus etiam ſine ſtipulatione, vſuræ debentur, quemadmodum per ſtipulationem. Nam ſi dedero decem traiectitia, vt ſalua naui, ſortem cum certis vſuris recipiam: dicẽdum eſt, ait Paulus: poſſe me ſortem cum vſuris recipere. Vocatur autem traiectitia pecunia ea, quæ trans mare periculo creditoris vehitur, qui quidem ob id poteſt ſine ſtipulatione vſuras maritimas ſiue nauticas legittimè paciſci, quia non tam percipit eas pro vſus precio, quàm pro ſuſceptione periculi, idque ſiue ſit ἑτερόπλους cùm periculum ſuſcipitur abitus tantum: ſiue ἀμφοτερόπλους, cùm periculum ſuſcipitur abitus & reditus ſimul, nam ſolent hiſce duobus modis, veteres, nauticas, ſiue maritimas pecunias credere. Nunc videamus de probationibus contractuũ, quę quidem incumbunt ei qui dicit, non ei qui negat, niſi in exceptionibus: nam in ijs verum eſt, reum partibus actoris fungi oportere, ipſumq; exceptionem velut intentionem implere: item ſi præſumptione aliqua ſubnixus ſit actor, nam ea res efficit, vt probatio contraria in reum conuentum transferatur. Extra has duas cauſas, regulariter receptum eſt, actoris eſſe iudici cauſam ſuam probare, id eſt, probam & rectam oſtendere. Fit autem id multis quidem & varijs modis, à quibus de probationibus potius quàm de probatione titulus factus eſt: ſed ijs tãmen potiſſimum duobus: vno quidem per inſtrumenta, altero verò per teſtes duos aut plures.

DE NAVTICO FOENORE

DE PROBATIONIBVS ET PRÆSVMPTIONIBVS.

DE FIDE INSTRVMENTORV ET AMISSIONE EORVM.

Inſtrumentorum nomine, quanquam ea omnia accipienda ſunt, quibus cauſa inſtrui poteſt: tamen ea propriè amplectimur, quę ſcriptura conſtant & literis: de his ſic ait Paulus. Quicunque à fiſco conuenitur, non ex indice & exemplo alicuius ſcripturę, ſed ex authentico conueniendus eſt: ita, ſi contractus fides poſſit oſtendi. Cęterum calumnioſam ſcripturam vim in iudicio obtinere, non cōuenit. Cenſus & monumēta publica potiora teſtibus eſſe Senatus cēſuit.

DE TESTIBVS.

Teſtes ſunt, quos veteres ſuperſtites (vt author eſt Feſtus) & antiſtites vocabāt, ducto videlicet nomine ab eo, quòd ſuper ea re, de qua rogabantur, ſtarent. De his multa ſunt apud Moſem, Platonem, Philonem, & alios. Nam teſtimoniorū, inquit Arcadius, vſus frequens ac neceſſarius, & ab ijs præcipuè exigendus, quorum fides non vacillat. Adhiberi quoque teſtes poſſunt, non ſolum in criminalibus cauſis, ſed etiá in pecuniarijs litibus, ſicubi res poſtulat, & ij, quibus non interdicitur teſtimonium, nec vlla lege à dicendo teſtimonio excuſantur. Modeſtinus. In teſtibus autem fides, dignitas, mores, grauitas examinanda eſt, & ideo teſtes, qui aduerſus fidem teſtationis ſuæ vacillant, audiēdi nō ſunt. Calliſtratus. Teſtium fides diligenter examinanda eſt, ideoque in perſona eorum diligenter exploranda erit conditio cuiuſque, vtrum quis decurio an plebeius ſit, & an honeſtæ & inculpatæ vitæ, an verò notatus quis & reprehenſibilis, & an locuples vel egens ſit, vt lucri cauſa quid facile admittat, vel an ei inimicus ſit aduerſus quem teſtimonium fert, vel amicus ei ſit, pro quo teſtimonium dat. Nam ſi careat ſuſpitione teſtimonium, vel propter perſonam à qua fertur, quod honeſta ſit: vel propter cauſam, quòd neq; lucri, neque gratiæ, neq; inimicitię cauſa ſit, admittendus eſt. In pluribus teſtibus, quæ argumenta, ad quem modum probandæ cuique rei ſufficiant, nullo certo modo ſatis definiri poteſt. Sicut non ſemper, ita ſæpe ſine publicis monumentis, cuiuſque rei veritas deprehenditur, aliâs numerus teſtium, aliâs dignitas, & authori-

thoritas aliâs, veluti consentiens fama, confirmat rei de qua quæritur fidem. Si testes omnes eiusdem honestatis & existimationis sint, & negotij qualitas, aut iudicis motus cum his concurrat: sequenda sunt omnia testimonia. Si verò ex his quidam eorum aliud dixerint, licet impari numero, credendum est, quod naturę negotij conuenit, & quod inimicitiæ aut gratiæ suspicione caret: cõfirmabitq; iudex motũ animi sui ex argumentis & testimonijs, quę & rei aptiora, & vero proximiora esse cõperit. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad syncerá testimoniorũ fidem, & testimonia, quibus potius lux veritatis assistit. Planè quibusdam in contractibus hoc cõtingit, vt non tam testes & testimonia spectemus, q̃ ipsorum contrahẽtium scientiam & ignorátiam: veluti si quis à non domino emat, si quis indebitum imprudẽs soluat, si impuberes qui sine tutore nihil scire intelliguntur, contrahant. Et quidem cùm omnis ignorantia, vel sit facti, veluti si quis nesciat decessisse eũ, cuius bonorum ei possessio defertur: vel iuris, veluti si sciat quidem defunctum esse cognatum, nesciat aũt proximitatis nomen bonorum possessionem sibi deferri: regula est, iuris quidem ignorantiam cuique nocere, nisi si minor quis sit, vel fœmina, vel de dáno vitando pugnás: facti verò ignorantiam non nocere, si non ei summa negligẽtia obijciatur. Et ratio quidem est, quoniá in omni parte error in iure nõ eodem loco quo facti ignorantia haberi debebit, cùm ius finitum & possit esse & debeat, facti autẽ interpretatio, plerumq; etiá prudentissimos fallat.

DE IVRIS ET FACTI IGNORANTIA

Sed de rebus creditis, quæ tum ordinarijs in contractibus consistunt, tum extraordinarijs tum verò in his quæ accessionis vicem obtinent, hæc breuiter dixisse sufficiat.

IOACHIMI

IOACHIMI HOPPERI PHRISII IVRECONSVLTI,

AD PANDECTAS IVRIS CIVILIS,

LIBER QVINTVS.



NVNC sequitur, vt post absolutas actiones, tã iudiciorũ, quàm rerũ creditarum, de ijs porrò actionibus exponamus, quę ab hominibus siue personis exoriuntur. Hę autem duûm sunt omnino generum. Nam vel nascuntur ex causa matrimoniorum, vel ex causa tutelarum, de quibus separatim est exponendum. Ac quantum quidem ad matrimonia pertinet, quibus propter generis propagationem respublica carere naturaliter non potest, ijs multa sunt & varia iure ciuili proposita pręmia. Nam ne coniugiorum molestias & onera fugientes, ad vagos potius cõcubitus & incertos, à quibus legittima soboles sperari non potest homines se conferant: valde prouidendũ fuit, vt premijs & pœnis propositis, ad legittimas nuptias contrahẽdas, quemadmodum author Plato in legibus, inuitentur. Sed non est eadem apud omnes gentes matrimoniorum ratio. Nonnullis enim non placuerunt certa perpetuaque matrimonia, sed incerta, quibus quidem soboles constare potest. Nonnullæ aũt certa quidem probant connubia, sed ea plurium mulierum, quæ certe nimis, vt videtur, onerosa sunt. Romanis aũt is mos semper fuit seruatus, vt vna aliqua legittima coniuge quisq; contentus esset: quæ quidem ratio, tum naturæ maximè congruere videtur, tum verò ad procreãdam etiã & conseruandam sobolem maxi-

maxime est idonea. Sed non erat omnium vxorum, apud priscos Romanos, vna & eadem forma. Quædam enim matresfamiliarum dicebantur, quæ videlicet in manum conuenissent, quædam tantummodo vxores, quæ vel per confarreationē fiebāt, vt suo loco latius expositum est, vel per vsurpationem. Prȩterea in conciliandis, spondendis & contrahendis nuptijs, hȩc obseruabantur. Conuentæ cōditio, inquit Festus, dicebatur, cùm primus sermo de nuptijs & earum cōditione habebatur. Sponsalia constituebantur, sponsionibus, non tam inter coniuges futuros factis, quàm inter eos, qui ipsos haberēt in potestate: nam id licet apud Plautū non vno loco animaduertere. Cœlibari hasta caput nubentis comebatur, quæ in corpore gladiatoris stitisset, abiecti occisique, vt quemadmodum illa coniuncta fuerit cum corpore gladiatoris, sic ipsa cū viro sit, vel quia matronȩ Iunonis Curetis in tutela sint, quȩ ita appellabatur à ferenda hasta, quȩ lingua Sabinorū curis dicitur, vel quod fortes viros genituras ominetur, vel quod nuptiali iure imperio viri subijcitur nubēs, quia hasta summa armorum & imperij est. Adhæc cingulo noua nupta prȩcingebatur, quod vir in lecto soluebat, factum ex lana ouis, vt sicut illa in domum sublata coniuncta inter se sit, sic vir suus secum iunctus vinctusq; esset. Hunc herculaneo nodoque vinctum, vir soluit ominis gratia, vt sic ipse fœlix sit in suscipiendis liberis, vt fuit herculanus, qui septuaginta liberos habuit. Porrò Camelis virginibus supplicare nupturæ solitæ erant.

Item Cinxiȩ Iunonis nomē sanctū habebatur in nuptijs, quod initio coniugij, solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta. Cumeram etiam vocabant vas quoddam, quod opertum in nuptijs ferebant, in quo erant nubentis vtensilia, quod & Camillum dicebant, eò quod sacrorum ministrum κάμιλον appellabant. Iam verò diffarreatio, genus erat sacrificij, quod inter virum & mulierem fiebat, farreo libo adhibito. Prȩterea facem in nuptijs in honorem Cereris prȩferebant, aquaque spargebatur

batur noua nupta, siue vt casta, puraque ad virum veniret, siue vt ignem atque aquam cum viro communicaret. Item Nonarum, Iduum, Calẽdarumq; dies nuptijs alieni habebantur, quoniam ij dies decreto pontificum atri iudicati sunt, quod quotiescunque Romani duces, belli gerẽdi gratia, his diebus supplicauerunt, male Rempublicam gesière. Adhæc patrum & matrum pueri tres adhibebantur in nuptijs, vnus qui facem præferret ex spina alba, quia noctu nubebant: duo qui nubentem tenebant. Denique pronubæ adhibebantur nuptijs, quæ semel nupserát, causa auspicij, vt singulare perseueraret matrimonium. Hæc Festus Pompeius. Quæ quidem ideo latius libuit hic inserere, vt ijs quę sequũtur lucis inde aliquid accedere possit. Nam quẽadmodum hodie aurei, ita olim ferrei annuli solent à spõso ad sponsam quemadmodum author est Plinius mittitari. Quantum ad nostrum attinet institutum, nos prius de ipsis nuptijs, & de his quę antecedunt ac consequuntur nuptias dicemus, post deinde verò de actionibus, quæ post dissoluta matrimonia competunt & interponuntur tractabimus.

DE NVPTIIS.



VPTIÆ à nubendo, quod propriè significat velo vel tego, nomen acceperunt. Nam quia noua nupta, dum viro tradebatur, flammeo præ pudore caput obuoluebat: factum est, vt nubere accipiatur pro tradi viro. Lucanus. Non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem, Lutea demissos velarunt flammea vultus. Definit autem nuptias Modestinus his verbis. Nuptiæ sunt, coniunctio maris & fœminę, consortium omnis vitæ, diuini & humani iuris communicatio. Quòd viri & fœminæ coniunctionem dicit: corporum copulationem ad prolem exuscitandam significat: quod omnis vitæ cõsortium: cunctarum fortunarũ, participationẽ: qđ diuini & huãi iuris coĩcationẽ; sũ

coop-

cooptionem mulieris in familiam, poteſtatem, tutelam, & dignitatē mariti : tum verò in priuatorum ſacrorum, quæ quiſq; familiaria ac domeſtica habere ſolebat, à quibus & Lar familiaris dicebatur, & cum ſacris hæreditas, & in ſacris patris commoratio, ſocietatem. Et quidem cum vniuerſa hominis beatitudo ac vita hiſce tribus contineatur, bonis ſcilicet corporis, fortunæ, ac animi : rectè Modeſtinus, volens oſtendere, nuptias nihil aliud eſſe, quàm arctiſſimam quandam viri & fœminæ coniunctionem, per omnes hoſce tres gradus, ordine progreditur. Sed quoniam nonnulla ſunt, quæ antecedunt nuptias, nonnulla quæ conſtituunt, nonnulla quæ conſeruant, nonnulla denique quæ diſſoluunt, è re eſt, vt de ſingulis diſpiciamus. Nam pręcedunt, ſponſalia, conſtituũt autem, tum certi ritus & cerimonię, tum verò dotes, conſeruant donationum hinc inde prohibitiones, diſtrahunt diuortia & repudia. De ſponſalibus ſic ait Florentinus. Sponſalia ſunt mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum. Vlpianus. Sponſalia autem dicta ſunt à ſpondendo, nam moris fuit veteribus, ſtipulari & ſpondere ſibi vxores futuras, vnde & ſponſi ſponſæque appellatio nata eſt. Plautus in Aulularia. Megadorus. Quid? nunc etiam mihi deſpondes filiam? Euclio. Illis legibus cum illa dote, quam dixi tibi. Megadorus. Sponden ergo? Euclio. Spondeo, iſtud dij bene vertant. Megadorus. Ita faxint. Enimuero hodie ſufficit nudus conſenſus ad conſtituenda ſponſalia, conſtatque & abſenti abſentem deſpõderi poſſe, & hoc quotidie fieri. Paulus. In ſponſalibus nihil intereſt, vtrum teſtatio interponatur, an alijs ſine ſcriptura ſpondeat. Vlpianus. In ſponſalibus conſtituendis parui refert, per ſe & coram, an per internuntium, vel per epiſtolam, an per aliud hoc factum eſt, & ferè plerumque conditiones, interpoſitis perſonis, expediuntur. Sponſalia ſicut nuptiæ, conſenſu contrahentium fiunt, & ideo ſicut nuptijs, ita ſponſalibus filiamfamilias conſen-

DE SPONSALIBVS.

consentire oportet, sed ea quæ patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur. Tunc autem solum dissentiendi à patre licentia filiæ conceditur, si indignũ moribus vel turpem sponsum pater ei eligat. nec est in sponsalibus ætas contrahentium definita, vt in nuptijs. Post constituta sponsalia, sæpe iustæ ac necessariæ causæ, non solum annum vel biennium, sed etiam triennium & quadriennium, & vlterius trahunt sponsalia, veluti valetudo sponsi sponsęue, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quę ex necessitate fiunt. Dissoluuntur autem sponsalia, remisso nuncio, non per tutores adolescentis vel puellæ, nec per patrem, qui filium filiámue in potestate non habet, sed per ipsum sponsum aut sponsam. In potestate manente filia, pater nuncium remittere potest, & dissoluere sponsalia. Ritus nuptiarum varijs in rebus cernuntur, secundum Platonem & veteres leges Romuli ac duodecim tabularum: verum iure nouo Romanorum, partim ętas contrahentium spectatur, partim voluntas eorum quorum in potestate degunt contrahentes, partim deductio ipsa in domum, cuius & Comici subinde mentionem faciunt, partim deniq; cognatio, affinitas, & ordo eorum qui matrimonio copulantur. Quantum ad ætatem pertinet, id olim moris esse solebat, vt (quéadmodum etiam apud Platoné est) nõ tam anni, quàm ipsa corpora inspicerentur: sed cum id verecundiæ suorum temporum non satis conuenire iudicarent posteriores prudentes, ita statuerunt, vt secundum ea quæ communiter accidunt, masculi post expletũ quartumdecimum annum puberes, fœminæ post duodecimũ viripotentes habeantur. Minorem autem duodecim annis nuptam, tunc legittimam vxorem fore, cùm apud virum duodecim annos implesset. De consensu tam contrahentium, quàm aliorum, sic ait Paulus: Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est, qui coeunt, quorúq; in potestate sunt: quod tamé sic accipe. primum vt vxorem ducere cogi filiusfamilias nõ possit, de

DE RITV NVPTIARVM.

inde

inde, vt qui liberos quos in potestate habent iniuria prohibuerint vxorem ducere vel nubere, vel qui dotem dare noluerint: ex constitutione diuorum Seueri & Antonini, per proconsules pręsidesque prouinciarum, cogantur in matrimonium collocare & dotare. De in domum deductione, Pomponius. Mulierem absenti per literas eius vel per nuntium posse nubere placet, si in domum eius duceretur, eam verò quæ abesset, ex literis vel nuncio suo duci à marito non posse, deductione enim opus esse in mariti, non in vxoris domum, quasi in domicilium matrimonij. De consanguineis, affinibus, senatoribus, prouinciarum rectoribus, tutoribus, & aliis similibus, ac eorum nuptijs, principio sic habet Paulus. Iure gentium incestum committit, qui ex gradu ascendentium vel descendentium vxorem duxerit. Qui verò vel ex latere venientium eam vxorem duxerit, quam vetatur, vel affinem quam impeditur, siquidem palam fecerit, leuius, si clam hęc cōmiserit, grauius puniatur, cuius diuersitatis illa ratio est circa matrimonium quod ex latere non bene contrahitur, quòd palam delinquentes vt errantes maiori pœna excusantur, clam committentes vt contumaces plectuntur. Iterum Paulus libro primo ad legem Iuliam & Papiam, de maritandis ordinibus. Lege Iulia ita cauetur. Quicunque senator est, quiue filius nepos pronepósue ex filio vel ex filia natus cuius eorum est erit: ne quis eorum sponsam vxorémue sciens dolo malo habeto libertinam, aut eam quæ ipsa, cuiúsue pater matérue artem ludicram facit fecitue, néue senatoris filia neptísue ex filio proneptísue ex nepote filio nato nata, libertino, eiue qui ipse cuiúsue pater matérue artē ludicrā facit, fecítue sponsa nuptáue sciēs dolo malo esto, néue quis eorum sciens dolo malo sponsam vxorémue eam habeto. Idem Paulus. Si quis officium in aliqua prouincia administrat, inde oriundam, vel ibi domicilium habentem vxoré ducere non potest, quamuis sponsare non prohibeatur, ita scilicet vt si post officium depo-

posi

positum noluerit mulier nuptias contrahere, liceat ei hoc facere, arris tantummodo redditis quas acceperit. Veterem autem sponsam in prouincia quam quis administrat, vxorem ducere potest, & dos data non sit caduca. Martianus: Qui in prouincia officium aliquod gerit, prohibetur etiam consentire filio suo vxorem ducenti, quamuis filias suas collocare, & dotem constituere non prohibetur. Paulus: Non est matrimonium, si tutor vel curator pupillam suam intra vicesimumquintum annum non desponsatam à patre, neque testamento destinatam ducat vxorem, vel eam filio suo iungat, quo facto, vterque infamatur, & pro dignitate pupillę extra ordinem coercetur. Et ratio quidem generalis est, secundum Modestinum, quia semper in coniunctionibus non solum quid liceat considerandum est, sed & quid honestum sit.

DE IVRE DOTIVM.

Dos est, quæ marito ab vxore datur, ducto nomine à donando secundum Festum Pompeium: est enim causa eius perpetua, & cum voto eius qui dat, ita contrahitur, vt semper apud maritum sit, censeturq; Reipublicę interesse, mulieres dotes suas saluas habere, propter quas nubere possint. Planè dotis appellatio (inquit Vlpianus) non refertur ad ea matrimonia, quæ consistere non possunt, neq; enim dos sine matrimonio esse potest. & vbicunque matrimonij nomen non est, nec dos est: sed dotis causa data, accipere debemus ea, quę in dotem dantur. Cæterum si res dentur in ea quæ Græci παράφερνα dicunt, quæq; Galli Peculium appellant, quęsitum est, an statim efficiantur mariti? Et est verius, si sic dentur, vt eius fiant, effici mariti, & cum distractum fuerit matrimonium, vendicari non oportere, sed condici, nec dotis actione peti, vt diuus Marcus Imperator, cum patre rescripsit. Enimuerò de tota dotium causa, quantum ad Platonem pertinet, scio equidem illi vnam tantum ciuitatem & rempublicā informanti, aliter quàm nostris latoribus circa dotes placuisse. Verba enim eius in quinto & sexto de legibus sic habent. Nemini aut dare dotes,

aut

aut accipere liceat: nam mulieribus contumeliosus fastus minor erit, minor & viris humilis illiberalisque seruitus. Qui paruerit, vnum sanè hoc aget præclare: qui verò non paruerit, sed aut dederit, aut acceperit, quod quinquaginta drachmas excedat, vestimenti gratia: alius minam, alius tres semiminas, alius minas duas, & qui censum habet supremum, tantundem rursus persoluat ærario, & quicquid datum fuerit vel acceptum, Ioui atque Iunoni consecretur. Atque hæc quidem consentiunt cum his, quæ & Solon, vt est apud Plutarchum, de dotibus memoriæ prodidit. Sed nostri legislatores, quoniam non vni alicui formæ Reipublicæ consulunt, sed vniuerso penè mundo, qui varias Rerumpublicarum figuras comprehendit: recte sic se instituunt, vt ad communem hominum, vt nunc est, naturam potius, quàm vnius populi instituta se accommodent, qua quidem causa fit, vt dotium causas non solum non repudiandas, verum quod amplius est, tanquam ad summam Reipublicæ pertinentes, valde probandas duxerint. Constituta igitur dote, vel vniuersorum bonorum mulieris, nullis receptis, vel certæ alicuius partis, primum hoc iuris est, vt quamuis mulieris dos maneat, in bonis tamen mariti, pro oneribus matrimonij computetur, & fructus inde percepti, rationibus illius inferantur. Equidem quantum ad custodiam pertinet, periculum quidē rerum dotalium pertinet ad mulierem, tanquam reapse dominam: sed dolum, culpam, & diligentiam agnoscit maritus, vtpote cuius præcipuè causa dos præstetur. Cæterum res quæ numero, pondere ac mensura constant, etiam periculo eius sunt: quia in hoc dantur, vt eas maritus ad arbitrium suum distrahat, & quandoque soluto matrimonio, eiusdem generis & qualitatis, alias restituat, vel ipse, vel hæres eius. Et hæc quidem ita obtinent, si nihil dictum nec conuentum sit, nam alioqui si qua pactio intercesserit, eius lex regulariter seruanda

DE PACTIS DOTALIBVS.

est, si modo non honestas, vel rei subiectæ qualitas & natura repugnet. De lege Iulia de fundo dotali, sic ait Caius libro vndecimo ad ædictum prouinciale. Lex Iulia quæ dotali prædio prospexit, ne id marito liceat obligare aut alienare, plenius interpretanda est, vt etiam de sponso idem iuris sit, quod de marito. Iulianus libro tertiodecimo Digestorum scribit, neque seruitutes fundo debitas, posse maritum amittere, neque ei alias imponere. Sed nec libertas seruitutis vrbano prædio dotali debitæ competit: ne per hoc deterior conditio dotalis prædij fiat. Paulus. Fundus dotalis seruo legatus, ad legem Iuliam pertinet, & est quasi dotalis.

DE FVNDO DOTALI.

Toties autem non potest alienari fundus, quoties mulieri actio de dote competit, aut omnimodo competitura est. De donationibus inter virum & vxorem prohibitis, non solum Romani, verum etiam Græci, in quibus sunt Plato, & Plutarchus in Problematis ac Solone, meminerunt. dicitque Vlpianus: hoc ius, non tam lege lata, quàm moribus, (quod quidem significat, naturale potius esse, quàm ciuile, secundum Pomponium, de ritu nuptiarum capite octauo) inductum esse. Quanquàm oratione Antonini, laxatum aliquid est ex iuris rigore. Verba autem Vlpiani ac Pauli de prohibita huiusmodi donatione, hæc sunt: Moribus apud nos receptum est, ne inter virum & vxorem donationes valerent. Hoc autem receptum est, ne mutuo amore inuicem spoliarentur, donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate abutentes. nec esset eis studium, liberos potius educandi. Sextus Ælius & illam causam adijciebat, quia sæpe futurum esset, vt discuterentur matrimonia, si non daret is qui posset, atque ea ratione euenturum, vt venalia matrimonia essent.

DE DONATIONIBVS INTER VIRVM & VXOREM.

Hæc ratio & oratione Imperatoris nostri Antonini Augusti electa est, nam ita ait: Maiores nostri inter virum
" & vxorem, donationes prohibuerunt, amorem hone-
" stum solis animis æstimantes, famæ etiam coniuncto-

rum

rum consulentes, ne cōcordia precio conciliari videre- "
tur, néue melior in paupertatem incideret, & deterior "
ditior fieret. De eo autem quod remissum est ex hoc "
iuris rigore, iterū sic ait idē Vlpianus. Cum hic status esset donationum inter virum & vxorem, quem ante retulimus, Imperator noster Antoninus, ante excessum Diui Seueri patris sui, oratione in Senatu habita, author fuit censendi, Fuluio Æmiliano, & Mummio Albino consulibus, vt aliquid relaxaretur ex iuris rigore. Nam ait oratio: fas esse eum quidem qui donauit pœnitere: hæredem verò eripere, forsitan aduersus voluntatem supremam eius qui donauit, durum & auarum esse. Et proinde si prior vita decesserit, qui donatum accepit, in irritum quidem deduci donationem, sed contra, si is qui liberalitatem exercuit: ratam eam haberi, & tanquàm ex supremæ voluntatis elogio, confirmari.

DE DIVORTIIS & REPVDIIS.

Dissoluuntur matrimonia, tribus potissimum modis, morte, captiuitate, ac diuortio. Morte quidem, veluti si alter coniugū è vita decedat, permittitur enim cōfestim superstiti ad aliud matrimonium transire, si modo non intra annum luctus, qui iure veteri pręscriptus est, mulier nubat. Captiuitate, veluti si hostium potitus sit alter coniugū: nam seruitutē mortalitati cōparamus, & ideo captiui vxor, inquit alibi Tryphoninus, tametsi maxime velit, & in domo eius sit, non tamen est in matrimonio. Diuortio, veluti si alter alteri nuncium mittat. Nam diuortium, inquit Caius; vel à diuersitate mentium dictum est, vel quia in diuersas partes eunt qui distrahunt matrimonium. Repudium à pudore tractum est secundum Festum, nam vix est, vt sine aliqua pudoris suggillatione, tam arcta diuinaque coniunctio dirimatur. Quanquam inter diuortium ac repudium, hoc interesse dicat Paulus, quòd repudiari etiam futurum matrimonium possit, non rectè autem sponsa diuertisse dicatur. Verba autē in diuortijs & repudijs comprobata, quemadmodum & apud Comicos videre licet, sunt hæc: Res

tuas tibi habeto, item hæc: tuas res tibi agito. Item in sponsalibus quoq; discutiendis, inquit Caius, placuit renunciationem interuenire oportere, in qua re hęc verba probata sunt: Conditione tua non vtar. Siue autem ipsi præsenti renuncietur, siue absenti, per eum in cuius potestate sit, vel quem ipse habeat in potestate, nihil interest. Paulus. Diuortium non est verum, nisi quod animo perpetuam constituendi dissensionem, fiat. Itaque quicquid calore iracundiæ vel fit vel dicitur, non prius ratum esse, quàm perseuerantia apparuerit, iudicium animi fuisse, ideoq; per caloré misso repudio, si breui reuersa est vxor, nec diuertisse videtur. Prętereà nullum diuortium ratum est, nisi septem ciuibus Romanis puberibus testibus adhibitis, præter libertum eius qui diuortium facit. De diuortio patroni & libertæ coniugum, verba legis Iuliæ & Papiæ hæc sunt. Diuortij faciendi potestas libertæ quę nupta est patrono, ne esto, quàm diu patronus eam vxorem esse volet. Atque hæc quidem, secundum posteriores leges Romanorum, quæ quidé & cũ Mosaicis cõueniunt, & Platonicis, & ijs quæ duodecim tabularũ vocantur. Nam quia persępe contingit, vt vel alter coniugum sterilis sit, vel propter naturę diuersitatem nõ cõueniat inter eos, & ex minimis sępe friuisculis, maxima inter eos iurgia & odia, quéadmodum inquit apud plutarchũ Paulus Æmilius, exoriantur: tolerandum putauerunt veteres illi legumlatores, vt alteri ab altero diuertere liceret. Quamquam apud Romanos, tam inuidiosum nomen diuortij fuerit, vt ante quingentesimum vicesimum tertium annum ab vrbe condita, nullum sit visum diuortium, sed ad Deę Viriplacæ potius sacellum, teste Valerio, accederetur. Verba autem Valerij sunt hæc: Quoties verò inter virum & vxorem aliquid iurgij intercesserat, in sacellum Deæ Viriplacæ, quod est in Palatio, veniebant, & ibi inuicem locuti quæ voluerant, contentione animorum deposita, concordes reuertebantur. Dea nomen hoc à placandis

viris

viris assecuta fertur, veneranda quidem, & nescio an prę-cipuis & exquisitis sacrificijs colenda: vtpote quotidianæ, ac domesticę pacis custos in pari iugo charitatis, ipsa sui appellatione, virorum maiestati debitum, ac fœminis reddens honorem. Conuiuium etiã solenne maiores instituerũt, idq; Charistia appellauerunt, cui præter cognatos affines nemo interponebatur: vt si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mẽsæ, & inter hilaritatẽ animorũ fautoribus Concordiæ adhibitis tolleretur. Et quidem quod iure pontificali nostro, penitus prohibitũ est diuortium, idq; secundũ pręscriptionẽ legis Diuinæ, haud alia ratione factũ est, q̃ quòd hæc de qua loquimur cõiunctio maris & fœminę, natura sua perpetua est, & æternis diuinæ voluntatis vinculis (nam qui creauit hominẽ ab initio, marem & fœminam creauit illos) colligata, quodque diuortium postea cõstitutum, non dictante natura, sed exigente necessitate inductum est. Nec ad rem verò pertinet, quod Iustinianus, qui & ipse Christianã religionem professus est, diuortium non improbauit, quemadmodum nec fœnus quoq; sustulit, nec concubinatum: quæ vtique hodie ambo nostris legibus ac moribus prohibentur: quoniam nihil impedit, quo minus veræ religionis nomen rectè tueatur ea Respublica, quæ licet ad consummatam illam & expletam perfectionem non peruenerit, & propter imbecillitatem humanę naturæ in nonnullis deficiat, tamen ijs est imbuta pręceptis, quibus pręcipua causa veræ puręque religionis, quæ quidem per se exigua est, & grano sinapis comparari solet, continetur. Quoniam aut dictum est hactenus de initiandis, contrahendis, conseruandis, & dissoluendis matrimonijs, consequens est, vt de ijs actionibus, quæ post distractum matrimonium exoriri solent, differamus.

DE VXO-

DE VXORIIS ACTIONIBVS POST DISSOLVTVM MATRIMONIVM COMPETENTIBVS.



EMORIÆ traditum est (inquit Gellius) quingentis fere annis post Romam conditam, nullas rei vxoriç, neque actiones, neque cautiones in vrbe Roma, aut in Latio fuisse, quia profectò nihil desyderabantur, nullis etiam tunc matrimonijs diuertentibus. Seruius quoque Sulpitius in libro quem composuit de dotibus, tum primum cautiones rei vxoriæ necessarias esse visas scripsit, cum Sp. Carbilius cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis, diuortium cum vxore fecit, anno vrbis conditæ quingentesimo vicesimo tertio, M. Attilio, P. valerio Consulibus. Atq; is Carbilius traditur, vxorem quam dimisit, egregie dilexisse, charissimamque morum eius gratia habuisse, & iurisiurandi religionem animo atque amori præuertisse, quòd iurare à censoribus coactus erat, vxorem se liberorum quærendorum gratia habiturum. Hactenus Aulus Gellius in noctibus Atticis, de initijs ac incunabulis harum actionum vxoriarum. Diuiduntur autem, in duas prçcipue species, nam aljæ quidem pertinēt ad res, aliç ad personas. Ad res pertinent, repetitio dotis, quæ mulieri proprie competit, petitio impensarum in res dotales factarum, quæ marito datur, & actio rerum amotarum, quæ vel huic, vel illi tribuitur. Ad personas pertinent, actio de agnoscendis vel alęndis liberis: item de inspiciēdo ventre custodiendoque partu, & de possessione ventris nomine danda vel obtinenda. De repetitione dotis, hæc ferè quæruntur, quando fiat repetitio, per quem, à quo, quarum rerum, & quando cesset. Et quantum quidem ad primum pertinet, regulariter, soluto matrimonio, solui dos mulieri debet. Sed si pondere, numero, mensura contineatur dos, inquit Vlpianus libro

SOLVTO MATRIMONIO, QVĒADMODVM DOS PETATVR.

bro Institutionum, annua, bima, trima die reddetur, nisi si vt pręsens reddatur conuenerit. reliquæ dotes, statim redduntur iure veteri : iure vero nouo, statim, quatenus in rebus quę soli sunt consistũt, quantenus vero in mobilibus, intra annum. De eo autẽ qui ius habet repetendæ dotis, sic habet idem Vlpianus dicto libello Institutionum siue Epitomatôn. Dos aut profectitia dicitur, id est quam pater mulieris dedit, aut aduentitia, id est ea, quę à quouis alio data est. Mortua in matrimonio muliere, dos à patre profecta ad patrem reuertitur, quintis in singulos liberos in infinitum relictis penes virum. Quod si pater non sit, apud maritum remanet. Aduentitia aũt dos semper penes maritum remanet, pręterquàm si is qui dedit, vt sibi redderetur, stipulatus fuit, quæ dos specialiter receptitia dicitur. Diuortio facto, si quidẽ sui iuris sit mulier, ipsa habet actionem, id est dotis repetitionẽ. Quod si in potestate patris sit, pater adiuncta filiæ persona, actionẽ habet reuera, nec interest aduentitia sit dos, an profectitia. Post diuortium, defuncta muliere, hęredi eius actio nõ aliter datur, quàm si morá in dote mulieri reddenda maritus fecerit. De his à quibus petatur dos, iterum ait Vlpianus c. 23. in hunc mundum. Transgrediamur nunc ad articulum hunc, vt quæramus aduersus quos competit de dote actio. Et aduersus ipsum maritum competere palam est, siue ipsi dos data sit, siue alij ex voluntate mariti, vel subiecto iure eius, vel non subiecto. Sed si filiusfamilias maritus sit, & dos socerõ data sit, aduersus socerum agetur. Plane si filio data sit, si quidem iussu soceri, adhuc absolutè socer tenebitur. Quod si filio data sit iniussu patris, Sabin⁹ & Cassius responderunt, nihilominus cum patre agi oportere, videri enim ad eum peruenisse dotẽ, penes quem est peculium. Sufficit aũt ad id damnandum quod est in peculio, vel si quid in rem patris versum est. Sin autẽ socero dotem dederit, cum marito non poterit experiri, nisi patri hæres extiterit. Quòd autem quæritur quarum

propriè

proprie rerum hic fiat condemnatio? ad hoc responde-
tur, omnium, etiam fructuum post dissolutum matrimo
nium perceptorum. Sed vnum hic admonendum est, maritum in id quod facere potest tantum condemnari, licet hoc hæredi eius non præstetur, vtpote quia tale beneficium personale est, & cum persona extinguitur. Et quod dubitatur, vtrum si paciscatur maritus, ne in id quod facere potest, condemnetur, sed in solidum, hoc pactum seruandum sit: verius est seruari non oportere. Nam contra bonos mores id pactum esse, melius est dicere, quippe cùm contra receptam reuerentiam, quæ maritis exhibenda est, id esse appareat. Enimuerò si dolo malo fecerit maritus, quo minus restituere possit, damnandum eum censet Paulus, quanti mulier in litem iurauerit, quia inuitis nobis, res nostras alius retinere non debet. Retétiones ex dote fiunt, aut propter mores, aut propter liberos, aut propter impensas, aut propter res amotas. Morum nomine, grauiorum quidem sextæ retinentur, leuiorum octauæ. grauiores mores sunt adulteria tantum, leuiores omnes reliqui. Mariti mores puniuntur in ea quidem dote, quæ à die reddi debet. Ita propter maiores mores, præsentem dotem reddit: propter minores, senum mensium die. Propter liberos retentio fit, si culpa mulieris aut patris, cuius in potestate sit, diuortium factum sit. Tunc enim singulorum liberorum nomine, sextæ retinentur ex dote, non plures tamen quàm tres sextæ in retentione sunt, non in petitione. Quantum ad impensas in res dotales factas: earum tres sunt species, aut enim necessariæ dicuntur, aut vtiles, aut voluptuosæ. Necessariæ sunt, quibus non factis, dos deterior futura est, veluti aggeres facere, flumina auertere, ædificia vetera fulcire, iterque reficere, arbores in locum demortuarum reponere. Vtiles, quibus non factis quidem deterior dos non fuerit, factis autem fructuosior dos effecta est, veluti pecora prædijs imponere, stercorare vineta, & olíueta facere. Voluptuosæ

DE IMPENSIS IN RES DOTALES FACTIS.

ptuosę, quibus neq; omissis deterior dos fieret, neq; factis fructuosior effecta est, quod euenit in viridarijs & pictorijs similibusq; rebus. De necessarijs impensis regula est, eas dotē minuere: quod quidē sic est accipiēdum, vt Pomponius ait, non vt ipsę res corporaliter diminuantur, vtputa fundus, vel quodcunque aliud corpus (etenim absurdum est diminutionem corporis fieri propter pecuniam) cæterum, hæc res faciet desinere fundum esse dotalem, vel partem eius, & manebit maritus in rerum detentione, donec ei satisfiat. Vtilium nomine ita faciendam deductionem quidam dicunt, si voluntate mulieris factæ sint: iniquum tamen esse compelli mulierem rem vendere: vt impensas in eam factas soluat, si aliundè soluere non potest, quod summam habet æquitatis rationem. Pro voluptuarijs impensis, nisi parata sit mulier pati maritum tollentem, exactionem patitur. Nam si vult habere rem mulier, reddereea quę impensa sunt, debet marito: aut si non vult, pati debet tollentem: si modo recipiant separationem, cæterum si non recipiát, relinquenda sunt. Ita autem permittendum est marito auferre ornamētum quod posuit, si profuturum est ei quod abstulerit. Rerum amotarum iudicium singulare introductum est, siue vir vxori, siue vxor viro, diuortij consilio inito, quid abstulerit. Nam non placuit cum muliere furti agere posse. quibusdam existimantibus, ne furtum quidem eá facere, vt Neruę & Cassio, quia societas vitæ, quodammodo dominam eam faceret. alijs vt Sabino & Proculo, furtum quidē eam facere, sicuti filia patri facit, sed furti non esse actionem, constituto iure: in qua sententia & Iulianus est. Nam in honorem matrimonij, turpis actio aduersus vxorem negatur. & datur condictio, quæ licet ex famosa causa descendat, nō infamat tamen. Ideo autem diximus ita demum locum esse huic actioni, si diuortij consilium initum sit, & reuera secutū sit diuortiū: quoniam si in matrimonio, vxor marito res subtraxerit, cessat rerum amotarum actio, & competit ipsarum

DE ACTIONE RERV AMOTARV.

f rerum

rerum condictio. Nam iure gentium condici res possunt ab ijs, qui non ex iusta causa possident. Senatusconsultum, quod de liberis post diuortium agnoscendis, factum est, duas species complectitur, inquit Vlpianus: vnam eorum qui agnoscunt, alteram eorũ qui falsum partum subijciunt. Permittitur igitur mulieri parentiue eius, in cuius potestate est, vel ei cui mandatum ab eis est, si putet prægnantem, denũciare intra dies triginta post diuortium connumerandos, ipsi marito vel parenti in cuius potestate est, aut ad domum denunciare, si nullius eorum copiam habeat, se prægnantem esse, quo casu mariti est, aut mittere custodes, aut ei denunciare contestato, quod nõ sit ex eo prægnans, quorum si neutrum faciat, pœna eius est, vt cogatur partum agnoscere, & si nõ agnouerit, extra ordinem coërcebitur. Præterea, quia Plautianum Senatusconsultum ad eos partus pertinet, qui post diuortium eduntur: aliud Senatuscõsultum, temporibus Diui Adriani factum est, vt etiamsi cõstante matrimonio partus sit editus, de agnoscendo eo agatur. Si quis à liberis ali desideret, vel si liberi, vt à parẽte exhibeãtur: iudex de ea re cognoscet. Tantũdem est & inter patronos & inter libertos, si de alendis his agatur: nam solent iudices, hac quoq; de re cognoscere. De ventre inspiciendo, causa possessionis obtinendæ, (nam solet Prætor prægnantem mulierẽ in possessionẽ bonorũ mariti defuncti mittere) & itẽ de custodiẽdo partu Prætor sic ait: Si mulier mortuo marito prægnãtẽ se esse dicet: his, ad quos ea res pertinebit, procuratoribúsue eorũ bis in mense denunciatũ curet, vt mittãt (si velint) quæ ventrẽ inspiciãt. Mittãtur autẽ mulieres liberæ, dũtaxat quinq;: Hæq; simul omnes inspiciãt, & ne qua earũ dũ inspicit, inuita muliere vẽtrẽ tangat. mulier in domo honestissimæ fœminæ pariat: quã ego constituam. Mulier ante dies xxx. quam parituram se putet, denunciet ijs, ad quos ea res pertinet, procuratoribúsue eorum, vt mittant si velint, qui ventrem custodiant. In quo cõclaui paritura erit: ibi ne plures aditus sint

Marginal notes: DE AGNOSCENDIS & ALẼDIS LIBERIS, VEL PARENTIBUS, VEL PATRONIS, VEL LIBERTIS. — DE VẼTRE INSPICIENDO, CVSTODIENDOQVE PARTV.

ſint,q̃ vnus: ſi erunt, ex vtraq; parte tabulis pręfigantur: "
ante oſtium eius cõclauis liberi tres, & tres liberę cũ bi- "
niscomitibus cuſtodiant. Quotieſcunque ea mulier in id "
conclaue, aliúdue quod, ſiue in balineum ibit: cuſtodes, ſi "
volent, id ante proſpiciát, & eos, qui introierint, excuti- "
ant. Cuſtodes, qui ante conclaue poſiti erũt (ſi voluerint) "
omnes, qui conclaue aut domũ introierint, excutiát. Mu "
lier cũ parturire incipiet, ijs, ad quos ea res pertinet, pro- "
curatoribúſue eorũ denũciet, vt mittant quibus præſen- "
tibus pariat. Mittantur mulieres liberę duntaxat quinq;: "
ita vt præter obſtetrices duas in eo conclaui ne plures mu "
lieres liberæ ſint, quàm decem, ancillæ quàm ſex. ſed "
hæ, quæ intus futurę erunt, in eo conclaui, excutiantur "
omnes, ne qua pręgnans ſit. Tria lumina, nec minus ibi "
ſint, ſcilicet, quia tenebrę ad ſubijciendum aptiores ſunt. "
Quod natum erit, ijs, ad quos ea res pertinet, procura- "
toribúſue eorum (ſi inſpicere volent) oſtendatur. apud "
eum educatur, apud quem parens iuſſerit: Si autem ni- "
hil parens iuſſerit, aut is, apud quẽ voluerit educari, cu- "
ram non recipiet: apud quem educetur, cauſa cognita con "
ſtituam. Is autem, apud quem educabitur, quod natum e- "
rit, quoad trium menſium ſit, bis in menſe, ex eo tempo- "
re, quoad ſex menſium ſit, ſemel in menſe: à ſex menſi- "
bus, quoad anniculus fiat, alternis menſibus: ab anniculo, "
quoad fari poſſit, ſemel in ſex mẽſibus (vbi volet) oſtẽdat. "
Si cui ventrẽ inſpici, cuſtodiri, adeſſéue partui licitũ non "
erit: factúmue quid erit, quo minus ita ea fiát, vti ſupra cõ "
prehẽſum eſt: ei, qđ natũ erit, poſſeſſionẽ cauſa cognita nõ "
dabo. Siue quod natũ erit, vt ſupra cautũ eſt, inſpici non "
licuerit: quas vtiq; actiones me daturũ polliceor ijs, qui- "
b' ex edicto meo bonorũ poſſeſſio data ſit: eas (ſi mihi iu- "
ſta cauſa eſſe videbitur) ei nõ dabo. Si ventris nomine "
mulier in poſſeſſionem miſſa, eadem poſſeſſio dolo malo ad alium tranſlata eſſe, dicatur: rectiſſime Prætor edicto proſpexit, ne dũ in fauorem partus poſſeſſionem polliceatur, alijs predę occaſionem prębeat. Idcirco conſtituit

SI VETRIS NOMINE MVLIERE IN POSSESSIONE MISSA, EADEM POSSESSIO DOLO MALO AD ALIVM TRÃSLATA ESSE DICATVR.

actionem in mulierem : quæ in alium possessionem hanc dolo malo transtulit, in tantum, quanti interfuerit eius qui experitur. Et qui per dolum venit in possessionem, cogitur decedere, non Prætoria quidem potestate, vel manu ministrorum, sed per interdictum: remissione ad ius ordinarium facta. Si mulier ventris nomine in possessione calumniæ causa esse dicetur, competit ei, cuius interfuit in possessione missam eam non esse, vtpote cohæredi vel substituto, aduersus eam actio. videlicet, ne calumnia impunita relinquatur, dum facilis est Prætor, circa bonorum possessionem mulieri, ventris nomine, dandam. Per calumniam autem in possessione fuisse videtur, quæ sciens prudensq; se prægnantem non esse, voluit in possessionem venire. Sed de legitimis nuptijs, & quæ eas consequuntur, deque ijs actionibus, quę ex causa matrimoniorum ac nuptiarum existunt, hactenus. Nã quantum quidem ad concubinatum attinet, est is. extra legis pœnã: quia scilicet per legem nomen assumpsit, quemadmodum & in Mosaicis ac Solonis, legibus videmus : sed tamen non est huiusmodi, vt cum legittimis coniunctionibus computari possit. Qua quidem causa factum est, in legibus pontificalibus, vt in totum sit interdictus, sicuti & Platonicis, ne videlicet illegittimis potius, quàm legittimis prolibus, ciuitas impleatur. Potest autem in concubinatu iure ciuili esse, tam liberta aliena, quã propria, & ingenua, maxime, quæ obscuro loce nata est, nulla habita ætatis ratione, nisi minor duodecim annis sit. Oportetque concubinam ex sola animi destinatione æstimari.

SI MVLIER VĔTRIS NOMINE IN POSSESSIONE CALVMNIÆ CAVSA ESSE DICATVR.

DE TV-

DE TVTELIS.



VONIAM hactenus expositum est de nuptijs:& ijs actionibus,quę post dissolutas nuptias,exoriuntur,tá circa res, quàm circa exhibitionem liberorum:ordinarium est,vt quomodo mortuis parentibus liberis eorum prouideri debeat,& quæ inde nascantur actiones,exponamus. Et quidem cum permagnum in Republica regenda momentum, positum sit, quemadmodum author est Plato,& in Cyri pedia Xenophon , in informatione institutioneq; iuuentutis,cumq; is qui per ætatem se defendere ac regere nequit,in aliena tutela vel cura morari debeat:modis omnibus procurandum fuit, vt magistratus & legum custodes,quasi alteri orphanorum parentes primis non peiores , constituerentur. Nam ob id bulla aurea,inquit Festus,insigne erat puerorum prætextatorum,quæ dependebat eis à pectore , vt significaretur eam ætatem,alterius regendam consilio, nam dicta est bulla à Græco sermone βουλή,quod consilium dicitur Latine.
Sed sunt duo genera hominum , quæ ijs qui parentibus orbi sunt, adhibentur .Qui pupillis intra pubertatis annos constitutis dantur: & personis magis quàm rebus præponuntur,tutores vocantur:qui puberibus,nondum ad vicesimumquintum annum perductis,curatores. Sed est nobis de vtrisque permiste dicendum. Et primo quidem,quid tutela,& quotuplex sit,quomodóue constituatur,expediemus:post deinde verò,de administratione,authoritate , & depositione ac fine tutelæ: tertio denique de actionibus,quæ post depositam tutelam competunt.
Tutela est (vt Seruius definit) vis ac potestas in capite libero,ad tuendum eum,qui propter ætatem suam,sponte se defendere nequit, iure ciuili data ac permissa. Tutores autem sunt qui eam vim ac potestatem habent,ex qua re ipsi nomen acceperunt. Itaque appellantur tutores, DE TVTELIS.

quasi tuitores atque defensores, sicut æditui dicuntur, qui ædes tuentur. Nec est verò mirandum, quod sub vi & potestate potius, quàm sub iure ponatur tutela: quoniam obtinet instar muneris publici, quod vtique in exercitio magis & authoritate, quàm in nuda possessione facultatis consistit. Ac obtinet quidem hoc in rebus priuatis, vt quî seruitutem aliquam aut actionem obligationémue habeat, ius aliquod habere dicatur, quod quidem inuitis aduersarijs, non ipse per se, sed per iudicem persequitur: sed in publicis functionibus secus acceptum est, videlicet, vt qui eas teneat, non ius aliquod persequendi, sed vim ac potestatem sua Marte cogendi ac exequendi, aduersum etiam inuitum, obtineat. Diuiditur autem omnis tutela in testamentariam, legittimam & datiuam: nam quòd tutorum alij quoq; honorarij sunt, qui quasi obseruatores actus aliorum constituuntur, alij qui onus administrationis subeunt: id non tam ad species, quàm ad gradus tutorum pertinet. Quemadmodum nec illud quoque tanti momenti est, vt aliquem in diuisione locum teneat, quod nonnulli reperiuntur tutores, quos nescias vtrum ex testamento patris, an ex decreto Prætoris authoritatem accepisse dixeris, quorum meminit Papinianus de testamentaria tutela cap. 27.

DE TESTAMETARIA TVTELA.

Sed ad rem. Testamētarij tutores sunt, quos parentes liberis suis, siue masculini, siue fœminini sexus (si modo in potestate sint) testamento dant. Et dicuntur quidem hij veteribus quoque legittimi, & datiui, quemadmodum est apud Vlpianum. Legittimi quidem, quia confirmantur lege duodecim tabularum, his verbis: Vti legassit super pecunia tuteláue suæ rei: ita ius esto. Datiui verò, quia non per legem & magistratum, sed per hominis voluntatem fiunt tutores. Testamento tutores dari possunt hij, cum quibus testamenti faciendi ius est, præter Latinum Iunianum. Nam Latinus habet quidem testamenti factionem, sed tamen tutor dari non potest, id enim lex Iunia prohibet. Priuilegium quod huic

generi

generi tutorum irrogatur est: Primum vt non sint cogendi satisdare rem saluam fore. Deinde, vt quamdiu testamentaria speratur, legittima cesset. Planè quia nonnunquam contingit, vt is qui testamento datus tutor est, vel curator, non rectè secundum solẽnem legum obseruationem datus videatur: sępenumerò necessarium est, vt Præsidis vel Prætoris confirmatio requiratur. Nam si qua talis fortasse persona tutorem dederit testamento, quæ dare non potest, veluti mater, aut patronus, aut extraneus quis: tunc id quod deest, authoritate consulari suppleri debet. Et quia curator testamento neque à patre rectè datur, receptum est, vt datus ab eo qui pręest confirmetur. Præterea mulier liberis non rectè testamento tutorem dat, sed si dederit, decreto Prætoris vel Proconsulis, ex inquisitione confirmabitur. Item qui à patre tutor scriptus est, aut non iusto testamento, aut non vt lege præcipiebatur, confirmandus est ad tutelam gerendam. Sed sunt tres ferè ordines ac gradus confirmationis. Nam qui ex minus perfecta datione patris confirmantur, citra vllam inquisitionem confirmantur, nec satisdant, rem pupilli saluam fore. Qui ex matris ordinatione, non satisdant quidem, sed non nisi ex inquisitione confirmantur. Qui ex patroni voluntate, ij & satisdant, præstita cautione, & non ante decernuntur tutores vel curatores, quàm per inquisitionem idonei fuerint pronunciati. Et si quæratur, an ex inquisitione rectè datus sit tutor, quatuor hæc consideranda sunt, an is dederit, qui dare potuerit: & ille acceperit, cui fuerat dandus: & is sit datus, cuius dandi facultas erat: & pro tribunali decretum interpositũ sit. Deniq; in confirmando tutore hoc Prætor inquirere debet, an durauerit patris voluntas, quod in facili est, si proximo mortis tẽpore tutores nõ iure, vel curatores scripserit pater. Nam si ante annos, vt spacio medio potuerit facultatiũ dati non iure tutoris à patre, fieri diminutio, vel morum ante celata, vel ignorata emersit improbitas, aut inimicitiæ cũ patre

DE CONFIRMĀDO TVTORE VEL CVRATORE

exarſerunt, vel cum Fiſco aliquem contractū damnoſum miſcuiſſent: vtilitatem pupillorū Prætor ſequitur, non ſcripturam teſtamēti vel codicillorum. Atq; hęc quidem de teſtamentarijs tutoribus. Inteſtato parente mortuo, locus fit legittimis tutelis. Nā legittimæ tutelæ, lege duodecim tabularū agnatis delatę ſunt, & cū ſanguineis, item patronis, itē ijs qui ad legittimam hęreditatē admitti poſſunt: videlicet, vt qui ſperant hæreditatem, ijdem tueantur bona, ne dilapidentur. Et quidē inteſtatus videtur, nō tantū is qui teſtamentū nō fecit, ſed & is qui teſtamēto ſuis liberis tutores nō dedit: quantū enim ad tutelam pertinet, inteſtatus eſt. Idem dicemus, ſi tutor teſtamēto datus, adhuc filio impubere manente deceſſerit: nā tutela eius ad agnatum reuertitur. Sunt autem agnati, qui per virilis ſexus perſonas, cognatione coniuncti ſunt: quaſi à patre cognati: veluti frater eodem patre natus, fratris filius, nepóſue ex eo, item patruus, patrui filius, nepóſue ex eo. Tutela legittima quæ patronis defertur ex lege duodecim tabularum, non quidem ſpecialiter vel nominatim delata eſt, ſed per conſequentias hæreditatum, quæ ex ipſa lege patronis datæ ſunt. Si quis legittimus tutor capite minutus ſit, dicendum eſt deſinere eum eſſe tutorem, & locum eſſe iudicio tutelæ, finita tutela.

DE LEGITTIMIS TVTORIBVS.

DE TVTORIBVS & CVRATORIBVS DATIS AB HIS QVI IVS DANDI HABENT, & QVI ET IN QVIBVS CAVSIS SPECIALITER DARI POSSVNT.

Deficientibus teſtamentarijs & legittimis tutoribus locus fit ijs qui datiui appellantur. Nam lex Attilia iubet mulieribus pupilliſue non habentibus tutores dari à Prętore & maiore parte Tribunorum plebis, quos tutores Attilianos appellamus. Sed quia lex Attilia Romæ tantum locum habet: lege Iulia & Titia proſpectum eſt, vt in prouincia quoq; à præſidibus earū dentur tutores. Eſtq; ius dandi tutores datum omnibus magiſtratibus municipalibus. Et vbi abſunt ij, qui tutores dare poſſunt: Decuriones dare iubentur, dummodo maior pars conueniat. Pupillo qui tam Romæ quàm in prouincia facultates habet, rerum quæ ſunt Romæ, Prætor: prouincialium, Præſes tutorem dare poteſt. Cauſæ autem quæ locum

eum faciunt huic generi tutorum & curatorum, sunt multæ ac variæ. Nam cum tutores appellassent, quidam autem non adessent: diuus Pius rescripsit, dandum temporarium tutorem, qui tutela fungatur. Præterea ex lege Iulia de maritandis ordinibus, tutor datur à Prætore vrbis ei mulieri virginíue, quam ex hac ipsa lege nubere oportet: ad dotem dandam, dicēdam, promittendámue: si legittimum tutorem pupilla non habeat. Sed postea Senatus censuit, vt etiam in Prouincia quoque, similiter à Præsidibus earum ex eadem causa tutores dentur: & quidem non tantum ad dotem dandam, verum etiam augendam, aut mutandam. Adhæc, solet etiam tutor vel curator, à Prætore vel Præside dari, furioso & furiosæ, & muto & surdo, item prodigo, & impuberi denique, ad litem contra tutorem suum, & ad hæreditatem adeundam. Possunt autem dari omnes qui non prohibentur: nam Prætor ipse se tutorem dare non potest, nec eum qui in legatione est, aut qui malis moribus sit præditus, neque enim tam spectanda est opulentia, inquit Modestinus, alicuius, aut dignitas, ad fidem, quàm vita, ac morum probitas ac honestas. Illud quæstionis est, qui tutores vel curatores petere debeant, & vbi petantur. Et quidem Diuus Seuerus, Cuspio Rufino, scripsit in hæc verba. Omnem me rationem adhibere subueniendi pupillis, cum ad curam publicam pertineat, liquére omnibus volo: & ideo mater, quæ vel non petierit tutores idoneos filijs suis, vel prioribus excusatis reiectísue, non confestim aliorum nomina ediderit: ius non habeat vendicandorum sibi bonorum intestatorum filiorum. Tantundem obtinet & in libertis, scilicet, vt nisi pupillis herilibus tutores petierint, castigentur. Quamquam in cæteris cognatis & familiaribus, propriæ cuiusque voluntati & affectioni hęc res relinquatur. Curatores non ab alijs, sed ab ipsis adolescentibus peti debēt. Atq; hæc quidem de definitione ac diuisione tutorũ. Nunc sequitur vt de officio eorum, & quomodo tutela finiatur, videamus.

QVI PETANT TVTORES VEL CVRATORES, & VBI PETĀTVR.

DE OF-

DE OFFICIO TVTORVM ET CVRATORVM, ET QVOMODO TVTELA FINIATVR.



FFICIVM tutorum & curatorum, cernitur in duobus, quorũ vnum est administrationis, alterũ authoritatis, præstandæ. In administratione, primum id Prætori curæ est, ne tutela per plures administretur, quippe & si pater nõ destinauerit quis gerere debeat, attamen id agitur, vt per vnum administretur. Sane enim facilius vnus tutor & actiones exercet & excipit, ne per multos tutela spargatur: committiturq; illi administratio, quem vel testator, vel maior pars tutorũ, vel Prætor elegerit. Plane si non consentiãt tutores Prætori, sed velint oẽs gerere, quia fidem nõ habent electo, nec velint succedanei esse alieni periculi: dicendũ est Prætorẽ permittere eis omnibus gerere. Itẽ si diuidi inter se velint tutelã tutores, audiendi sunt, vt distribuatur inter eos administratio, vel in partes, vel in regiones. Quantum ad ipsam administrationẽ pertinet, tutoris præcipuum officium est, ne indefensum pupillum relinquat, & circa prouidentiã pupillorũ, dñi loco habeatur. nisi fortè cõsilio alterius, iussus sit administrare, quo casu siquidem ille contutor sit, cui & administratio mãdata est: in irritũ deducitur omne id, quod sine illius consilio factum est: sin minus, tutori quidẽ, tãq viro bono cõueniet salubre consiliũ eius admittere, sed eà res eius officiũ non infringit. Etenim in subeũda administratione, primo loco obseruandũ hoc est, vt inuentariũ faciat. Nã tutor, inquit Iulian. qui repertoriũ nõ fecit, quod vulgo inuentariũ appellatur, dolo malo fecisse videtur: quoniã ante inuentariũ factũ, nihil eũ gerere oportet, nisi id quod nec modicã dilationẽ expectare possit. Cõfecto inuentario, confestĩ eas res distrahere debet, quę tẽpore depereunt, idq; nõ pręcipiti quidẽ festinatione, sed nõ tñ moratoria cunctatione. Et quo ad pecuniã

DE ADMINISTRATIONE & PERICVLO TVTORVM & CVRATORVM, & DE AGẼTIBVS VEL CÕVENIENDIS VNO VEL PLVRIBVS.

inde

inde redactá: si ea summa corradi queat, vt cōparari ager possit, depositioni eius sit locus: sed si tam exigua sit tutela, vt ex nūmo confecto prędium puero cōparari nō possit, depositio cessat, nisi fortè suspecti tutores esse videantur, quo casu etiá minores summas interdū deponere oportet. Si post depositioné pecunię, cōparare prędia tutores neglexerint, incipient in vsuras cōueniri, in quinces quidé, aut trientes, aut si quę alię leuiores in prouincia frequentátur, cōiter, sed in eas quę legittimæ dicuntur, si eā in vsus suos cōuerterit, vel morá depositioni fecerit, vel falso negauerit apud se pecuniá esse, vel necessitaté mutuá pecuniá sub legittimis vsuris accipiēdi pupillo imposuerit. Circa debitorū pupillariū exactioné verba Pauli hęc sunt. Si tutor cōstitutus quos inuenerit debitores nō cōuenerit, ac per hoc minus idonei efficiátur, vel intra sex primos menses pupillares pecunias nō collocauerit: ipse in debitá pecuniam, & in vsuras eius pecuniæ, quá non fœnerauerit, cōuenitur. Circa pecuniarū erogationé, cū tutor, inquit, nō rebus dūtaxat, sed etiam moribus pupilli præponatur, inprimis mercedes præceptoribus, nō quātas minimas poterit, sed pro facultate patrimonij, pro dignitate nataliū, cōstituet: & alimenta seruis libertisq́;, nōnunq̄ exteris, si hoc pupillo expediet, præstabit: solénia munera, parentibus cognatisq́; mittet: sed nō dabit doté sorori pupilli alio patre natæ, etiamsi aliter ea nubere non possit: nam etsi honeste, ex liberalitate tamen fit, quæ seruanda arbitrio pupilli est. Aliud est, si matri forte aut sorori pupilli tutor ea quæ ad victū necessaria sunt, præstiterit, cum semetipsas sustinere non possent, nā ratum id habendum est. Nec enim eadem est causa eius quod in rem impenditur, & quod muneris legatorúmue nomine erogatur. Post pubertatem pupilli, sacris constitutionibus ordinatum est, vt tutor teneatur pupillum admonere, vt sibi curatores petat, quasi connexum hoc sit tutelæ officio. Iam verò de tutorum & curatorum diligentia, eadem ab ijs diligentia exigenda est

circa

circa administrationem rerum pupillariũ, quam paterfamilias rebus suis, ex bona fide, prębere debet. idque etiamsi pater eos alogistas esse voluit: nam nemo ius publicũ remittere potest, huiusmodi cautionibus, nec mutare formam antiquitus constitutam. Cæterum si res pupillaris incursu latronum pereat, vel argentarius, cui tutor pecuniam dederit, cum fuisset celeberrimus, solidum reddere non possit, nihil eo nomine tutor pręstare cogitur. De conueniendis vno vel pluribus tutoribus & curatoribus prima regula hæc est, vt si diuisa tutela non est, omnium periculum commune sit, in administratione tutelæ, & in solidum vniuersi teneantur. Altera est vt si diuisa tutela sit, veluti quantitatibus, vel regionibus, vt plerumq; fieri solet, & alius vrbica negotia, alius peregrina administret: tunc non in aliam rem, quàm quisq; administrandam accepit, conueniatur. Nam licet omnes tutores sint, & tutelam gerant: tamen cum quis de ea re, quæ extra suam regionem erit, experiri vel ad iudicium vocari cœperit, perinde non tenetur, atque si ei administratio tutelæ permissa non esset. Quantum enim facit in totum denegata: tantundem valet, si in ea re de qua agitur, denegata sit. Sed quemadmodum is qui non administrauit teneatur, quæstionis est? Et constat, excussis prius facultatibus eius qui gesserit, conueniri honorarium oportere: imputarique ei, cur si male eum conuersari videbat, suspectum non fecerit. De authoritate tutorum & curatorum: authoritatem proprie hoc loci vocamus, consensum, quem sponte sua, præsens tutor, recte accommodat, contractibus & negotijs pupilli. Dico, sponte sua, quoniam, si inuitus retentus sit (inquit Vlpianus) per vim, non valet quod agitur. Neq; enim præsentia corporis sufficit ad authoritatem, vt si somno, aut morbo comitiali, occupatus, tacuisset. Diciturque non multum interesse, abfuerit tutor, cum negotium contraheretur, an præsens ignorauerit, quale esset, quod contrahebatur. Dico, recte accommodat, quoniam

DE AVTHORITATE & CŌSENSV, TVTORVM & CVRATORVM.

nulla

nulla differētia est, nō interueniat authoritas tutoris, an perperam adhibeatur. Et dicimus recte interponi authoritatem, cum tutor se probare dicit, id quod agitur. Hoc enim est, inquit Paulus, authorem fieri. quod tu intellige, si statim in ipso negotio corā fiat: nam post tempus, aut per epistolam interposita eius authoritas, nihil agit. Dico deniq; cōtractibus pupilli: quoniā obligari ex omni cōtractu pupillus, sine tutoris authoritate nō potest: acquirere autem sibi stipulando, & per traditionem accipiendo, etiam sine tutoris anthoritate potest: sed credendo obligare sibi non potest, quia sine tutoris authoritate nihil alienare potest. Plane tutor honorarius, cui non est mandata administratio, auctorari non potest: quemadmodum nec super illo etiam is qui administrat, recte author fit, quod cum ipso pupillus contrahit. Pręterea si tutor pupillo nolit author fieri, non debet eum Prætor cogere: primum quia iniquum est, si non expediat pupillo authoritatem eum præstare: deinde & si expediat, tutelæ iudicio, pupillus hanc iacturam consequitur. Enimuero nonnunquam contingit, vt etiam de eo pupillus conueniatur, quod non ipse tutore authore gessit, sed per se solus tutor: quemadmodum etiam per contrarium, si tutor pecuniam eius mutuam datam, ipse stipulatus fuerit, vel predia in nomen suum emerit, vtilis actio pupillo datur ad rem vendicandam, vel mutuam pecuniam exigendā. Et quidem si tutor, qui & cohæres pupillo erat, cum conueniretur fideicommissi nomine in solidum ipse cauit, verius est, in adultum pupillum, proparte dandam vtilem actionem. Nam & tutori, qui infantem defendit, succurritur, vt in pupillum iudicati actio detur. Ob dolum malum vel culpam tutoris, vel actoris eius (nam potest decrecto Prætoris, actor cōstitui, tutore legittimè impedito) regula est, pupillum non posse condemnari, nisi forte locupletior ex illius fraude factus sit, quo casu, etiam tanti condemnatur, quanti aduersarius in litem iurauerit, si modo rem à tutore seruare possit.

QVANDO EX FACTO TVTORIS VEL CVRATORIS, MINORES AGERE VEL CONVENIRI POSSVNT.

Atque

Atq; hæc quidē de officio tutorū & curatorū. Absoluitur autem quis à tutela vel cura, varijs quidem de causis, sed quarum duæ sunt præcipuæ: prior est, si quis tãquàm suspectus remoueatur: posterior, si ob iustam excusationem, illo onere liberetur. Suspecti crimen ex lege duodecim tabularum descendit. Et datur ius remouendi suspectos tutores, Romę prętoribus, in prouincijs præsidibus earum. Possunt autem suspecti fieri, omnes tutores, siue testamentarij sint, siue non sint, sed alterius generis. Postulare suspectos possunt omnes, etiam mulieres, quæ pietatis necessitudine ductę, ad hoc procedunt. Causæ, ex quibus suspecti tutores remouentur, sunt dolus in tutela, non ante, admissus. item, si inimicus pupillo parentibúsue eius tutor factus sit, si repertorium non fecerit, si alimenta pupillo non præstet, si in lata culpa deprehendatur, cum similibus. Nam generaliter, si qua iusta causa Prætorem mouerit, cur non debeat in ea tutela versari: reijcere eum debebit. Nec ad rem pertinet, quod fortassis satisdederit, vel satisdare paratus sit: quoniam expedit pupillo rem saluam fore magis, quàm tabulas cautionis habere: quia satisdatio propositum tutoris maleuolum non mutat, sed diutius grassandi in re familiari facultatē præstat. Pœna suspecti est, vt cum infamia remoueatur à tutela, & si plebeius ac humilis sit, & atrocia facta in tutela admiserit, vinculis publicis contineri iubeatur: & nonnūquàm ad præfectum vrbis grauiter puniēdus, remittatur. Sed qui ob segnitiem, vel rusticitatē, vel inertiam, vel simplicitatē, vel ineptiā, remotus sit: in hac causa est, vt integra existimatione tutela vel cura abeat. Sed & si quis, ob fraudē non remouerit aliquē, sed aliū ei adiunxerit: non erit famosus, quia non est abire tutela iussus. debetque decreto causa remouendi significari, vt appareat de existimatione.

DE SVSPECTIS TVTORIBVS & CVRATORIBVS.

DE EXCVSATIONIBVS TVTORVM & TEMPORIBVS EARVM.


Quæ excusationem à tutela pariunt, hæc sunt: Ætas, liberorum & tutelarum numerus, professio, dignitas, inimicitia, fortuna, militia, valetudo, priuilegium, & lis. Ætas, veluti si quis septuagesimum annum

annum excesserit. Numerus liberorum ac tutelarum, vt si quis vel Romę tres, vel in Italia quatuor, vel in Prouincia quinq; filios vel filias superstites vel in acie mortuos habeat, aut trium tutelarum curarúmue onere sit grauatus. Professio, veluti si quis Philosophus, Grammaticus, Sophista, Rhetor aut Medic⁹ sit, vel Athleta sacris certaminibus coronatus. Dignitas, vt si præses aut magistratus quis sit, aut legationem subeat, aut res principis administret. Inimicitia, vt si quis vel instrumentis ac libellis interueniētibus, vel contestatione facta, (solet enim hoc apud Romanos fieri authore Suetonio) inimicitias cum testatore exercuerit: fortuna, vt rusticitas nonnunquàm & paupertas. Nam paupertas dat excusationem, si quis se imparem onori iniuncto possit probare. Militia, veluti si quis vel militet, vel post militiæ tēpus honeste cōpletum, veteranus factus sit. Valetudo, vt si quis vel furore, vel sontico morbo, vel egritudine aliqua sic corripiatur, vt suis proprijs rebus superesse nō possit. nā & post susceptam tutelam, cæcus, aut mutus, aut surdus, aut furiosus, aut valetudinarius, deponere tutelam, potest: etiamsi libertus sit testatoris aut pupilli. Priuilegium, vt si quis illius corporis vel collegij sit, cuiusmodi est pistorum, cui nominatim excusatio à tutela indulta est, itē si quis mēsor frumentarius sit, vel Iliensis. Nam Iliensibus & propter inclytam nobilitatem ciuitatis, & propter coniunctionē originis Romanæ, plenissima immunitas tributa est. Quemadmodum & ijs Iurisperitis, qui in consiliū principis assumpti, circa latus eius agunt. Lis, vt si vel de hæreditate, vel de vniuersis penè bonis, inter tutorem & pupillum, quæstio suboriatur. Forma aūt proponēdæ excusationis, est, non quidem, vt prouocet ab eo, quod tutor datus est vel curator, (nam in paucissimis differunt cura & tutela) sed vt intra quinquagintà dies, à tempore scientiæ numerandos, vel plures, si fortè vltra centesimum lapidem habitet (tunc enim in singulos dies vicena milia passuum numerantur) veniat, & causam excusationis, vel

coram

coram tribunali viua voce, vel per ſcripturam in hypomnematibus, vel libello principi oblato conteſtetur. Et quidem licet excuſatio iure licita ſit & permiſſa: tamen ſi eodem teſtamento, quo quis tutor datus eſt, etiam legati honore ſit affectus, poſt excuſationem impetratam, hanc pœnam ſuſtinet, vt a legato repellatur. quaſi ſcilicet ea fuerit tacite voluntas teſtatoris, vt non, niſi tutelam ſubiret, ad legati adſcripti cõmodum perueniret.

DE ACTIONIBVS RATIONE TVTELÆ COMPETENTIBVS.



VÆ ratione tutelæ competunt actiones, vel ſpectant perſonas pupillorum, vel rationes, vel bona eorum. Circa perſonas pupillorum, officio iudicis qui tutelę cognoſcit cõgruit, reputationes tutoris non improbas admittere: vtputa, ſi dicat ſe impendiſſe in alimenta pupilli vel diſciplinam. Modus autem, ſiquidem Prætor arbitratus eſt, is ſeruari debet, quem Prætor ſtatuit: nam ſolet Prætor frequentiſſimè adiri, vt conſtituat, vbi filij vel morentur, vel alantur. In qua re, ſolet ex perſona, & ex tempore, & ex conditione, & item ex modo patrimonij, ac ætate ſtatuere, vbi potius, & quomodo pupillus alendus ſit: videlicet, vt non vniuerſum redditum patrimonij in alimenta decernat, ſed ſemper ſic, vt aliquid ex redditu ſuperſit. Si verò Prætor non eſt aditus: pro modo facultatum pupilli, debet arbitrio iudicis æſtimari. Nec enim permittendũ eſt tutoti, tantũ reputare, quantum dedit, ſi plus æquo dederit. De rationibus res agitur cum ipſo tutore, aut curatore, vel cum protutore procuratoréue: vel cum falſo tutore aut curatore: vel cũ fideiuſſoribus, nominatoribus & hæredibus eorum, vel cum ipſis magiſtratibus. Inter pupillum & tutorem duplex eſt actio prodita: directa vna, quę pupillo competit, & contraria altera, quę tuto

VBI PVPILLVS EDVCARI VEL MORARI DEBEAT, & DE ALIMENTIS EI PRÆSTANDIS.

tori datur. Quæ pupillo competit, vel Tutelæ dicitur, vel de rationibus distrahendis. Tutelæ est, per quam actus sui rationem reddere compellitur tutor, in omnibus quę fecit, cum facere non deberet: & item in ijs quæ non fecit, idque præstando dolum & culpam, & quantam in suis rebus diligentiam. Nec potest verò exerceri hæc actio, nisi finita demum tutela: nam absurdum est, à tutore administrationis rationem negociorum pupilli exposci, in qua adhuc perseuerat. De rationibus distrahendis actio est, quæ aduersum eum competit, qui in tutela gerenda, rem ex bonis pupilli abstulit. Cuius quidem actionis euentus is est, vt in duplum fiat condemnatio, cùm actio tutelæ tantummodo sit simpli. Vtraque actio vtiliter exercetur per adolescentem contra curatorem suum. Quanquam cum furiosi curatore, non tutelæ, sed negotiorum gestorum actio est.

DE TVTELÆ ET RATIONIBVS DISTRAHENDIS, & VTILI CVRATIONIS CAVSA ACTIONE.

Quæ tutori tribuitur actio contraria, ideo in vsum à Prætore inducta est, vt facilius tutores ad administrationem accederent, scientes pupillum quoque sibi obligatum fore ex sua administratione. Quanquam enim sine tutoris authoritate, pupilli non obligentur, nec in rem suam tutor obligare pupillum possit: attamen receptum est, vt tutori suo pupillus sine tutoris authoritate, ciuiliter obligetur, ex administratione scilicet. Etenim prouocandi fuerunt tutores, vt promptius de suo aliquid pupillis impendant, dum sciunt se recepturos id quod impenderint.

DE CONTRARIA TVTELÆ, ET VTILI ACTIONE.

Protutelæ actionem necessario Prætor proposuit. Nam quia plerumq; incertum est, vtrum quis tutor, an verò quasi tutor pro tutore administrauerit tutelam: idcirco in vtrumque casum actionem scripsit, vt siue tutor sit, siue non sit, qui gessit, actione tamen teneretur. Pro tutore autem negotia gerit, qui munere tutoris fungitur, in re impuberis, siue se putat tutorem, siue scit non esse, fingit tamen esse. Cum eo, qui pro tutore negotia gessit, etiam ante pubertatem agi posse tutelæ, nulla dubitatio est, quia tutor nō est. De eo quod falso tutore authore gestum est, ideo

DE EO QVI PRO TVTORE PRO VE CVRATORE NEGOTIA GESSIT.

edictum propositum est, ne contrahentes decipiantur, dum falsus tutor adhibetur. Verba autem Prætoris hæc
» sunt: Quod eo authore, qui tutor non fuerit, gestum e-
» rit, si id actor ignorauit, dabo in integrum restitutionem.
» In eum qui cùm tutor non esset, dolo malo author factus
» esse dicetur, iudicium dabo, vt q̃ti ea res erit, in tantam
» pecuniam condemnetur.

DE FIDEIVSSORIBVS & NOMINATORIBVS, & HÆREDIBVS TVTORV & CVRATORVM.

De fideiussoribus, hęredibus, & nominatorib' tutorum: Fideiussores à tutoribus nominati, si præsentes fuerunt, & non contradixerunt, & nomina sua referri in acta publica passi sunt, æquum est perinde teneri, atq; si iure legittimo stipulatio interposita fuisset. Eadem causa videtur affirmatorum, qui scilicet, cum idoneos esse tutores affirmauerint, fideiussorum vicem sustinent. Hæres tutoris, quanuis is tutor non est, tamen ea quæ per defunctum inchoata sunt, per hæredem si legittimæ ætatis & masculus sit, explicari debent: in quibus dolus eius admitti potest. Et quòd penes tutorem fuit, hæres quoq; eius reddere debet. Nominatóres tutorum appellamus eos, qui nomina eorum exhibent magistratui, qui ad capessendam tutelam idonei videntur, quos tanquam affirmatores teneri, dubium nõ est.

DE MAGISTRATIBVS CÕVENIẼDIS, & EORVM HÆREDIBVS.

De magistratibus conueniendis, & eorum hæredibus, si fortasse nec ipsi tutores, nec eorũ fideiussores soluendo sint, sic ait Vlpianus: In ordinem subsidiaria actio nõ dabitur, sed in magistratus, qui vel omnino tutorem non dederunt, vel non idoneum, vel sine satisdatione. Cęterùm neq; Prętor, neq; quis alius cui tutoris dãdi ius est, hac actione tenebitur. Et ideo si Pręses prouincię, nominib' ab alio acceptis, ad magistrat' municipales remiserit, vt se de nominibus instruant, & perinde instructus dederit, certum est magistratus teneri, quasi dolo vel lata culpa versati sint. Atq; hæc de rationibus.

DE REBVS EORṼ, QVI SVB TVTELA VEL CVRA SVNT, NON ALIENÃDIS VEL SVPPONENDIS.

Iam de bonis eorum qui sub tutela vel cura sunt: Imperatoris Seueri oratione, prohibiti sunt tutores & curatores, prædia rustica vel suburbana distrahere. Quæ oratio in Senatu recitata est Theophilo & Clemẽte consulibus, Idibus Iunij, & sunt

& ſunt verba eius huiuſmodi: Prȩterea, patres conſcri- "
pti interdicant tutoribus & curatoribus, ne prȩdia ruſti "
ca vel ſuburbana diſtrahant, niſi vt id fieret, parentes te- "
ſtamento vel codicillis cauerint. Quod ſi fortè æs alie- "
num tantum erit, vt ex rebus cȩteris non poſſit exolui: "
tunc Prætor vrbanus vir clariſſimus adeatur, qui pro ſua "
religione æſtimet, quæ potiſſimum alienari obligariúe "
debeant, manente pupillo actione, ſi poſtea potuerit pro- "
bari obreptum eſſe Prȩtori. Si communis res erit, & ſo "
cius ad diuiſionem prouocet, aut ſi creditor, qui pignori "
agrũ à parente pupilli acceperit, ius exequetur, nihil no- "
uandum cenſeo. Sed de tutoribus & curatoribus impuberum & adoleſcentum, hactenus. Quoniam autẽ nonnunquam accidit, vt alijs quibuſdam perſonis, extra minores, curatores dentur: non erit alienum, ſi & de illis paucula quædam referamus, videlicet, vt ne quid omnino omittatur, quod ad curatores pertinere, videri poſſit. Qui ergo præter minores curatores accipiunt, hij ſunt: Prodigi, furioſi, hæreditates iacentes, bona debitorum, & luxurioſi. De prodigis & furioſis ſic ait Vlpianus: Lege duodecim tabularum prodigo interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio. Quod moribus quidem ab initio introductum eſt. Sed ſolent Prætores vel præſides, ſi talem hominem inuenerint, qui neque tempus, neque finem expenſarum habet: ſed bona ſua dilacerando & diſſipãdo profundit (nam inde dicitur prodigus, vnde & prodiguæ hoſtiæ dictȩ ſunt, quæ conſumuntur) curatorem ei dare exemplo furioſi, de quo lex duodecim tabularum habet: Si furioſus exiſtat, in eo pecuniaq; eius, agnatorum gentiliumq; poteſtas eſt. Et tamdiu erunt ambo in curatione, quamdiu vel furioſus ſanitatem, vt & Plato eleganter tractat in ſuis legibus, vel ille ſanos mores receperit. Quod ſi euenerit, ipſo iure deſinunt eſſe in poteſtate curatorum. De hæreditatibus iacentibus idem Vlpianus: Cum deliberant hæredes inſtituti adire, bonis à Prȩtore curator datur. Quemadmo-

DE CVRATORIBVS, FVRIOSO & ALIIS EXTRA MINORES DANDIS.

dū & bonorū ventris nomine curator quoq; dari ſolet. De bonis obæratorum Caius: Curator ex Senatuſconſulto conſtituitur, cum clara perſona, vel Senatoris, vel vxoris eius in ea cauſa ſit, vt eius bona venire debeāt, videlicet vt honeſtius ex bonis eius, quantum poteſt, creditoribus ſoluatur. De luxurioſis Paulus: Mulieri quæ luxurioſe viuit, bonis interdici poteſt.

IOACHI-

IOACHIMI HOPPERI
PHRISII IVRECON-SVLTI,
AD PANDECTAS IVRIS CIVILIS,
Liber sextvs.



BSOLVTIS ijs, quæ ad iudicia, res creditas,& dotes ac tutelas pertinent,ordinariũ eſt, vt de vltimis morientium voluntatibus exponendum ac tractandum videatur.Nam cum omnes ciuiles actiones, vel ex cauſis inter viuos contractis oriantur, quæ tum iudiciorum ſunt, tum rerũ, tum perſonarum,vt dictũ eſt,vel ex iudicijs & elogijs eorum qui ſuprema ſua ordinarunt: conſentaneum eſt, vt quoniam de prioribus expoſitum eſt, de poſterioribus quoq; perpurgetur.Sed non fuit apud omnes ſemper gentes licitum,teſtamenta condere. Nam apud Athenienſes,ante Solonem, non licebat alij per vltimã voluntatem,bona ſua relinquere, quàm cui lege inteſtati & familiæ deberentur.Primus autem Solon(cuius veſtigijs Plato aliqua ex parte inſtitit)volens amicitiam propinquitati,& gratiam neceſſitati pręferre,lege lata cauit,vt ni filij ſupereſſent,cuiuſq; voluntati relinqueretur,hæredẽ illum,quem vellet,nuncupare. Hanc legem imitati Romani,in lege duodecim ita poſuerũt. Vti quiſq; legaſſit ſuper pecunia tuteláue ſuæ rei,ita ius eſto. Quanq̃ tamen illud inficias ire non poſſumus,quin apud priſcos Romanos hęc diſtinctio bonorum fuerit,vt alia dicerentur eſſe in hæreditate ac bonis,alia in pecunia tuteláue.In hęreditate ac bonis,

quæ

quæ hæredem ſequerentur,& ab eo hæredia vocarentur. Varro. Quantũ attinet ad antiquos noſtros, ante bellum Punicum pendebãt bina iugera, quot à Romulo primum diuiſa ferebantur viritim, quæ quod hæredem ſequerentur, Hæredium appellarunt. Vnde etiam nonnullis monumẽtis inſcribi ſolet: ET HÆREDEM SEQVITVR. In pecunia tuteláue, quæ quis vel à parentibus non accepta, ſuo labore quæſiuiſſet, vel cõmunis tantum vſus gratia, in ſuppellectili haberet. A quo quidem factum eſt, vt & hodie apud nonnullos duo genera hęredum inueniantur, quorum alij iure, vel teſtamenti, vel ſanguinis, hæredes fiunt mobilium, quæſitorum, & nominum, qui à tutela bonorum quam ſubeunt, adminiſtratores tantum dicũtur: alij, iure familiæ illas res capiũt, immobiles, quę à ſuis maioribus, iure ſucceſſionis ad defunctũ ſunt profectæ. Et quidem vt intelligatur, quàm ſollicitè apud veteres fuerit deliberatum, vtrum cuiquàm permittendum ſit, quid de bonis ſuis poſt mortem ſuam fieri velit, teſtamento ordinare, nec ne: non abs re viſum eſt, Platonis verba hic ſubiungere, quæ quia vniuerſam ferme rationem ſucceſſionis continent, in multis alijs vſui eſſe poſſunt. Dicunt igitur ferme hunc in modum. Iam igitur de pactis quę maxima homines inter ſe tractant, præterquam de orbis atque tutoribus, fere iam dictum eſt: de quibus nunc neceſſario eſt dicendum. Horum omnium initium eſt, eorum quidem qui mortui ſunt, vt libuit, teſtandi cupiditas: eorum verò qui nihil teſtati ſunt, fortuna. Ob id autem neceſſario eſt dicendum ô Clinia dixi, quoniam huius rei difficultatem cõſiderabam. Nec enim poſſibile eſt abſque ordine id relinquere. Nam multa ſinguli diuerſaque, & inter ſe ac legibus & viuentium moribus, maioribus ſuis contraria propere teſtabuntur, ſi quis ſtatuet, quodcunque teſtamentum in fine vitæ conditum fuerit, id omnino fore inuiolatum. Stulta enim & abiectaquadam moroſitate ferme omnes premuntur, quando morituros ſe iam arbitrantur. CLIN.

Quomo-

Quomodo id ais hoſpes? ATHEN. Difficilis quædam res eſt ô Clinia, homo iam moriturus, hiſque verbis frequentiſſime vtitur, quæ legumlatores terrent atque fatigant. CLIN. Quomodo iſtud? ATHE. Nempe cum velit ſuorum omnium eſſe dominus, hęc ſolet, & quidem cum ira dicere: CLIN. Quænam? ATHE. Graue inquit eſt nimium ô dij, ſi mea mihi non licebit cuicunque volo relinquere: & alijs plura, alijs pauciora, provt erga me boni maliúe liquido inuéti ſunt, tum in morbo, tú in ſenio, tum in alijs fortunis meis ſufficienter comprobati. CLIN. An non recte hoſpes tibi loqui videntur? ATHE. Priſci legumlatores, ô Clinia, molles fuiſſe mihi videntur: & ad minimum quid humanarum rerum in ferendis legibus reſpexiſſe. CLIN. Quonam pacto? ATHE. Illis morituri hominis verbis ô optime vir commoti, legem illam ſcripſerunt, per quam licet cuiq; , vtcunq; velit, ſimpliciter ſua diſponere. Ego autem & tu in ciuitate tua morituris, cõmodius reſpondebimus. CLIN. Quomodo? ATHE. O amici, dicemus, ac breui, proculdubio, morituri, difficile vobis eſt res veſtras, atq; etiã voſipſos, ſecundum Delphicum Epigramma, cognoſcere. Ego qui leges condo, nec vos veſtros eſſe arbitror: nec rem familiarem hanc omnem eſſe veſtram, ſed totius veſtri generis præteriti atq; futuri, multoq́; magis vniuerſę ciuitatis, & genus omne & diuitias eſſe. Hæc cùm ita ſint, ſi quis aſſentatiunculis in morbo & ſenio vos aggreſſus, præter honeſtum, teſtamentum condere perſuaſerit, nunquam fieri ſpontè concedam, ſed quod ciuitati vniuerſæ, generiq́; conferat conſiderans, ita leges conſcribam, vt ſingulorum commoda, minoris q̃ cunctorũ, vt par eſt, ęſtimẽ. Vos igitur mites atq; beneuoli nobis, ite modo, quò naturæ humanæ vos neceſſitas vocat: nobis autem, reliqua veſtra curæ erunt, qui non alijs magis, q̃ alijs rebus ſtudemus, ſed omnium æque pro viribus curam gerimus. Hæc in proœmio ſolamina & viuentium & morientiũ ô Clinia ſint. Lex autem ſit iſta: Qui liberos habet, & te-


ſtamen

ſtamentum conſcribat. Et ſi filiorum aliquis ſupereſt, nulla hęreditate munitus, quem ſecundum legem in coloniá ſperat profecturum, huic liceat patri de alia pecunia, q̃tũ velit legare, paterna ſorte ſemper excepta, & omnibus quæ ad illam pertinẽt. Quod ſi plures ſint, eis pater quę cunq; vltra ſortẽ ſunt, vt velit, diſtribuat. Ac ſi alicui eorum iam domus eſt, ei pecunias non tribuat. Et ſi filiorũ filiarúmue alicui ſors aliqua in regione poſt conditũ teſtamentum aduenerit, teſtatoris ipſius hæredi relinquatur. Si autem non filios, ſed filias habet, qui teſtatur, cuius filiæ velit virum hæredem ſibi ac filium fore, conſcribet. Et ſi alicuius filius, ſiue naturalis, ſiue adoptiuus, antequá togam virilẽ aſſumat, deceſſerit, has etiam fortunas ſuas teſtator ſignificet, & velit loco illius melioribus auſpicijs filium ſibi fore, declaret. Si quis abſque liberis omnino teſtamentũ condit, decimam partem fundi vltra ſortem acquiſiti, leget cuicunq; ciui voluerit. Cętera omnia futuro per adoptionem filio, benignè, ſine querela & ſecundum legem tribuat. Si qui liberi tutoribus indigent, & idem moriens teſtamento tutores quoſcunq; & quotcunque velit conſtituerit, qui tutandi officium ſuſcipere velint, ita fiat ſicut deſcripſerat. Sin verò vel inteſtatus naturę cõceſſerit, vel tutores non cõſcripſerit, qui genere proximi ſunt, duo ex parte patris, duoq́; ex parte matris, atque vnus ex mortui amicis, tutelam ſuſcipiant. Quos legum cuſtodes indigentibus pupillis ſtatuere debent. Ná quindecim ipſorum cæteris ſeniores, orphanorum omnium quinquennio curam ſic habere volumus, vt terni pro dignitate ſingulis curent, & exacto quinquennio, ſimiliter quindecim alios, atque id pro viribus nunquam deficiat. Si quis autem nihil teſtatus deceſſerit, filioſque tutela egentes reliquerit, ijſdem legibus eis prouideatur. Qui verò inopinata fortuna deceſſerit, filiaſque reliquerit, latori legum veniam concedat, ſi ad duo de tribus reſpiciens eius filias collocet: ad propinquitatem videlicet generis, ſortemque ſeruandam. Tertium autem quod paterni

terni officij eſt, vt moribus ciuium diligenter conſideratis, idoneum & ſibi filium, & filiæ ſponſum deligat: id quoniam impoſſibile conſideratu eſt, prætermittat. Lex igitur pro viribus hac de re, huiuſmodi ſit. Si quis inteſtatus mortuus filias reliquerit, frater eius ex patre, aut ex matre, ſi abſq; ſorte ſit, mortui filiam, & ſortem ſuſcipiat. Quod ſi frater non exſtat, eius filius, niſi ætas obſtet, accipiat. Tertius ſororis filius, ſi nullus illorum exſtat. Quartus, patris frater. Quintus, filius eius. Sextus, ſororis paternæ filius. Et ſimiliter per fratres conſobrinoſq;, generis ſemper propinquitate ſeruata, ſi filias reliquit, ita procedatur, vt in eodem genere mares fœminis anteponantur. Conuenientiam verò ætatis ad nuptias & contra, iudex nudos omnino mares, nudas quoq; ad pubem vſq; fœminas conſpiciens, iudicet. At ſi ad fratrum vſq; auorumq; filios, cognatorũ penuria ſit, quemcunq; ciuium ſponte puella cum tutorum conſilio deliget, is ſi voluerit, eam in vxorem atque inſuper hæreditatem accipiat. Quod ſi magna in penuria illorum qui vrbem habitant, aliquem in coloniam miſſum puella hęredem facere ſui patris optauerit, is ſi ex eodem genere fuerit, hæreditatem ſecundum legem adeat: ſin verò ciuis quidem, ſed nõ ex genere ſit, ducat eam ſi voluerit, ſecundum tutorum puellæq; electionem, & hæreditatem, domum reuerſus, adeat. Si quis abſq; liberis omnino maſculis fœminiſq; ex inteſtato deceſſerit, cætera quidem ſecundum ſuperiorem legem agãtur. Mas verò & fœmina ex eodẽ genere tanquam cõſortes deſertam domũ ingrediantur, quibus ſors propriè competat. Prima ſoror: Deinde fratris filia: Sororis filia tertia: Quarta paterna ſoror: Paterni fratris filia quinta: Sexta paternę ſororis filia. Hæc cum illis, vt fas eſt, qui genere proximi ſunt, vitam agent: quemadmodum in ſuperioribus ſanximus. Hactenus Plato. Plutarchus quoque hac ipſa de re tractans, in Solone ſic ait: Illa etiam lex, qua teſtamentis proſpexit, authoritatis plurimum habuit in ciuitate.

Antea enim non licebat aliò deriuare hæreditates, verum pecuniam ſimul & domum in defuncti familia manere oportebat. Solon autem cum permiſiſſet, pro voluntate cuiuſque, ni ſupereſſent filij, hæredem conſtitui, viſus eſt, amicitiam propinquitati, & gratiam neceſſitati prçferre, pecuniaſque poſſeſſionem eſſe habentium ſtatuiſſe. Nõ tamẽ temerè, ac nullo habito reſpectu, huiuſmodi licentiam permiſit, at ſi nõ morbo ingraueſcente, aut medicamentorũ vi impellente, aut vinculis & cruciatu coactus, aut coniugis ſuaſionibus ac blanditijs eſſet adductus. Hæc Plutarchus. Et quibus quidem coniunctis cum his, quæ Plato prodidit, ſatis intelligitur, nec temerè ac paſſim concedendam eſſe cõdendi teſtamenti facultatem, nec etiam per contrariũ omnino denegandam. Qua quidem ratione commoti Romani legumlatores, ſic ſanxiuerunt, vt publica eam authoritate ſtabilierint: & hæredem nuncupare, nihil aliud eſſe exiſtimantes, quàm de capite aliquo ciuis Romani ſtatuere, non niſi conſenſu vniuerſi populi, vt mox dicetur latius, id fieri voluerint. Nunc verò accedamus ad id quod propoſitum eſt.

QVID TESTAMENTVM, QVOTVPLEX ET QVOMODO FIAT.



RIMVM autem videamus, quid ſit teſtamentũ, quotuplex, & quibus modis ordinari debeat. Teſtamentũ ex eo appellatur, inquit Iuſtinianus, quod teſtatio mẽtis ſit, nõ quidẽ quaſi mentis vocabulum ad teſtamentũ pertineat, magis quàm ad veſtimentũ aut calceamẽtũ: ſed vt intelligatur, ex pluribꝰ teſtationibus, quç qdꝰ teſtibus adhibitis fieri ſoleāt, eo nomine fungũtur, hāc teſtamentariā eiuſmodi eſſe, vt nõ cõtractus alicuiꝰ ſit, aut aſſignationis, nũciationiſue noui operis, aut ſimiliũ, ſed ſoliꝰ mẽtis, hoc eſt, volũtatis vltimæ, haud aliter atq; nouationẽ dictā, ait Cõſultus, quaſi nouā obliga-

obligationẽ,nõ quidẽ quod existimet obligationis vocabulũ,vllo modo inesse nouatiõis verbo:sed vt nimirũ declaretur,quarũ propriȩ rerũ in iure dicatur fieri nouatio. Definit aũt testamentũ Vlpianus,his verbis:Testamentũ est volũtatis nostræ iusta sentẽtia,de eo quod qs post mortem suã fieri velit.Ideo autẽ sentẽtiã volũtatis esse dicit, quoniã eorũ quȩ ratione ac intelligẽtia cõtinẽtur,nõ est per rerũ naturã vlla dispositio, sed eorũ tãtum in quibus voluntas dominatur.Ideo iustã sententiã, quoniã cũ publici iuris sit testamẽtũ:vtiq; secũdum prȩcepta legũ fieri debet.nã sic iustas nuptias vocamus,quas ciues Romani cõtrahunt,qui secundũ prȩcepta legũ coëunt.Ideo de eo quod quis post mortẽ suã fieri velit:quia de his quȩ,vt in vita testatoris fiant,ordinãtur,nõ potest propriȩ dici vltimȩ volũtatis dispositio. Quãq̃ tamẽ per cõtrariũ bene possit subinde fieri,vt de eo qđ post mortẽ suã fieri qs velit nõ testamẽto,sed cõtractu aliquo disponat: veluti si post mortẽ suã centũ aureos dare promittat,quo casu nõ sententia dicitur & volũtas,sed cõuentio vel pollicitatio.In Enchiridio suo,definit idẽ Vlpian. hoc modo:Testamentũ est mentis nostræ iusta cõtestatio,in id solẽniter factũ, vt post mortẽ nostrã valeat. Genera autẽ testamẽtorum, secũdum veteres sunt tria:Vnũ quod calatis comitijs vocabatur,& corã vniuerso populo, qui bis in anno cõuocari ad hoc ac coire solebat,fieret.Nã qua ratiõe nefas esse putabãt de capite ciuis Romani,q̃ populi est statuere sine populo,eadẽ incõueniens esse iudicabãt,familiã,nomen, substãtiã.& alia quæ vitȩ hoĩs cõparãtur in aliquẽ trãsferri absq; scitu & cõsensu totius populi. Alterũ erat quod procinctũ dicitur,qđ quidem ab his fiebat,qui iã procincti essent,& ad bellũ exituri. Nã qui rẽ aliquã dubiã & periculosam aggreditur, ferè tanq̃ moriturus de rebus suis disponere solet,quemadmodum apud Homerum videre est, in Telemacho, proficiscente domum à Menelao, vt procos domo pellat. Tertium est,quod per æs & libram appellabatur.Nam cum persȩpe fieret,vt multi subitanea

morte, extra tempus comitiorum ac belli decedentes, intestati morerentur, valde necessarium videbatur, genus aliquod testamenti excogitare, quod omni tempore, ac sine conuocatione populi, nuncupari posset. Sed cum directò non concederetur absque populo de successione quidquam agere, ac hæredem propalàm nuncupare: vtiq; opus erat, viam aliquam obliquam excogitare, quæ & priuatim in vsu esset, & tantùndem, quantum publica testatio præstaret. Quoniam itaq; nulla, nec frequentior, nec magis solennis ratio abalienationis reperiebatur, quàm quæ per mancipationē fieret, hoc est, per emptionem ac venditionem, quæ non numerata quidem pecunia, & forma publica percussa, sed appensa, & graui ære fieret: non inconueniens videbatur, si eadem ipsa mancipatio, ab alienandis quoq; familijs & hæreditatibus accommodaretur. Et ideo in hac testamenti factione, duæ res agebantur, familiæ mancipatio, & nuncupatio testamenti. Familię mancipatio, per testatorem libripédem, ac emptorem familiæ, interueniēte nummo vno, ac verbis solennibus. Nuncupatio testamēti, in hunc modum. Tabulas testamenti testator tenens, ita dicebat: Hęc vt in his tabulis, cerísue scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor: itaq; vos Quirites testimonium præbitote: Quę quidem nuncupatio, cum non sola mancipatione constaret, sed quadam etiam hæredis institutione (nam legandi verbum generale erat veteribus, pro mandare) non poterat omnino sine populi consensu peragi, & ideo adhibebantur quinq; ciues Romani puberes, qui cunctum populum Romanum, qui totidem tribubus distinguebatur, referrent. Ac erat quidem his temporibus inter scriptum & nuncupatiuum testamentum differentia. Nam siue calatis comitijs quis testaretur, siue in procinctu, siue per æs & libram, poterat vel palàm hæredem nuncupare ac designare: quod quidem de Horatio proditum est, qui cum vi morbi oppressus, scribere non posset, palàm nuncupabat hæredem Augustum: vel

tabulas

tabulas suas populo aut testibus ostendere, quibus vltimã suam voluntatem contineri profiteretur. Ac is quidem, qui emptor familiæ dicitur, primis quidem temporibus pro hærede habebatur, sed cum ea res sępe occasionẽ dedisset captandæ mortis, postea in vsu esse cœpit, vt is non tam hęres, quàm executor ac testis esset eorum, quæ vel propalàm nuncupata, vel quod tutius erat, tabulis consignatis compręhensa essent. Atq; hęc quidem de illis generibus testamentorum, quę veteribus frequentabantur. Quæ autem hodie conduntur testamenta, non tam anxia indigent solennium obseruatione. Nam si quis sine scriptis velit ordinare iure ciuili testamentum, septem testibus adhibitis, & sua voluntate coram eis nũcupata, sciat hoc perfectissimum testamentum iure ciuili, firmumque constitutum. Si verò solenniter in scriptis testari velit, supersunt certæ quędam, tam iure prętorio, quàm ciuili, & cõstitutionibus principum pręscriptę formulæ, secundum quas testari oporteat. Et quidẽ in omnibus, si quęramus an valeat testamentum: imprimis animaduertere debemus, an is qui fecit testamentum, habuerit testamenti factionem: deinde si habuerit, requiremus, an secũdum regulas iuris ciuilis testatus sit. Qua quidem in re, primũ hoc obseruamus, an solennia custodita sint. Secundò, an illi instituti vel exhęredati sint, qui silentio pręteriri lege prohibentur, ne videlicet his omissis corruat testamentum. Tertio deniq;, an aliquis omnino hęres institutus sit, & quo ordine, quáue conditione: nam sine hęrede, nullum est omnino testamentũ. Factionem testamenti habent omnes, qui non prohibentur condere testamentum. Qui verò prohibentur, hi fermè sunt: Impuberes, hoc est minores duodecim vel quatuordecim annis: surdi & muti, nisi à Principe hoc impetrauerint: obsides, quibus hoc permissum non est: hostium potiti, deportati, & quibus aqua & igni interdictum sit, quorum nec illud testamentum valet, quod ante fecerint, propter publicationem bonorum: filij aut filiæfamiliarum, quibus quamuis

QVI TESTAMENTA FACERE POSSVNT, & QVEMADMODVM TESTAMENTA FIANT.

pater in cuius potestate degunt permittat, nihilomagis testari licet, hi qui ad ferrum, aut ad bestias, aut in metallum damnantur, qui libertatem perdunt: item de statu suo dubitantes, vel errantes, nam qui incertus est de statu suo, certam legem testamento dicere non potest: denique furiosi, prodigi, ob carmen famosum damnati, & intestabiles lege esse iussi: nam cum lege quis intestabilis iubetur esse, eo pertinet, ne eius testimonium recipiatur, & eo amplius, néue ipsi vel condenti testamentum, vel accipienti ex alieno testamẽto, dicatur testimoniũ. Et quidem hæc verba: TESTAMENTI FACTIONEM NON HABERE, vel contra HABERE, variè accipiuntur. Nam plenissimè testaméti factioné non habere dicitur is, qui nec testamentũ condere potest, nec testis esse in testamento, nec ex eo capere, plenissimè habere, qui & cõdere potest & capere, & testis esse. reliqui, respectu diuersorum & habere testamenti factioné dicuntur, & nõ habere. Nam mulier hactenus habet testaméti factioné, vt & accipere possit ex testamento, & condere testamentũ, hactenus nõ habet, vt testis adhiberi vltimis iudicijs non possit: serui furiosi, prodigi, quatenus quidem acquirunt ex testamẽto, dicuntur habere testamenti factionem, sed in condendis testamẽtis, & testimonijs ijs dicendis, secus acceptum est: Filijfamiliarum, & accipiũt rectè ex vltima voluntate, & rectè ad testimonium ijs præstandum vocantur, cæterùm quantũ ad conficiendum testamentũ pertinet, negantur habere testamenti factionem. Solennia circa confectionem testamentorum requisita, hęc sunt: Primum, vt vno contextu actionis, hoc est, nullum alienũ à testamento actum intermiscendo, quis testetur. Deinde vt hæres vel palam nuncupetur, vel scribatur. Adhęc, vt septem testes, qui quinq; tribus populi Romani, & libripendem, ac emptorem familiæ exhibeant, nominatim ad hoc rogati, testamento adhibeantur. Item vt ijdem illi testes, tabulas testamenti, annulo suo signent, & proprio chirographo annotent, qui sint, & cuius testamentum signauerint. Vltimo

timò, vt nulli alij testes vocentur, q̃ cũ quibus testaméti factio sit. Nam sunt & nõnulli, cum quibus aliquo modo testaméti factio est, q tamẽ nõ rectè testamẽtis adhibẽtur, ij sunt: seruus qui iure ciuili pro nullo cõputatur: mulier, quæ nulli officio publico superesse potest: impubes, q in eadẽ causa est: furiosus, mutus, surd⁹, & cui bonis interdictũ est, qui vel morbo animi, vel corporis, vel morũ inidonei reperiũtur, hęres institutus, aut is, qui eũ in potestate habet, quiue in eius potestate est, vel eiusdẽ cũ eo potestati subditus, ne videlicet quis sibi testimoniũ dicat. Nã quãtũ ad improbũ & intestabilẽ pertinet, is quia omnino testaméti factionẽ nõ habet, merito nõ recipitur ad testimoniũ testaméto dicẽdũ. Iã qui sine vitio, silẽtio præteriri nõ possunt, ad hoc vt testamentũ cõstet, sed debẽt vel institui, vel nominatim ac purè exhæredari, sunt liberi in potestate cõmorãtes, & primũ gradũ successionis obtinẽtes. Nã inter cætera, inquit Caius, quæ ad ordinãda testaméta necessariò desiderãtur, principale ius est, de liberis hęredibus instituẽdis vel exhęredãdis, ne pręteritis illis rũpatur testamẽtũ. Nãq; filio, qui in potestate est pręterito, inutile est testamẽtũ. Ratio aũt, cur hoc ita receptũ est, hinc sumitur, quod etiã viuẽte patre, filius tãq̃ particeps illius, vt est apud Terentiũ, habeatur. Verba aũt Pauli super ea re hęc sunt: In suis hęredib⁹ euidẽtius apparet, cõtinuationẽ dominij eò rẽ pducere, vt nulla videatur hæreditas fuisse: quasi olim hi dñi essent, q etiã viuo patre quodãmodo dñi existimabãtur. Vñ etiã filiusfamilias appellatur, sicut paterfamilias: sola nota hac adiecta, per quã distinguitur genitor, ab eo, qui genitus sit. Itaq; post mortẽ patris, nõ hęreditatẽ percipere vidẽtur, sed magis liberã bonorũ administrationẽ cõsequũtur. Hac ex causa, licet illi nõ sint hęredes instituti, dñi tamẽ sunt: nec obstat q, liceat eos exhęredare, quos & occidere licebat. Pręterea multi, inqt Vlpian⁹, nõ notę causa filios exhęredãt, nec vt eis obsint, sed vt eis cõsulãt, vtputa impuberib⁹, eisq; fideicõmissã hęreditatẽ dãt. Porrò nõ solũ iam nati, verũ posthumi quoq;

DE LIBERIS & POSTHVMIS HÆREDIBVS INSTITVENDIS VEL EXHÆREDANDIS.

liberi, vel hæredes institui debent, vel exhæredari, & in eo par omnium conditio est, quod & in filio posthumo, vt quolibet ex ceteris liberis siue fœminini sexus, siue masculini, præterito, valet quidem testamentum, sed postea agnatione posthumi siue posthumæ rumpitur, & ea ratione totum infirmatur. Ideoq; si mulier, ex qua posthumus aut posthuma sperabatur, abortum fecerit, nihil impedimento est scriptis hæredibus ad hæreditatē adeundam. Sed fœminini quidē sexus personę vel nominatim, vel inter cæteros exhæredari solebant, dum tamen si inter cęteros exhęredarentur, aliquid eis legaretur, ne viderentur præteritæ esse per obliuionem. Masculos verò posthumos, id est filios, & deinceps, placuit non aliter rectè exhæredari, nisi nominatim exhæredarentur: hoc scilicet modo: Quicunq; mihi filius genitus fuerit, exhęres esto. Posthumorum autem loco sunt & ij, qui in sui hęredis locum succedendo, quasi agnascendo fiunt parentibus sui hęredes: vt ecce, si quis filium, & ex eo nepotem neptémue in potestate habeat: quia filius gradu pręcedit, is solus iura sui hęredis habet, quāuis nepos quoq; & neptis ex eo, in eadem potestate sint. Sed si filius eius viuo eo moriatur, aut qualibet alia ratione exeat de potestate eius, incipit nepos neptísue in eius locum succedere: & eo modo iura suorum hęredum, quasi agnatione nanciscitur. Ne ergo eo modo rumpatur eius testamentum, sicut ipsum filium, vel hęredem instituere, vel nominatim exhæredare debet testator, ne non iure faciat testamentum: ita & nepotem neptémue ex filio, necesse est ei, vel hæredem instituere, vel exhęredare, ne forte eo viuo filio mortuo succedendo, in locum eius nepos neptísue, quasi agnatione rumpat testamentum, idq́ue lege Iulia Velleia prouisum est, in qua similis exhæredationis modus ad similitudinem posthumorum demonstratur. Verba autem quæ Gallus Aquilius in cōdendis formulis concepit, (nam sic & Aquilianæ stipulationis conceptionem composuit, & in formulis condendis multum

tum verſatos fuiſſe veteres conſultos author eſt Cicero) quibus quidem verbis præcaueri poteſt, ne aut poſthumus, aut is qui in locum ſui hæredis adnaſcitur, rumpat teſtamentum: hæc ſunt. Si filius meus, viuo me, morietur, tunc ſi quis ex eo mihi nepos, ſiue quæ neptis poſt mortem meam in decem menſibus proximis quibus filius meus moreretur, natus nata erit, hęredes ſunto. Si quis ex ſuis hæredibus ſuus hæres eſſe deſierit, liberi eius in locum ſuorum, ſui hæredes ſuccedunto. Plane ſi quis aduerſum iſta fecerit & eos quos vel inſtituere, vel exhæredare debuerit, ſilentio præterijſſe inuentus fuerit, inutile ſe teſtamentum conſcripſiſſe, non debet ignorare. Papinianus: Teſtamentum aut non iure factum dicitur, vbi ſolennia iuris defuerunt, aut nullius eſt momenti, cum filius qui fuit in patris poteſtate, præteritus eſt: aut rumpitur alio teſtamento, ex quo hæres exiſtere poterit, vel agnatione ſui hæredis: aut in irritũ conſtituitur, non adita hæreditate. Vlpianus: Irritum quoque fit teſtamentum, quoties ipſi teſtatori aliquid cõtingit: vtputa ſi ciuitatem amittat per ſubitam ſeruitutem, ab hoſtibus (verbi gratia) captus, vel ſi maior annis viginti, vęnum ſe dari paſſus ſit, ad actum gerendum preciúmue participandum. Sed & ſi quis fuerit capite damnatus, vel ad beſtias, vel ad gladium, vel ad aliam pœnam quæ vitam adimit, teſtamentum eius irritum fiet: & non tunc cùm conſumptus eſt, ſed cum ſententiam paſſus eſt (nam pœnæ ſeruus efficitur) niſi forte miles fuit ex militari delicto damnatus, nam huic permittitur teſtari, vt diuus Hadrianus reſcripſit, & credo quod iure militari teſtabitur. Euaneſcit etiam teſtamentum, ſi vel deletum, vel inductum à teſtatore fuerit. Vlpianus: Quæ in teſtamento legi poſſunt, ea inconſultò deleta & inducta, nihilominus valent: conſultò, non valent. Id verò quod nõ iuſſu domini ſcriptum, inductum, deletúmue eſt, pro nihilo eſt. Legi autem ſic accipiendum eſt: non intelligi, ſed oculis perſpici, quæ ſcripta ſunt. Cæterum ſi extrinſecus

DE INIVSTO, RVMPTO, IRRITO FACTO TESTAMENTO.

DE HIS QVÆ IN TESTAMẼTO DELẼTVR, INDVCVNTVR, VEL INSCRIBVTVR.

ſecus intelligantur, non videbuntur legi poſſe. Sufficit autem ſi legibilia ſunt inconſultò deleta, ſiue ab ipſo, ſiue ab alio: Sed nolentibus inductum accipiendum eſt, & ſi perducta ſint. Quod igitur incautè factum eſt, pro non facto eſt, ſi legi potuerit. Et ideo ſi nouiſſime (vt ſolet) teſtamento fuerit aſſcriptum: lituras, inductiones ipſe feci: non videbitur referri ad ea, quæ inconſultò contigerunt. Proinde & ſi inconſultò ſuperſcripſerit, induxiſſe ſe, manebunt: & ſi ademerit, non erunt adempta. Sed ſi legi non poſſunt, quæ inconſultò deleta ſunt, dicendum eſt, non deberi, ſed hoc ita demum, ſi ante conſummationem teſtamenti factum eſt. Sed conſultò quidem deleta petentes exceptione repelluntur, inconſultò verò, non repelluntur, ſiue legi poſſunt, ſiue non poſſunt: quoniam & ſi totum teſtamentum non extet, conſtat valere omnia, quæ in eo ſcripta ſunt. Et ſi quidem illud conſcidit teſtator, denegabuntur actiones. Si verò alius, inuito teſtatore, non bene denegabuntur. Et cum hęreditatis portio adempta eſt, vel tota hęreditas, ſi forte ſit ſubſtitutus, ademptio iure facta videbitur, non quaſi adempta (quoniam hęreditas ſemel data, adimi facilè non poteſt) ſed quaſi nec data. Si quis codicillos in teſtamento confirmauerit, & codicillis aliquid adſcripſerit, mox deleuerit, ita vt appareat, an debeatur? Et Pomponius ſcribit codicillos deletos non valere. Atque hæc quidem de his, quos vel inſtituere oportet, vel exhæredare, ad hoc vt teſtamentum, vel non improbum dicatur, vt inquit Aſconius, tanquam contra leges: vel non inofficioſum, tanquàm contra merita: vel non inhumanum, tanquàm contra pietatem. Vltimum quod ad teſtamenta rectè ſcribenda pertinere diximus, eſt hæredis inſtitutio, nam qui teſtatur, inquit Vlpianus, ab hæredis inſtitutione plęrumque debet initium facere teſtamenti. Sed eſt omnis hæres inſtitutus, vel primo, vel ſecun do gradu inſtitutus, idem ſubſtitutus, itē vel purè,

vel

vel ſub conditione denique, vel cum cretione vel ſine, de quibus omnibus dicendum eſt. Circa inſtitutionem, quę primo loco fit, hæc fermè quæruntur. quomodo fiat: qui hæredes fieri ac inſtitui poſſint: quot ſint partes hæreditatis: quæ ſit hæredum differentia. De forma inſtitutionis hæredum, ait Vlpianus his verbis. Qui neque legaturus eſt quid, neque quemquam exhæredaturus, quinque verbis poteſt facere teſtamentum, vt dicat, Lucius Titius mihi hæres eſto. Hęc autem ſcriptura pertinet ad eum, qui non per ſcripturam teſtatur: qui poterit etiam tribus verbis teſtari: vt dicat. Lucius hæres eſto, nam & mihi & Titius, abundant. Si ex fundo fuiſſet aliquis ſolus hæres inſtitutus, valet inſtitutio, detracta fundi mentione. Sin autem ſic ſcribat. Lucius hæres: licet non adiecerit, eſto: credimus plus nuncupatum, minus ſcriptum. & ſi ita: Lucius eſto, tantundem dicimus: ergo & ſi ita. Lucius ſolummodo, Marcellus non inſubtiliter non putat hodie hoc procedere. Diuus autem Pius, cùm quidam portiones inter hæredes diſtribuiſſet ita, ille ex parte tota, ille ex tota: nec adieciſſet, hæres eſto: reſcripſit valere inſtitutionem, quod & Iulianus ſcripſit. Item diuus Pius reſcripſit: Illa vxor mea eſto: inſtitutionem valere, licet deeſſet hæres. Idem Iulianus, illum hæredem eſſe, non putauit valere: quoniam deeſſet aliquid, ſed & ipſa valebit, ſubaudito, iubeo. Hæredes inſtitui poſſunt, inquit Vlpianus, qui teſtamenti factionem cum teſtatore habent. Dedititiorum numero hæres inſtitui non poteſt, quia peregrinus eſt. Cum quo teſtamenti factio non eſt, ſiquidem mortis teſtatoris tempore, vel intra diem cretionis ciuis Romanus ſit, hæres eſſe poteſt. Quod ſi Latinus manſerit, lege Iunia, capere hæreditatem prohibetur. Idẽ iuris eſt in perſona cœlibis, propter legem Iuliam. Incerta perſona hæres inſtitui non poteſt

DE HÆREDIBVS INSTITVENDIS.

velut

velut hoc modo. Quisquis primus ad funus meum venerit, hæres esto: quoniam certum consilium debet esse testantis. Nec municipia, nec municipes hæredes institui possunt, quoniam incertum corpus est, vt neque cernere vniuersi, neq; pro lubito de hęrede cernere possunt, vt hæredes fiant. Senatusconsulto tamen concessum est, vt à libertis suis hæredes institui possint. Sed fideicommissa hæreditas, municipibus restitui non potest: denique hoc Senatusconsulto prospectum est. Deos hæredes instituere nō possumus, præter eos quos Senatuscōsulto, constitutionibus principum, instituere concessum est: sicut Iouem Tarpeium, Apollinem Didymæum, sicuti Martem in Gallia, Mineruam Meliensem, Herculem Gaditanum, Dianam Ephesiam, matrem deorum, Cybelem eam quæ Smyrnæ colitur, & Coelestem Salinēsem Carthaginis. Seruos hæredes instituere possumus, nostros cum libertate, alienos sine libertate, cōmunes cū libertate, vel sine libertate, Eum seruū qui tantū in bonis noster est, nec cum libertate hæredem instituere possumus, quia Latinitatem consequitur, quod non proficit ad hęreditatem capiendam. Alienos seruos hæredes instituere possumus, eos tamen quorum cum dominis testamenti factionem habemus. Communis seruus cum libertate rectè quidem hęres instituitur, quasi proprius, pro parte nostra: sine libertate autem, quasi alienus, propter socij partem. Proprius seruus cum libertate hęres institutus, siquidem in eadem causa permanserit, ex testamento, liber & hęres fit, id est necessarius. Quod si ab ipso testatore viuente manumissus, vel alienatus sit, suo arbitrio, vel iussu emptoris, hęreditatē adire potest, Sed si sine libertate sit institutus, omnino non constat institutio. Alienus seruus hęres institutus, siquidem in eadem causa permāserit, iussu domini debet hęreditatē adire, Quod si viuo testatore manumissus aut alienatus à domino fuerit, aut suo arbitrio, aut iussu emptoris, poterit adire hæreditatem. *Hactenus Vlpianus in Enchiridio.* Partes cuiuscunque hæredita-

reditatis sunt duodecim vnciȩ, quȩ assis appellatione cõtinentur. Habent autem & hȩ partes, propria nomina ab vncia vsque ad assem, vtputa hæc: sescunx: sextans: quadrans: triēs, quincunx: semis: septunx: bes: dodrans: dextans: deunx: as. Non autem vtique semper duodecim vncias esse oportet. Nam tot vnciæ assem efficiunt, quot testator voluerit. Et si vnum tantum quis ex semisse (verbi gratia) hæredem scripserit, totus as in semisse erit. Neque enim idem ex parte testatus, & ex parte intestatus decedere potest, nisi sit miles: cuius sola voluntas in testando spectatur. Et econtrario potest quis, in quantascunque voluerit plurimas vncias suam hæreditatem diuidere. De his pluscula sunt apud Varronem libro primo de lingua latina. Differentia hæredum est, vt alij sint necessarij, vt serui hæredes instituti, qui velint nolint coguntur fieri hæredes, videlicet, vt si opus sit, bona hȩrilia, sub nomine potius serui hæredis quàm domini defuncti distrahantur, alij sui & necessarij, vt ij qui in potestate testatoris morantur, qui quidem sui dicūtur, tanquàm proprij & quasi iam domini: nam hæres, inquit Festus, apud antiquos pro domino putabatur, & suum dicebant antiqui, pro proprio: sic enim apud Plautum senex, vxorem suam alloquitur: Suus vir, vxori suæ multam salutem: alij denique extranei, quales quidem sunt omnes extra eos qui potestati testantis subditi sunt. Etenim antiqui Hæ-rem Marteam, inquit Festus, accepta hæreditate colebāt, quæ à nomine appellabatur hæredum, & esse vna ex Martis comitibus putabatur. Itē Euerrator vocatur, qui accepta hæreditate, iure iusta facere defuncto debet, quod si non fecerit, seu quid in ea re turbauerit, suo capite luit: id nomen ductum à verrendo. Nam exuerrȩ sunt purgatio quȩdam domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferendus est, quæ fit per euerratorem certo genere scoparum adhibito, ab extra verrendo dictarum. De secunda institutione quæ in casum deficientium primorum hæredum comparata est, ea vel est vulgari, vel pupillaris, quæ quidem

DE VVLGARI ET PVPILLARI SVBSTITVTIONE.

quidem verbis ciuilibus concipiuntur, vel denique fideicommissoria. Vulgaris est, quæ & simplex dicitur, vt cùm ei qui iã pubes est substituo. veluti: Si Seius hęres nõ erit, Lucius Titius hęres esto. Atque hęc quidem expirat statim adita hæreditate. Pupillaris est, per quam liberis in potestate pupillis hæredibus institutis, prouidemus, tam nobis, quàm ipsis: de hærede si quid ijs forte contigerit humanum, ante decimum quartum annũ, quo ipsi sibi prospicere possint de hęrede. veluti: Filius meus mihi hęres esto, si hæres non erit, siue hæres erit, & intra pubertatem decesserit, tunc Caius Seius hæres mihi esto. Et hæc quidem euanescit pubertate impuberis, nisi forte vel per fideicommissum concepta sit, vel à milite facta. Papinianus. Centurio filijs, si intra quintum & vigesimum annum ætatis, sine liberis vita decesserint, directo substituit. intra quatuordecim annos etiam propria bona filio substitutus iure communi capiet, post eam autem ętatem, ex priuilegio militum, patris duntaxat, cum fructibus inuentis in hæreditate. Ad huius pupillaris exemplum excogitata est alia substitutio, per quam ei qui furiosus, vel mente captus est, substituitur, in casum, si antequàm ad sanam mentem reuertatur decedat. Fideicommissaria siue obliqua substitutio est, quæ non verbis ciuilibus, sed precarijs concipitur. veluti: rogo te hæres, vt si ante vigesimum annum decesseris, vel quandocunque decesseris, hæreditatem restituas Lutio Titio. Atque hęc quidem substitutio, non tam proprie sic dicitur, quàm per similitudinem. Nam quemadmodum liberis pupillis per pupillarem, ita alijs per istam prospicimus. Plane nonnunquàm fit, vt sub compendio verborũ plures substitutiones compręhendantur. Nam si quis ita dixerit: Si filius meus quandocunque decesserit, Caius mihi hæres esto: hæc verba & vulgarem continent substitutionem, & pupillarem, & fideicommissariam. Præterea hoc iure vtimur, inquit Modestinus, ex Diui Marci & Veri con-

constitutione, vt cùm pater impuberi filio in alterum casum substituisset, in vtrumque casum substituisse intelligatur: siue filius hæres non existeret, siue existeret, & impubes decesserit. Quod ius ad tertiũ quoque genus substitutionis tractum esse videtur: nam si pater duos filios impuberes hæredes instituat, eosque inuicem substituat, in vtrumque casum reciprocam substitutionem factam videri, Diuus Pius constituit. Sed si alter pubes, alter impubes, hoc communi verbo, eosque inuicem substituo, sibi fuerint substituti, in vulgarem tantummodo casum factam videri substitutionem Seuerus & Antoninus constituit: incongruens enim videbatur, vt in altero duplex esset substitutio, in altero sola vulgaris. Hoc itaque casu singulis separatim pater substituere debebit, vt si pubes hæres non exstiterit, impubes ei substituatur: si autem impubes hæres exstiterit, & intra pubertatẽ decesserit, pubes frater in portionẽ cohæredis substituatur, quo casu in vtrumq; euẽtum substitutus videtur: nec si vulgari modo impuberi quoq; substituat, voluntatis quæstionem relinquat, vtrũ de vna vulgari tantummodo substitutione in vtriusque sensisse intelligatur, ita enim in altero vtraque substitutio intelligitur, si voluntas parentis non refragetur, vel certè euitandæ quæstionis gratia, specialiter in vtrumque casum impuberi substituat fratrem, siue hæres non erit, siue erit, & intra pubertatis annos decesserit. Enimuero potest quis in testamento plures gradus hęredum facere. puta: si ille hæres non erit, hæres esto, & deinceps plures, vt nouissimo loco in subsidium, vel seruum necessarium hæredem instituat, & vel plures in vnius locum possunt substitui, vel vnus in plurium, vel singulis singuli, vel inuicem ipsi qui hæredes instituti sunt, vel singulis liberis (vel) qui eorum nouissimus morietur, hæres substitui potest: singulis, si neminem eorum intestato decedere velit: nouissimo, si ius legitimarum hæreditatum integrum inter eos custodiri velit.

De

DE CONDITIONIBVS INSTITVTIONVM.

De institutione conditionali, sciendum est, conditiones alias in potestatem nostram conferri, veluti, si Titio decem dederis, alias fortuitas esse, veluti si nauis ex Asia venerit. Et quidem quod ad filium testatoris pertinet, is sub ea conditione quæ in fortuitum euentum concipitur, non rectè instituitur, quemadmodum nec sub ea quę legibus improbata est, quæ totum testamentum corrumpit: sub ea verò quæ in potestate eius est, rectè instituitur: & nisi ei pareat, vel parere paratus sit, deficitur successiōe. Papinianus: Filius qui fuit in potestate, sub cōditione scriptus hęres, quam senatus aut princeps improbauerit, testamentum infirmat patris, ac si conditio non esset in eius potestate. Nam quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (vt generaliter dixerim) quę contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est. Idem Papinianus. Si filius sub conditione hæres erit, & nepotes ex eo substituentur, cùm non sufficiat sub qualibet conditione filium hęredem institui, sed ita demum testamentum ratum est, si cō ditio fuit in filij potestate: consideremus nunquid intersit quę cōditio fuerit adscripta: vtrum quę moriente filio impleri nō potuit: veluti, Si Alexandriam ierit filius, hęres esto: isque Romę decesserit, an verò quę potuit etiam extremo vitæ momento impleri, veluti, Si Titio decem dederit, filius meus hæres esto: quæ conditio nomine filij per alium impleri potest. Nam superior quidem species conditionis admittit, viuo filio, nepotes ad hæreditatem, qui si neminem substitutum haberet dum moritur, legittimus patri hæres existeret. Argumentoque est, quod apud Seruium quoque relatum est, Quendam enim refert ita hæredem institutum, Si in Capitolium ascēderit: quod si non ascendisset, legatum ei datum, eumque antequàm ascenderet, mortem obijsse: de quo respondit Seruius, conditionem morte defecisse: ideoque moriente eo, legati diem cessisse. Altera verò species conditionis, viuo filio, non admittit nepotes ad hæreditatem: qui si

sub-

ſubſtituti non eſſent,ab inteſtato auo hæredes exiſterét, neque enim filius videtur obſtitiſſe, poſt cuius mortem patris teſtamentum deſtituitur,quemadmodum ſi exhæredato eodem filio,nepotes(cùm filius moreretur)hæredes fuiſſent inſtituti. Hæc Papinianus. Si is qui inſtituitur extraneus ſit,quem non tenetur teſtator vel inſtituere,vel exhęredare, poteſt vel ſub ea conditione inſtitutio fieri,quæ in poteſtate eius ſit, quo caſu,ſi ita hæres inſtitutus ſit, Si decem dederit,& accipere nolit cui dare iuſſus ſit, pro impleta conditio habetur: vel ſub ea quæ fortuita eſt,niſi fortaſſe vel impoſſibilis ſit,vel contra bonos mores, vel contra leges, vel ſub iuriſiurandi conditione,quo caſu manente inſtitutione, tollitur & remittitur conditio. Vlpianus. Sub impoſſibili conditione, vel alio modo factam inſtitutionem placet, non vitiari. Paulus.Conditiones,quæ contra bonos mores inſeruntur, remittendæ ſunt: veluti ſi ab hoſtibus patrem ſuum non redemerit,& ſi parentibus ſuis,vel patrono aliméta non pręſtiterit. Martianus. Conditiones contra edicta Imperatorum, aut contra leges, aut quæ legis vicem obtinent,ſcriptæ,Item quę contra bonos mores,vel deriſoriæ ſunt, aut huiuſmodi, quas Prætores improbauerunt,pro non ſcriptis habentur: & perinde ac ſi conditio hæreditati ſiue legato adiecta non eſſet, hæreditas legatúmue capitur. Vlpianus. Quæ ſub conditione iuriſiurandi relinquũtur,à Prætore reprobantur.Prouidit enim ne is qui ſub iuriſiurandi conditione quid acceperit, aut omittendo conditionem, perderet hæreditatem, legatúmue: aut cogeretur turpiter accipiendo conditionem iurare.Voluit ergo eum cui ſub iuriſiurandi conditione, quid relictum eſt,ita capere,vt capiunt ij,quibus nulla talis iuriſiurandi conditio inſeritur,& recte.Cum enim faciles ſint nonnulli hominum ad iurandum, contemptu religionis:alij perquàm timidi,metu diuini numinis,vſq; ad ſuperſtitionem, ne vel hi, vel illi aut conſequerentur, aut perderent quod relictum eſt,Prętor conſultiſſimè in-

teruenit. Etenim potuit is, qui voluit factum esse quod religionis conditione adstrinxit, sub conditione faciendi relinquere. Ita enim homines aut facientes admitterentur, aut non facientes, deficerētur conditione. De hærede cum cretione instituto, vel sine, sic habet Vlpianus in Enchiridio: Cretio est certorum dierum spacium, quod datur instituto hęredi ad deliberandum, vtrum expediat ei adire hæreditatem, nec ne. velut, Titius hæres esto, cernitoq; in diebus centum proximis, quibus scieris, poterisque: nisi ita creueris, exhæres esto. Cernere est verba cretionis dicere, ad hunc modum: Cum me Mæuius hęredem instituerit, eam hæreditatem adeo cernoque. Sine cretione hęres institutus, si constituerit, nolle se hęredem esse, statim excluditur ab hęreditate, & amplius eam adire non potest. Cum cretione verò hæres institutus, sicut cernendo fit hæres, ita non aliter excluditur, quàm si intra diem cretionis non creuerit. Ideoque etiam si constituerit nolle se hęredē esse, tamē si supersint dies cretionis, pœnitētia actus, cernēdo hæres fieri potest. Cretio aūt vulgaris, est in qua adijciūtur hæc verba: Quibus scieris poterisq;. Continua, in qua non adijciuntur. Ei qui vulgarem cretionē habet, dies illi dati computantur, quibus ignorauit se hæredem institutum: aut sciuit quidem, sed nō potuit cernere. Etenim quod ad ius præsens attinet, non solum testator deliberandi concedit ei qui hæres scriptus est, verum etiam Prętor ipse: ne videlicet temere in damnum incidat. Ait itaq; in hæc verba: Si tempus ad
" deliberandum petet, dabo: si pupilli pupillęue nomine po
" stulabitur tēpus ad deliberandum, an expediat eum hęre
" ditatem retinere, & hoc ei datum sit, si iusta causa esse vi
" debitur, bona interea diminui, nisi causa cognita boni
" viri arbitratu, vetabo. Atq; hæc quidem, de quatuor his quę in testamentis solenniter condendis, vt diximus, requiruntur, quę quidem solennia, licet omnibus paganis obseruanda præcipiantur: tamen militibus, tum propter occupationem, tum verò propter fauorem, quo eos Imperato-

DE IVRE DELIBERANDI.

perato-

peratores amplecti cœperunt, remittuntur. Vlpianus. Militibus liberam testamenti factionem, primũ quidem Diuus Iulius Cæsar concessit, sed ea concessio temporalis erat: postea verò primus Diuus Titus dedit: posthos Domitianus: & postea Diuus Nerua plenissimam indulgentiam in milites contulit: eamque & Traianus secutus est, & exinde mandatis inseri cœpit, caput tale. Cum in notitiam meam perlatum sit, subinde testamenta à commilitonibus relicta proferri, quæ possint in controuersiam deduci, si ad diligentiam legum & obseruantiam reuocentur: secutus animi mei integritudinem erga optimos fidelissimosque commilitones, simplicitati eorum consulendum existimaui: vt quoquo modo testati fuissent, rata esset illorum voluntas: faciant igitur testamenta quomodo volent, faciant quo modo potuerint, sufficiatque ad bonorum suorum diuisionem faciendam, nuda voluntas testatoris. Milites autem appellantur à mollitia, id est, duritia quam pro nobis sustinent, aut à multitudine, aut à malo quod arcere milites solent, aut à numero mille hominum: ducitum à Græco verbo, tractum à tagmate: nam Græci mille hominum multitudinem TAGMA appellant, quasi millesimum quemque dictum, vnde & ipsum ducem χιλίαρχον appellant. Exercitus autem nomen ab exercitatione traxit.

QVOMODO AD EFFECTVM TESTAMENTA PERDVCANTVR.



VONIAM expoſitum eſt, de forma condendi conficiendiq; teſtamenti: ſupereſt, vt quomodo ad exitum deducantur teſtamenta, videamus. Et quidem id ipſum: partim in eo ſpectatur, vt vel ſubeat hæreditatem is qui ſcriptus eſt, vel repudiet: partim, vt & ijs, quorum intereſt aperiantur tabulæ teſtamenti: partim deniq;, vt qui indignos ſe præſtiterunt accipiendis ijs quę relicta ſunt, repellantur.

DE ADQVIREDA, VEL OMITTENDA HÆREDITATE.

De acquirenda vel omittenda hæreditate, regula eſt, vt is qui hæres eſt, vel immiſceat ſe hæreditati, ſi ſit ſuus hęres: aut adeat eam, ſi ſit extraneus, vel abſtineat ab hęreditate, ſi ſit ſuus: vel repudiet eam, ſi extraneus. Gerit autem pro hærede, inquit Paulus, qui animo agnoſcit ſucceſſionem, licet nihil attingat hæreditarium. Vnde & ſi domum pignori datam, ſicut hæreditariam retinuit, cuius poſſeſſio qualiſqualis fuit in hæreditate, pro hærede gerere videtur. Idemq; eſt, & ſi alienam rem, vt hęreditariam poſſediſſet. Vlpianus. Pro hęrede gerere videtur is, qui aliquid facit quaſi hęres. Et generaliter Iulianus ſcribit, eum demum pro hęrede gerere, qui aliquid quaſi hęres gerit. Pro hęrede autem gerere, non tam eſſe facti quàm animi. Nam hoc animo eſſe debet, vt velit hæres eſſe. Cæterùm ſi quid pietatis, ſi quid cuſtodiæ cauſa fecit, ſi quid non quaſi hæres egit, ſed quaſi alio iure dominus, apparet non videri pro hęrede geſſiſſe. Et ideo ſolent teſtari liberi, qui neceſſarij exiſtũt nõ animo hæredis ſe gerere quę gerũt, ſed aut pietatis, aut cuſtodię cauſa, aut pro ſuo: vtputa patrẽ ſepiliuit, vel iuſta ei fecit, ſi animo hęredis, pro hęrede geſſit. enimuero ſi pietatis cauſa hoc fecit, non videtur pro hærede geſſiſſe. Seruos hæreditarios pauit, iumenta hæreditaria aut pauit, aut diſtraxit: ſi hoc vt hæres geſſit, pro hærede: at ſi

at si non vt hęres, sed vt custodiat, aut dũ putauit sua, aut dũ deliberat, quid fecit, cõsulens, vt saluę essent res hęreditarię, si forte ei nõ placuerit pro hærede gerere, apparet non videri pro hęrede gessisse. Proinde & si fundos aut ędes locauit, vel fulsit, vel quid aliud fecit, nõ hoc animo quasi pro hęrede gereret, sed & dum ei qui substitutus est, vel ab intestato hæres extiturus est, prospicit, aut res tem pore perituras distraxit, in ea causa est, vt pro hærede nõ gesserit, quia non hoc animo fuerit. Recusari autem hæreditas non tantum verbis, sed etiam re potest, & alio quouis modo, iudicio voluntatis. Vlpianus. Ei qui se non immiscuit hæreditati paternæ, siue maior sit, siue minor, non est necesse Prætorem adire, sed sufficit se non immiscuisse hæreditati. Et est in semestribus Viuijs, Sotero, & Victorino rescriptum, non esse necesse pupillis, in integrum restitui, ex auito contractu, quorum pater constituerat non agnoscere hæreditatem, nec quicq̃ amouerat, vel pro hęrede gesserat. De aperiendis & exhibendis tabulis testamenti, verba Vlpiani, Pauli & Caij hęc sunt. Cùm ab initio aperiendæ sunt tabulæ, Prętoris id officium est, vt cogat signatores conuenire, & sigilla sua recognoscere, vel negare se signasse: publicè enim expedit, suprema hominum iudicia exitũ habere. Sed si maior pars signatorum fuerit inuenta, poterit ipsis interuenientibus resignari testamentum & recitari. Sed & si quis ex signatoribus aberit, mitti debent tabulæ testamenti, vbi ipse sit, vti agnoscat: nam reuocari eum agnoscendi causa onerosum est: quippe sępe cum magna captione à rebus nostris reuocamur, & sit iniquum, damnosum cuique esse officium suum. Nec ad rẽ pertinet, vnus absit, an omnes. Et si forte omnibus absentibus, causa aliqua aperiri tabulas vrgeat: debet proconsul curare, vt interuenientibus optimæ opinionis viris, aperiantur: & post descriptum & recognitum factum, ab ijsdem quibus interuenientibus appertæ sunt, obsignentur, tunc deinde eo mittantur, vbi ipsi signatores sint, ad inspicienda sigilla sua. Caius: Omni-

TESTAMENTA QVEMADMODV APERIÃTVR INSPICIANTVR, ET DESCRIBATVR.

Omnibus quicunque desiderant tabulas testamenti inspicere, vel etiam describere: inspiciendi, describendique potestatem facturum se Prætor pollicetur, quod vel suo, vel alieno nomine desideranti tribuere eum manifestum est. Ratio autem huius edicti manifesta est. Neq; enim sine iudice transigi, neq; apud iudicem exquiri veritas de ijs controuersijs, quę ex testamento proficiscuntur, aliter potest, quam inspectis cognitisque verbis testamēti. Si quis se neget sigillum suum agnoscere, non ideo quidem minus aperiuntur tabulæ, sed aliàs suspectæ fient. Pręterea tabularum testamenti instrumentum, non est vnius hominis, hoc est hæredis, sed vniuersorum, quibus quid illic adscriptum est: quin potius publicum est instrumentum. Indignum se percipiendis ijs quæ relicta sunt in testamento, præstat quis, tribus modis. Vno si omissa causa testamēti, ab intestato vel alio modo possideat hęreditatem. Altero, si contra Senatusconsultum Silanianum & Claudianum faciat. Tertio, si defunctū testari coëgerit vel prohibuerit. De his qui causam testamēti omittunt, & ab intestato adeunt, sic ait Vlpianus: Prętor voluntates defunctorū tuetur, & eorū calliditati occurrit, qui omissa causa testamenti, ab intestato hæreditatem partémue eius possident, ad hoc, vt eos circumueniant, quibus quid ex iudicio defuncti deberi potuit, si non ab intestato possideretur hæreditas: & in eos actionem pollicetur. Et parui refert, vtrum quis per semetipsum, an per alium acquirere potuit hæreditaté. Nam quomodocunque potuit, si non acquisierit hæreditatem, in ea causa est, vt incidat in edictum Prætoris. Vlpianus. Non simpliciter autem Prętor pollicitus est se daturum actionem, sed causa cognita. Nam siue inuenerit testatorem huius rei authorem esse, ipsumque permisisse ab intestato succedere: aut si qua alia iusta causa omittendi interuenerit: vtique non dabit actionem in eum legatorum. Item si inuenerit bona ad aliū pertinere, non dabit actionem: si modo nulla collusionis suspicio, religioné Prętoris instruxerit. Si aūt

SI QVIS OMISSA CAVSA TESTAMENTI AB INTESTATO VEL ALIO MODO POSSIDEAT HÆREDITATEM.

is cui

is cui auferri hęreditas poteſt, aliquid poſſidebat de hęreditate, & poſſidere deſijt, ſine dolo malo: magis eſt vt deſinat cõueniri. Quod ergo tẽpus ſpectabim⁹, poſſideat, nec ne? Litis cõteſtatę tẽpus ſpectari debet. De ſenatuſcõſulto Silaniano & Claudiano: Vlpianus: Cũ aliter nulla domus tuta eſſe poſſit, niſi periculo capitis ſui dominis cuſtodiã, tam à domeſticis q̃ ab extraneis prę̄ſtare ſerui cogantur: ideo ſenatuſcõſulta introducta ſunt, de publica quęſtione à familia necatorum habẽda. Et ideo, quod ad cauſam teſtamenti pertinens, relictum erit ab eo, qui occiſus eſſe dicetur: id ne quis ſciens dolo malo aperiendum, recitandum, deſcribendúmue curet, edicto cauetur, priuſquàm de eius familia quæſtio ex ſenatuſconſulto habita, ſuppliciumque de noxijs ſumptum fuerit. De eo qui teſtari aliquem vel coëgerit vel prohibuerit. Vlpian. Qui dum captat hęreditatem legitimam, vel ex teſtamento, prohibuerit teſtamentarium introire, volente eo facere teſtamentum, vel mutare: Diuus Hadrianus conſtituit denegari ei debere actiones, denegatiſque ei actionibus, fiſco locũ fore. Paulus. Si quis dolo malo fecerit, vt teſtes nõ veniát, & per hoc deficiat facultas teſtamẽti faciẽdi: denegãdę ſunt actiones ei qui dolo fecit, ſiue legitim⁹ hęres ſit, ſiue priore teſtamẽto ſcriptus. Planè virũ, qui nõ per vim, nec dolũ, quo min⁹ vxor cõtra eum mutata volũtate codicillos faceret, intercesserat, ſed (vt fieri aſſolet) offenſam ægrę mulieris, maritali ſermone placauerat, in crimen non incidiſſe reſpondit Papinianus: nec ei quod teſtamento fuerat datum auferendum. Atque hucuſque de conficiendis, & ad effectum deducendis teſtamentis, dixiſſe ſufficiat, niſi fortaſſe illud quoque pacis admonendum videatur, fieri nonnunquam, vt codicilli teſtamento adijciantur, vel decendente patrefamilias inteſtatò, his ſolis conditis, legata vel fideicommiſſa (nam hæreditates non dantur codicillis) relinquantur. Et certè ante Auguſti tempora, conſtat codicillorum ius in vſu non fuiſſe, ſed primus Lutius Lentulus (ex cuius perſona

DE SENATVSCÕSVLTO SILANIANO, ET CLAVDIANO, QVORVM TESTAMẼTA, NE APERIANTVR.

SI QVIS ALIQVEM TESTARI PROHIBVERIT VEL COEGERIT

DE IVRE CODICILLORVM.

etiam

etiam fideicommissa esse ceperũt) codicillos introduxit. Nam cum decederet in Aphrica, scripsit codicillos testamento confirmatos, quibus ab Augusto petijt per fideicommissum, vt faceret aliquid. Et cum diuus Augustus voluntatem eius implesset, deinceps reliqui eius authoritatem secuti, fideicommissa præstabant, & filia Lentuli, legata, quæ iure non debebat, soluit. Dicitur autem Augustus conuocasse sapientes viros, inter quos Trebatium quoque, cuius tunc authoritas maxima erat: & quęsisse, an possit recipi hoc, nec absonans à iuris ratione codicillorum vsus esset: & Trebatium suasisse Augusto, quòd diceret vtilissimum & necessarium hoc ciuibus esse, propter magnas & longas peregrinationes, quę apud veteres fuissent, vbi si quis testamentum facere non posset, tamen codicillos posset. Post quæ tempora, cum & Labeo codicillos fecisset, iam nemini dubium erat, quin codicilli iure optimo admitterentur. Conficiuntur codicilli quatuor modis, aut enim in futurum confirmantur, aut in præteritum, aut per fideicommissum, testamento facto, aut sine testamento. Sed ideo fideicommissa dari possunt ab intestato succedentibus, quoniam creditur paterfamilias sponte sua his relinquere legitimã hęreditatem. Codicilli toties valent, quoties quis testamentum quoque facere potest. Non tamen hoc ita intelligimus, vt exigamus potuisse eum eo tempore quo scripsit eos codicillos, testamentum facere (quid enim si sufficientium testium facultatem non habuit?) sed si iure, testamenti factionem habuerit. Etenim literæ quibus hæreditas promittitur, vel animi affectus exprimitur, codicillorum vim non obtinent. Si palam, inquit Paulus, hęres nuncupatus sit, legata autem in tabulas collata fuerint, Iulianus ait, tabulas testamenti non intelligi, quibus hæres scriptus non est: quodque magis codicilli, quàm testamentum existimandæ sint: & hoc puto, rectius dici.

DE LE-

DE LEGATIS.



Re est, vt post hæreditates, quæ testamento relinquuntur, de singulis quoque rebus, per legatum vel fideicommissum, quæ per omnia exequata sunt, relinquendis, exponamus. Legatum est, inquit Vlpianus in Enchiridio, quod legis modo, id est, imperatiuè, testamento relinquitur. Nam ea quæ precatiuo modo relinquuntur, fideicommissa vocantur. Legamus autem quatuor modis, per vindicationem, per damnationem, sinendi modo, per præceptionem. Per vindicationem his verbis legamus: Do, lego, capito, sumito, siue habeto. Per damnationem his verbis: Hæres meus damnas esto dare, dato, facito, hæredem meum dare iubeo. Sinendi modo ita: hæres meus damnas esto, sinere Lucium Titium sumere illam rem, sibiq; habere. Per præceptionem sic: Lucius Titius illam rem præcipito. Per vindicationem legari possunt res: quæ vtroque tempore ex iure Quiritium testatoris fuerunt, mortis, & quando testamentum faciebat, prçterquàm si pondere, mensura, numero contineantur: in his enim satis est, si vel mortis duntaxat tempore, fuerint ex iure Quiritium. Per damnationé omnes res legari possunt, etiam quæ non sunt testatoris, dummodo tales sint, quæ dari possunt. Liber homo, aut res populi, aut sacra, aut religiosa, nec per damnationem legari potest, quoniam dari non potest. Sinendi modo legari possunt res propriæ testatoris, & hæredis eius. Per præceptionem legari possunt res, quç etiam per vindicationẽ. Si ea res, quæ non fuit, vtroque tempore testatoris ex iure Quiritium, per vindicationem legata sit, licet iure ciuili nõ valeat legatum, tamen Senatusconsulto Neroniano firmatur: quo cautum est, vt quod minus pactis verbis legatum est, perinde sit ac si optimo iure legatum esset. Si in singulos annos aliquid alicui legatum sit, Sabinus (cuius sen sentia

DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS.

DE ANNVIS LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS.

tentia vera est)plura legata esse ait, & primi anni purum, sequentium conditionale . videri enim hanc inesse conditionem, Si viuat. & ideo mortuo eo, ad hæredem legatum non transire. Si legatum sit relictum, annua, bima trima die, (triginta forte) dena per singulos debentur annos, licet non fuerit adiectum, æquis pensionibus. Proinde & si adiectum fuerit, pensionibus, licet non sit insertum, æquis, item & si scriptum fuerit æquis, licet non sit adiectum pensionibus, dicendum erit æquas fieri. sed si adiectum sit pensionibus inæquis, inæquales debebuntur. In singulos annos relictum legatum, simile est vsuifructui, cum morte finiatur. Sane capitis deminutione non finitur, cùm vsusfructus finiatur, & vsusfructus ita legari potest: Titio vsumfructũ fundi do lego: & quotiescunq; capite minutus erit, eundẽ vsumfructum do lego. Illud certè amplius est in hoc legato, quod in ingressu cuiuslibet anni, si decesserit legatarius, eius anni legatũ hęredi suo relinquit: quod in vsufructu nõ ita est, cum vsufructuarius, etiam si maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit: hæredi suo eos fructus non relinquit.

DE VSV, & VSVFRVCTV & REDITV, ET HABITATIONE, & OPERIS, PER LEGATVM VEL FIDEI COMMISSVM. DATIS.

Vsufructu legato, nihil interest, vtrum bonorum quis, an rerum tertiæ partis vsumfructum legauerit. Nam si bonorum vsusfructus legabitur, etiam æs alienum ex bonis deducetur: & quod in actionibus erit, computabitur. At si certarum rerum vsusfructus legatus erit, non idem obseruabitur. Et in fructu id esse intelligitur, quod ad vsum hominis inductum est. Neque enim maturitas naturalis hic spectanda est, sed id tempus quo magis colono dominóue eum fructum tollere expedit. Itaque cùm olea immatura plus habeat reditus, quàm si matura legatur: non potest videri, si immatura lecta est, in fructu non esse. De modo autem relinquendi vsusfructus, sic ait Modestinus: Si alij fundum, alij vsumfructum eiusdem fundi testator legauerit: si eo proposito fecit, vt alius vsumfructum, alius nudam haberet proprietatem: errore labitur. Nam detracto vsufructu, pro-

proprietatem eum legare oportet eo modo : Titio fundum detracto vsufructu lego, vel Seio, eiusdem fundi vsumfructum hæres dato, quod nisi fecerit, vsusfructus intereos communicabitur : quia interdum plus valet scriptura, quàm quod actum sit. Habitationis legatum, in singulos annos, ab initio anni deberi constat, sed si ita dicat testator: damnas esto hæres meus, Titium sinere in illa domo habitare, quoad viuet: vnum videtur esse legatum. Si quis ita dixerit, patrimonij mei reditum omnibus annis vxori meæ dari volo : Aristo respondit, ad hæredem vxoris non transire. quia aut vsuifructui simile est, aut huic legato, in annos singulos. Item cum ita esset legatum: Illi, cum illo habitationem lego, perinde est, ac si ita, illi & illi legasset. De operis relictis Papinianus. Hominis operæ legatæ, capitis deminutione, vel non vtendo, non amittuntur. & quoniam ex operis mercedem legatarius percipere potest, etiam operas eius ipse locare poterit, quas si prohibeat hæres capi, tenebitur. Idem est, & si seruus se locauerit. Et quia legatarius fructuarius non est, ad hæredem suum operarum legatum transmittit, sed seruo vsucapto legatum perit. Vlpianus: Operæ testamento relictæ, quando cedere debeant: vtrum ex quo petit eas legatarius, an ex quo adita hæreditas est? & cui pereant dies, quibus æger seruus fuerit? Et puto ex die petitionis eas cedere: quare, si post petitas, æger esse seruus cœperit: legatario peribunt. Seruitus vel legatur principaliter, vel in consequentiam. Principaliter, veluti si per fundum meum vicino iter legem. In consequentiam, vt si is qui duas tabernas habet, ita vt in superiore aliquid in inferiorem inædificatũ sit, eas singulas, ita vt sunt, duobus leget: nam seruitutẽ impositam videri, omnes consentiunt. Cum dos relegatur, verũ est, id dotis legato inesse quod actioni de dote inerat, & ideo si inter virum & vxorẽ conueniat, vt morte viri soluto matrimonio, filio cõmuni interue-

DE SERVITVTE LEGATA.

DE DOTE RELEGATA.

niente, dos apud mariti hæredem remaneat, & maritus decedens dotem relegauerit: stari pacto non debet, ob hoc quòd dos relegata est. Et adeo quidem dotis actionem continet dotis prælegatio, vt si viuus eam vxori (scilicet quibus licet casibus) soluerit, cesset legatum. Sed & si mancipia fuerint data in dotem non æstimata, & hæc demortua sint, dotis legatum in his euanescit: sed etsi dotem promiserit mulier, neque dederit, & decedens maritus vxori dotem prælegauerit, mulier nihil amplius quàm liberationem habebit. Nam etsi quis ita legauerit: Centum quæ in arca habeo, aut quæ ille apud me deposuit, si nulla sint, nihil deberi constat: quia nulla corpora sunt. Planè cùm quis vxori suæ dotem relegat, fideique commissum ab ea relinquit, hoc fideicommissum, ex commodo, quod ex relegatione mulier sensit, æstimabitur: & ita Celsus quoque libro vigesimo Digestorum scripsit. Quod si necessariæ fuerunt impensæ (quæ ipso iure dotem minuunt) amplius dici potest, si tanta quantitas dotis, quantam maritus accepit ei relegata sit, oportere dici, etiam eam quantitatem posse fideicommisso erogari, quæ ipso iure dotem minuit, esse enim mulierem legatariam, nemo est qui dubitet. Sed etsi non dos, sed pro dote aliquid vxori fuerit legatum: adhuc quasi dos relegata accipitur. Hoc amplius Iulianus scripsit, etsi non fuerit adiectum pro dote esse legatum, hoc tamen animo relictum, adhuc eius esse conditionis. Vxor igitur, si rogetur vel dotem, vel quod in vicem dotis sibi adscriptum est, restituere: non cogetur, nisi eatenus, quatenus diximus, restituere: Et ideo hæres instituta, rogataque quantitatem hæreditatis restituere: id demum restituet, quod quantitatem dotis excedit, idque quod ex præsentationis commodo sentit. Optione vel electione legata: Diuus Pius Cecilio Proculo rescripsit, eum cui seruorum legata sit electio, tres posse eligere, sed si serui

ſerui electio data ſit, vel homo generaliter relictus, verius, vnum tantum à legatario eligi poſſe. Pomponius: Si tibi electio ſerui, & mihi reliqui legati ſint, decernendum eſt à Prætore, niſi intra certum tempus optaueris, petitionem tibi non datũ iri. Et quidem, cum optio duorũ ſeruorũ Titio data ſit, reliqui Mæuio legati ſint: ceſſante primo in electione, reliquorum appellatione omnes ad Mæuium pertinent. Conſumitur autem optio, ſi quis poſt aditam hæreditatem, & omnibus exhibitis ſemel optauerit. Labeo: Apud Aufidium libro primo regularum ſcriptum eſt, cum ita legatum eſt. Veſtimenta quæ volet triclinaria ſumito, ſibiq; habeto, ſi is dixiſſet quæ vellet: deinde antequam ea ſumeret, alia ſe velle dixiſſet, mutare volũtatem eum non poſſe, vt alia ſumeret: quia omne ius legati prima teſtatione qua ſumere ſe dixiſſet, conſumpſit. quoniam res continuo eius fit, ſimul ac dixerit eam ſe ſumere.

DE OPTIONE VEL ELECTIONE LEGATA.

Vino legato, omne cõtinetur, quod ex vinea natum vinum permanſit. Sed ſi inquit Vlpianus, mulſum ſit factum, vini appellatione non continebitur propriè: niſi fortè paterfamilias etiam de hoc ſenſerit. Certè zythum, quod in quibuſdam prouincijs ex tritico, vel hordeo, vel pane conficitur non continebitur. Simili modo nec camum, nec ceruiſia continebitur, nec hydromeli. Quid conditum? nec hoc puto, niſi alia mens teſtantis fuit. Oenomeli planè, id eſt, vinum dulciſſimum cõtinebitur: & paſſum, niſi contraria mens ſit: continebitur. Defrutum non continebitur, quod potius conditurę loco ſit. Acinaticium planè vino continebitur. Cydoneum, & ſi qua alia ſunt, quæ non ex vinea fiunt, vini appellatione non continebuntur. Item acetum vini appellatione non continebitur. Hæc omnia ita demum vini appellatione non continebuntur, ſi modo vini numero à teſtatore nõ ſunt habita, alioqui Sabinus ſcribit, omnia vini appellatione contineri, quæ vini numero paterfamilias habuit, & zythum & camum, cæteraque pro hominum affectione, atque vſu, numero vini habebuntur. Quod ſi totum

DE TRITICO, VINO, & OLEO LEGATO

vinum quod paterfamilias habuit, coacuerit, non extinguitur legatum. Si acetum quis legauerit, non tenebitur legato acetum, quod vini numero testator habuit, embamma autem cōtinebitur: quia aceti numero fuit. Item si quis vinum quod habuit, legauit, deinde hoc coacuit: licet postea in aceti locum translatum sit, à patrefamilias, vino legato continebitur: quia id quod testamenti facti tempore vinum fuit, demōstratum est, & est hoc verum, nisi voluntas aduersetur. Vino autem paterno legato, id demum legatum videtur, quod testator vini numero habuit, non quod pater. Item si peculiare vinum legatum sit, id continebitur, quod serui habuerunt. Cur tam diuersa? Quod paternum vinum iam cœpit in vsu ipsius testatoris esse: at peculiare, in vsu seruorum remansit. Item si vinum vetus sit legatum, testatoris legatum æstimabitur, id est, quot annorum vino pro vetere vtebatur. Quod si non appareat, vetus accipietur, quod non est nouum: siquidem & anni prioris vinum, appellatione veteris continebitur. Nam aliter obseruantibus, quis finis, aut quod initium veteris vini sumetur? Pomponius: Vino legato, ea demum vasa sequuntur, quæ ita diffusa sunt, vt non ad perpetuum vsum reseruentur, veluti amphoræ, & cadi. Cùm certum pondus olei, non adiecta qualitate legatur, non solet quæri, cuius generis oleo vti solitus fuerit testator, aut cuius generis oleum istius regionis homines in vsu habeant, & ideo liberum est hæredi, cuius velit generis oleum legatario soluere.

DE INSTRVCTO VEL INSTRVMENTO LEGATO.

Si cui fundum & instrumentum eius legare vis, nihil interest, quomodo leges, fundum cum instrumento, an fundum & instrumentum, an fundum instructum. Instrumenta autem fundi ea esse, quæ fructus quærendi, cogendi, conseruandi gratia, parata sunt, Sabinus libris ad Vitellium euidenter enumerat. Quærendi, veluti homines qui agros colunt, & qui eos exercent, præpositiue sunt ijs: quorum in numero sunt villici, & monitores: præterea boues domiti, & pecora stercorandi causa parata, vasa,

quæ,

quæ vtilia culturæ ſunt,aratra,ligones,ſarculi, falces putatoriæ,bidentes,& ſi qua ſimilia dici poſſunt. Cogendi, quemadmodum torcularia, corbes, falces meſſoriæ, falces fœnariæ, quali vindemiatorij, exceptorijque, in quibus vuæ comportantur. Conſeruandi, qualia ſunt dolia, licet defoſſa non ſint, & cupæ. Quibuſdam in regionibus accedunt inſtrumento, ſi villa cultior eſt, etiam atrienſes,ſcoparij.Si etiā viridaria ſint,topiarij. Si fundus ſaltus paſtioneſque habeat,greges pecorum, paſtores ſaltuarij. De grege ouium ita diſtinguendum eſt, vt ſi ideo comparatus ſit, vt ex eo fructus caperetur, non debeatur:ſi verò ideo, quod non aliter ex ſaltu fructus percipi poterit, contra erit: quia per greges fructus ex ſaltu percipiuntur. Si reditus ex melle conſtat,etiam aluei apeſque continentur. Eadem ratio eſt in auibus, quæ in inſulis maritimis aluntur.Tabernæ cauponiæ inſtrumento legato, etiam inſtitores contineri Neratius exiſtimat. Sed videndum eſt, ne inter inſtrumentum tabernæ, & inſtrumentum cauponiæ ſit diſcrimen: vt tabernæ, non niſi loci inſtrumenta ſint, vt dolia, vaſa, vectiones, ancones, & calices, & trullæ, quæ circa cœnam ſolent traijci: item vrnæ æreæ, & congiaria, ſextaria, & ſimilia. Cauponiæ autem, cum negotiationis nomen ſit, etiam inſtitores. Inſtrumento balneatorio legato, etiam balneatorem contineri Neratius reſpondit. Continetur autem & fornicator. Domo inſtructa legata, reſponſum eſt, ſuppellectilem legatam, non etiam vina: quia domus vinis inſtructa intelligi non poteſt. Vinea & inſtrumento eius legato, inſtrumentum vineæ nullum eſſe Seruius reſpondit, ſed qui eum conſulebat. Cornelium reſpondiſſe, aiebat: Palos,perticas, raſtros, ligones, inſtrumenti vineæ eſſe, quod verius eſt.Pictoris inſtrumento legato,ceræ, colores,ſimiliaq; horum legato cedunt,item peniculi,& cauteria,& conchæ. Inſtrumento piſcatorio legato, conti-

neri Aristo ait nauscellas, quæ piscium capiendorũ causa paratæ sunt: Sed & piscatores contineri verius est. Cùm de lanionis instrumento quæritur: semota carne, mensas, pondera, ferramenta, & alia quoque quæ laniandæ carnis causa parata sunt: item trutinas, cultros, dolabras, instrumento relinquimus. In instrumento medici, esse colliria & emplastra, & cætera eius generis, Cassius scribit. Si nauem, inquit Iauolenus, cum instrumento emisti, præstari tibi debet scapha nauis. Paulus. Imo contra, etenim scapha nauis, non est instrumẽtum nauis, etenim mediocritate, non genere ab ea differt: instrumentum autem cuiusque rei necesse est alterius generis esse, atque ea quæque sit, quod & Pomponio libro septimo epistolarum placuit. Planè in omni instructo fundo, quod quidem legatum vberius est, secundum Vlpianum cap. 12. vel fundo, cum instrumento legato, optimum esse Pedius ait, non propriam verborum significationem scrutari, sed in primis quid testator demonstrare voluerit, deinde in qua præsumptione sunt, qui in quaque regione commorantur. Præterea dotes, id est instrumenta prædiorum, quę Gręco vocabulo ἐνθῆκαι appellantur, cum non instructa legantur, legatario nõ præstantur.

DE PECVLIO LEGATO.

Si peculium legetur, & sit in corporibus, puta fundus, vel ædes: si quidem nihil sit, quod seruus domino, vel conseruis liberisue domini debeat, integra corpora vindicabuntur. Si verò sit quod domino vel suprascriptis personis debeatur: deminui singula corpora pro rata debebũt, & ita Iulianus & Celsus putant. Seruo legato cum peculio, & alienato, vel manumisso, vel mortuo, legatum etiam peculij extinguitur. Nam quæ accessionum locum obtinent, extinguuntur, cum principales res perempę fuerint. Et si ancilla cum suis natis legata sit, etiam mortua ea, vel alienata, vel manumissa, nati ad legatarium pertinebunt, quia duo legata sunt separata. Sed & cum vicarijs suis legatus sit seruus, durat vicariorum legatum, etiam mortuo eo, aut alienato aut manumisso.

Qui

Qui penum legat, Inquit Vlpianus, quid legato complectatur videamus. Et Quintus Mutius scribit, lib. 2. iuris ciuilis, penu legata contineri, quæ esui potuique sunt. Idem Sabinus libris ad Vitellium scribit. Quæ harum (inquit) patrisfamilias, vxoris liberorumque eius, vel familiæ, quæ circa eos esse solet: item iumentorum, quæ dominici vsus causa parata sunt. Sed Aristo notat, etiam quæ esui potuique non sunt, contineri legato: vtputa ea, in quibus esse solemus: oleum forte, garum, muriam, mel, cæteraque his similia. Plane (inquit) si penus esculenta legetur, Labeo libro. 9. posteriorum scribit, nihil eorum cedere: quia non hæc esse, sed per ea solemus. Trebatius in melle, contra scribit. merito: quia mel esse solemus. Sed Proculus omnia hæc contineri rectè scribit, nisi contraria mẽs testatoris appareat. Festus Pompeius. Penora dicũtur res necessariæ ad victum quotidianum, & locus earum penarius. Suppellectili legata, hæc continentur, quæ sub definitionem suppellectilis veniunt. Suppellex, inqt Pomponius, est domesticum patrisfamilias instrumentum, quod neque argento, auróue facto, nec vesti adnumeratur, id est, res mobiles, non animales. Labeo ait, originem fuisse suppellectilis, quòd olim ijs qui in legationem proficiscerentur, locari solerent, quæ subpellibus vsui forent. Tubero hoc modo demonstrare suppellectilem tentat, instrumentum quoddam patrisfamilias rerum ad cotidianum vsum paratarum, quod in aliam speciem non caderet: vt (verbi gratia) penum, argentum, vestem, ornamenta, instrumenta agri, aut domus. Nec mirum est moribus ciuitatis & vsu rerum, appellationem eius mutatam esse. Nam fictili, aut lignea, aut vitrea, aut ærea denique suppellectili vtebãtur, nunc ex ebore atque testitudine, & argento, iam ex auro etiam atque gemmis suppellectili vtuntur. Quare speciem potius rerum quàm materiam intueri oportet. Alimentis legatis, cibaria, & vestitus, & habitatio debebitur: quia sine his ali corpus non potest: cætera quæ ad disciplinam pertinent, legato

DE PENV LEGATA.

DE SVPPELLECTILE LEGATA.

DE ALIMẼTIS VEL CIBARIIS LEGATIS.

non

non continentur. Nisi aliud testatorem sensisse probetur. Enimuero diarijs vel cibarijs relictis, neque habitationem, neque vestiarium, neque calciarium deberi palam est: quoniam de cibo tãtum testator sensit.

DE AVRO, ARGENTO, MVNDO, ORNAMENTIS, VNGVENTIS, VESTE VEL VESTIMENTIS, ET STATVIS LEGATIS.

Cum aurum vel argentum legatum est, quicquid auri argentique relictum sit, legato continetur, siue factum, siue infectum. Pecuniam autem signatam, placet eo legato non contineri. Mundus mulieris est, quo mulier mundior fit, continentur eò, specula, matulæ, vnguenta, vasa vnguentaria, & si qua similia dici possunt, veluti lauatio, riscus. Ornamentorum hæc, vittæ, mitræ, semimitræ, calantica, reticula. Poteśtque & mulier esse munda, non tamen ornata: & contra, ornata, non tamen commundata. Vnguentis legatis, non tantum ea legata videntur, quibus vngimur voluptatis causa, sed & valetudinis, qualia sunt commagena, geaucina, crina, rosa, mura. Vestis an vestimenta legentur, nihil refert. Vestimentorum sunt omnia lania, lineaque, vel serica, vel bombicina, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, inijciendi, incubandiue causa parata sunt. Et sunt aut virilia, aut puerilia, aut muliebria, aut communia, aut familiaria. Si imaginem legatam hæres derasit, & tabulam soluit, potest dici actionem ex testamẽto durare, quia imaginis legatum non tabulæ fuit.


DE LIBERATIONE LEGATA.

Liberationẽ debitori legari posse, iam certum est. Sed & si chirographum quis decedens debitori suo dederit, exceptionem ei competere puto, inquit Vlpian. quasi pro fideicommisso huiusmodi datione valitura. Iulianus libro quadragesimo Digestorum scribit, Si quis decedens chirographum Seij Titio dederit, vt post mortem suam Seio det: aut si conualuisset, sibi redderet: deinde Titius defuncto donatore Seio dederit, & hæres eius putat debitum. Seium doli exceptionem habere. Sed quis huius rei effectus sit quæsitum est. Et siquidem mihi liberatio sit relicta, cùm solus sim debitor, siue à me petatur, exceptione vti possum: siue non petatur, possum agere, vt liberer per acceptilationem, Sed & si cum

alio

alio ſim debitor (puta duo rei fuimus promittendi) & mihi ſoli teſtator conſultum voluit: agendo conſequar, non vt accepto liberer, ne etiã conreus meus liberetur contra teſtatoris voluntatem: ſed pacto liberabor. Sed quid ſi ſocij fuimus? videamus an per acceptilationem debeam liberari? quod magis eſt, alioquin dum à conreo meo petitur, ego inquietor. Et Iulian. lib. 32. Digeſtorum ſcribit, ſi quidem ſocij non fuimus, pacto me debere liberari: ſi ſocij, per acceptilationem. Atque hæc quidem de legatis, quemadmodum relinquantur.

DE AMISSIONE, DEMINVTIONE, ET ACQVISITIONE LEGATORVM.



ILLVD ſupereſt, vt quemadmodum, amittantur, deminuãtur, ac acquirantur legata, diſpiciamus. Amittuntur autem, per ademptionem, tranſlationem, dubium ſcripturæ, pœnæ adiectionem, regulam Catonianam: item ſi quid pro non ſcripto habeatur: ſi legatarius indignum ſe reddat honore legati, ſi conditio vel cauſa legati deficiat. Ademptio vel manifeſtè fit, vel tacitè. Manifeſtè, veluti ſi quis ei cui legauit, nõ alij, expreſſis verbis teſtamẽti vel codicillorũ adimat, vel ſi inducat id quod ſcriptũ eſt: nam nihil prohibet priorem ſcripturã poſteriorem corrigere, cõmutare, reſcindere. Tacitè, vt ſi nuda voluntate, tacito intellectu, præſumpta fiat adẽptio, nam ſi quidem capitales vel grauiſſimæ inimicitiæ intercelſerint, inter teſtatorem & legatarium: ademptum videtur quod relictũ eſt. Item rem legatam ſi teſtator viuus alij donauit, omnimodo extinguitur legatum: nec diſtinguimus, vtrum propter neceſſitatem rei familiaris, an mera volũtate donauerit: vt ſi neceſſitate donauerit, legatum debeatur, ſi nuda volũtate nõ debeatur: hęc enim diſtinctio, in donãtis munificentiam non cadit, cum nemo in neceſſitatibus liberalis exiſtat. Poteſt etiam fieri vt legatum non totum quidem adimatur, ſed parte aliqua, vel qualitate detracta extenuetur.

DE ADIMENDIS ET TRANSFERENDIS LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS.

Nam

Nam qui hominem legat, & Stichum adimit, non perimit legatum, ſed extenuat, vt Stichum legatarius elegere non poſſit. De tranſlatione legatorum: Caius. Sicut adimi legatum poteſt, ita & ad aliũ transferri, veluti hoc modo. Quod Titio legaui, id Seio do lego, quæ res in perſoná Titij, tacitam ademptioné continet. Tranſlatio legati fit quatuor modis: aut enim à perſona in perſoná transfertur: aut ab eo qui dare iuſſus eſt, transfertur, vt alius det: aut cum res pro re datur, vt pro fundo. 10. aurei: aut quod pure datum eſt, transfertur ſub conditione. Sed ſi id quod à Titio dedi, à Mæuio dem, quamuis ſoleant eſſe duo eiuſdem rei debitores, tamen verius eſt, hoc caſu ademptum eſſe legatum. Nam cum dico, Quod Titium dare damnaui, Seius dare damnas eſto: videor dicere, ne Titius det. Item ſi pro fundo decem legentur, quidam putant non eſſe ademptum prius legatum, ſed verius eſt ademptum eſſe: Nouiſſima enim voluntas ſeruatur.

Quod ſi alij legetur ſub conditione, quod alij pure legatum eſt, non plene receſſum videtur à primo, ſed ita demum, ſi conditio ſequentis extiterit. Cæterum ſi hoc animo fuerit teſtator, vt omnimodo receſſum à primo putauerit, dicẽdum erit, à primo ademptum legatum. Et ideo ſi viuo teſtatore, mortuus fuerit is, in quem transſlatum legatum fuerit, nihilominus ad eum à quo tranſlatum fuit pertinebit. Quomodo autem dubium ſcripturæ, in irritum deducat legata, ſatis patet ex his reſponſis. Paulus. In ambiguo ſermone, non vtrumque dicimus, ſed id duntaxat quod volumus: Itaque qui aliud dicit, quàm vult: neque id dicit, quod vox ſignificat, quia non vult, neque id quod vult, quia id non loquitur. Vlpianus. Si fuerit legatum relictum, vni ex cognatis meis, qui capitolium aſcenderit, ſi ſimul duo veniſſe dicantur, nec appareat quis prior venerit, an impedietur legatũ? Vel. Ei qui monumẽtum fecerit, & plures fecerint? Vel. Ei qui maximus natu eſt, & duo pares ætate ſint? Sed etſi legatum Sempronio amico fuerit relictum, & duo ſint æqua charitate con-

DE REBVS DVBIIS.

tecon-

te coniuncti: aut si duobus eiusdem nominis fuerit legatum (puta Sempronijs) mox Sempronio ademptum sit: vtrum datio in vtriusque persona infringatur, an ea ademptio nulla sit, quæri potest? Item si ex pluribus seruis eiusdem nominis vni, vel quibusdam libertas relicta est? Et verius est in his omnibus etiam legata & libertates impediri: ademptionem autem in vtrumque valere.

Paulus. Cum nomen fideicommissarij testamento adscriptum non sit, nullæ personæ, neque incertæ, datum fideicommissum videri, indubitatum est. De his quę pœnæ nomine relinquuntur, sic habet Aphricanus: Filiofamilias, vel seruo hęrede instituto, etiamsi in patris dominíue pœnam illicitè vel probrosè, datum est nullius momenti legatum esse respondi. Non enim id solum quod in hæredis, sed omne quod in cuiusque, lucrum aliquod ex vltima voluntate sentientis, talem pœnam in testamentò scriptum sit, nullius momenti habendum est. Catoniana regula sic definit: quod, si testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret, id legatum quandocunque decesserit, non valet. Pro non scriptis habentur, quę ijs asscripta sunt, qui in rebus humanis non sunt, quíue in metallum damnati sunt, aut quę ita scripta sunt, vt intelligi non possint, aut quæ quis ipse sibi (nam hoc exemplum perniciosum est) asscripsit. Qui vt indigni repelluntur à legatis, his ferme responsis exprimuntur. Martianus. Diui Verus & Antoninus rescripserunt, quasi indignum carere legato seu fideicommisso libertum, quę ei testamento patroni relicta fuerant, cum patronum suum post mortem eius, quasi illicitæ mercis negotiatorem detulerat, quamuis & libertatis præmium meruerit. Idem. Indignum esse diuus Pius illum decreuit (vt & Marcellus libro duodecimō digestorum refert) qui manifestissimè comprobatus est id egisse, vt per negligentiam & culpam suam, mulier a qua hæres institutus erat, moreretur. Paulus: Amittere id quod testamento meruerit, & eum placuit, qui tutor datus excusauit

se à

DE HIS QVÆ POENÆ CAVSA RELINQVVNTVR.

DE REGVLA CATONIANA.

DE HIS QVÆ PRO NON SCRIPTIS HABẼTVR.

DE HIS QVÆ VT INDIGNIS AVFERVNTVR.

se à tutela, sed si consecutus fuerit, non admittitur ad excusationem. Diuersum puto, in eo, qui legatum tantum meruit: & à matre pupilli tutor petitus, excusare se maluit: hic enim nihil contra voluntatem defuncti fecit. Sed hoc legatum quod tutori denegatur, non ad fiscum transfertur, sed filio relinquitur, cuius vtilitates disertæ sunt. Vlpianus: Si inimicitiæ capitales interuenerint inter legatarium & testatorem: & verisimule esse cœperit, testatorem noluisse legatum siue fideicommissum præstari ei cui adscriptum relictum est: magis est, vt legatum siue fideicommissum ab eo peti non possit. Sed etsi palam & aperte testatori maledixerit, & infaustas voces aduersus eum iactauerit: idem erit dicendum. Si autem statusei controuersiam mouerit, denegatur eius, quod testamento acceperit, persecutio. ex qua specie statim fisco defertur. Papinianus: Claudius Seleucus Papiniano suo salutem. Mœuius in adulterio Semproniæ damnatus, eandem Semproniam non damnatam duxit in vxorem: qui moriens eandem hæredem reliquit. Quęro, an iustum matrimonium fuerit, & an mulier ad hæreditatem admittatur? Respondi, neque tale matrimonium stare, neque hæreditatis lucrum ad mulierem pertinere: sed quod relictum est, ad fiscum peruenire. Sed & si talis mulier virum hæredem instituerit, & ab eo quasi ab indigno hæreditatem auferri dicimus. Idem: Mulierem quæ stupro cognita in contubernio militis fuit (etsi sacramento miles solutus intra annum mortem obierit) non admitti ad testamentum iure militiæ factum: & id quod relictum est, ad fiscum pertinere proxime tibi respondi. Idem: Cum secundis tabulis, pater impuberi filio, fratris filios, cohæredibus datis, substituisset: ac substituti fratris filij, post mortem pueri, matrem eius, partus subiecti ream postulassent, vt hæreditatem patrui legitimam obtinerent: victis auferendam esse partem hæreditatis ex causa substitutionis respondi: quia, ex testamento sententiam secundum se

dictam

dictam non haberent, Idem: Hæredem qui sciens defuncti vindictam insuper habuit, fructus omnes restituere cogendum, existimaui. Paulus. Post legatum acceptum, non tantum licebit falsum arguere testamentum: sed & non iure factum contendere: inofficiosum autem dicere non permittitur. Et quidem qui principale testamentum arguit: & à secundis tabulis repellendus est. item à codicillis ad testamentum factis, licet non confirmatis. Non idem sequendum est, si secundas tabulas vel codicillos coarguit: quia non vtrunque hoc casu improbasse videtur. De conditionibus demonstrationibus, & causis legatorum, regula hæc est, vt ijs deficientibus, deficiat quoque legatum. Verum hæc regula patitur nonnullas exceptiones, propterea quod in conditionibus, primum locum voluntas defuncti obtineat, eaque regat conditiones. Vlpianus. Obtinuit, impossibiles conditiones testamento adscriptas, pro nullis habendas. Caius. Demonstratio falsa est, veluti si ita scriptum sit, seruum Stichum, quem de Titio emi: fundum Tusculanum, qui mihi à Seio donatus est: nam si constat de quo homine, de quo fundo senserit testator, ad rem non pertinet, si is quem emisse significauit, emerit. Igitur etsi ita seruus legatus sit. Stichum cocum, Stichum sutorem Titio lego, licet neque cocus, neque sutor sit, ad legatariam pertinebit: si de eo sensisse testatorem conueniat. nam etsi in persona legatarij designanda, aliquid erratum fuerit, constat autem cui legare voluerit, perinde valet legatum, ac si nullus error interuenirer. Quod autem iuris est in falsa demonstratione, hoc vel magis est in falsa causa, veluti si ita, Titio fundum do, quia negotia mea curauit: item, Fundum Titius filius meus præcipito, quia frater eius ipse ex arca tot aureos sumpsit, licet enimfrater huius pecuniam ex arca non sumpsit, vtile legatum est. at si conditionaliter concepta sit causa, veluti

DE CONDITIONIBVS ET DEMONSTRATIONIBVS ET CAVSIS ET MODIS EORVMQVÆ IN TESTAMENTO SCRIBVNTVR.

luti hoc modo. Titio, si negotia mea curauit, fundum do, Titius filius meus, si frater eius centum ex arca sumpsit, fundum præcipito: ita vtile erit legatum, si & ille negotia curauit, & huius frater centum ex arca sumpsit. Quod si cui in hoc legatum sit, vt ex eo aliquid faceret veluti monumentum testatori, vel opus, aut epulum municipibus faceret, vel ex eo vt partem alij restitueret: sub modo legatum videtur. Marcellus: Non dubitamus, quin turpes conditiones remittendæ sint: quo in numero plerunque sunt etiam Iurisiurandi. Iulianus: Iure ciuili receptum est, quotiens per eum, cuius interest conditionem impleri fit quo minus impleatur: vt perinde habeatur, ac si impleta fuisset. quod plerique & ad legata, & ad hęredum institutiones produxerunt. Quibus exemplis stipulationes quoq; committi quidam rectè putauerunt, cùm per promissorem factum esset, quo minus stipulator conditioni pareret. Papinianus falsam conditionem Cassius & Cælius Sabinus impossibilem esse dixerunt. veluti: Pamphilus, si quod Titio debeo, soluerit, leber esto, si modo nihil Titio fuit debitum. Etenim inter demonstrationem, causam, modum, & conditionem, hæc est differentia. Demonstratio est, quæ plerumque factam rem ostendit, quemadmodum conditio futuram, vt, ex ijs centum quę Titio legaui, Caio quinquaginta do lego. Causa est, quæ animum testatoris commouet, siue antecedat, siue sequatur, vt, Titio, quia negotia mea curauit, vel curabit, centum do lego. Modus, est pars ipsius ordinationis, ostendere finem legati, veluti vt mihi monumentum faciat, Titio centum do lego. Conditio in liberam legatarij voluntatem, siue incertum euentũ confertur, vt Titio, si capitolium ascenderit, vel si nauis ex Asia venerit, centum do lego. Sed conditionum inquit Vlpianus, quædam sunt quæ quandocunque impleri possunt, etiam viuo testatore: vt puta si nauis ex Asia venerit, nam quandocunque venerit nauis, conditioni paritum videtur. Quædam sunt, quæ non

nō nisi post mortem testatoris, veluti, si decem dederit, si Capitolium ascenderit. Nam vt paruisse quis conditioni videatur, etiam scire debet hanc conditionem insertam. Nam si fato fecerit, non viderur optemperasse voluntati. Mætianus: Conditionum, quæ in futurum conferuntur, triplex natura est, vt quædam ad id tempus, quo testator viuat: quædam ad id tempus, quod post mortem eius futurum sit: quædam ad alterutrum pertineant: tempus autem vel certum vel infinitum comprehendatur, quæ omnia non minus in fideicommissis, quàm in institutionibus ac legatis incidere solent: vt hæc conditio. Titiæ, si mihi nupserit: non dubiè nisi viuente testatore: illa autem, Si ad exequias funeris mei venerit, nisi post mortem, impleri non possit. Illa verò. Si filio meo nupserit, vel viuente vel mortuo testatore impleri possit. Et prima quidem ac tertia ex relatis conditionibus, infinitum tempus habent: quandoque enim nupserit, impletur conditio, secunda ad certum tempus adscripta est. Planè quantum ad conditiones quæ in non faciendo consistunt: in his Mutiana cautio locum habet, de restituendo legato percepto, si contra factum sit. Vlpianus: Mutianę cautionis necessitas in conditionibus consistit, quæ in non faciendo conceptæ sunt: vtputa, Si in Capitolium non ascenderit: Si Stichum nō manumiserit, & in similibus. Et ita & Aristoni, & Neratio, & Iuliano visum est, quæ sententia ex constitutione Diui Pij comprobata est. Nec solum in legatis id placuit, verum in hæreditatibus quoque idem remedium admissum est. Transeamus nunc ad secundum articulum, qui ad legatorum deminutionem pertinet. nam id fit, vel ex lege Falcidia, quam plebes tulit, vel ex Senatusconsulto Trebelliano. Paulus. Lex Falcidia lata est, quę primo capite liberam legandi facultatem dedit, vsq; ad dodrantem, his verbis: Qui ciues Romani sunt, Qui eorum post hanc legem rogatam, testamentum facere volet: vt eam pecuniam, easque res, quibus dare, legare, volet, ius potestasque esto,

AD LEGEM FALCIDIA.

vt hac lege sequenti licebit. Secundo capite modum legatorum constituit, his verbis. Quicunque ciuis Romanus post hanc legem rogatam testamentum faciet, is quantamcunque ciui Romano pecuniam, Iure publico dare legare volet, ius potestasque esto. Dum ita datur legatum, ne minus quàm partem quartam hæreditatis testamento hæredes capiant, eis quibus quid ita datum legatúmue erit, eam pecuniam sine fraude sua capere liceto. isque hæres qui eam pecuniam dare iussus damnatus erit, eam pecuniam debeto dare, quam damnatus est.

SI CVI PLVS QVĀ PER LEGĒ FALCIDIĀ LICVERIT, LEGATVM ESSE DICETVR.

Etenim si cui plus quàm licuerit legetur, & dubitari iustè possit, vtrum lex Falcidia locum habitura sit, nec ne: subuenit Prætor hæredi, vt ei legatarius satisdet, vt si apparuerit, eum amplius legatorum nomine cepisse, quàm ex lege Falcidia capere licebit: quanti ea res erit, tantam pecuniam det, dolusque malus ab eo absfuturus sit.

AD SENATVSCONSVLTVM TREBELLIANVM.

Ex senatusconsulto Trebelliano, permissum est ei, qui fideicommissum restituit, quartam Trebellianicam detrahere fideicommisso: formam autem ipsius restitutionis complexum est Senatusconsultum, his verbis. Cum esset æquissimum in omnibus fideicommissarijs hæreditatibus, si qua de his bonis iudicia penderent, ex his eos subire, in quos Ius fructusque transferretur potius, quàm cuiquá periculosam esse fidem suam: placet vt actiones quæ in hæredem, hæredibúsue dari solent, easque, neque in eos, neque his dari qui fidei suæ commissum, sicuti rogati essent, restituissent: sed his & in eos, quibus ex testamento fideicommissum restitutum fuisset quò magis in reliquum confirmentur defunctorum voluntates. Præter istud senatusconsultum, extat quoque Apronianum, quod ad fideicommissa ciuitatibus relicta pertinet. Paulus: Omnibus ciuitatibus, quæ sub Imperio populi Romani sunt, restitui debere & posse hæreditatem fideicommissariam, Apronianú Senatusconsultum iubet. Sed & actiones in eas placuit ex Trebelliano transferri. Sed & municipes ad eas admit-

mittuntur. Ita tamen, vt ij quibus restituetur hęreditas, actoré eligant, & ad agendum, & ad excipiendas actiones. Nunc dicamus de legatis, quæ adempta non reperiuntur: quatenus deminuta quoque non sunt, quomodo tandem obtineantur. Et quidem obtineri ea dicimus, postquàm dies legati vel fideicommissi plene cessit. Qua quidem in re distinguimus vsumfructum, ac annuũ legatum, à communi legato. De communi, sic habet Paulus: Si dies apposita legato non est, præsens debetur & confestim à morte testatoris ad eum pertinet, cui datum est. Dies adiecta, quamuis longa sit, si certa, veluti, kalendis Ianuarijs centesimis, dies quidem legati statim cedit, sed ante diem peti non potest: at si incerta, veluti, cùm pubes erit: cùm in familia filia nupserit: cùm magistratum inierit: cùm aliquid demum, quod scribendo comprehendere sit commodum, fecerit: nisi temporis conditio obtigerit, neque res pertinere, neque dies legati cedere potest. De vsufructu & habitatione Vlpianus: Si purè sit vsusfructus legatus, vel vsus, vel habitatio: neque eorum dies ante aditam hæreditatem cedit, neque petitio ad hæredem transit. Idem est, si ex die sit vsusfructus relictus. Idem Vlpianus: Si habitatio filiofamilias vel seruo legata sit, puto non acquiri domino vel patri legatum, si ante aditam hæreditatem filius vel seruus decesserit. nam cum personæ cohæreat, rectè dicitur ante aditam hæreditatem diem non cedere, De annuis legatis: Cum in annos, inquit Vlpianus, singulos legatur, non vnum legatum esse sed plura constat. Nec refert singuli aurei in annos siugulos legentur, an in annum primum mille aurei, in secundum homo, in tertium frumentum. Nec semel diem eius cedere, sed per singulos annos. Enimuero si vel propter diem, vel conditionem pendentem, vel alia aliqua de causa, mora inijciatur, quo minus confestim legata pręstentur: iure receptum est, vt nisi nominatim per testatorem remissa sit cautio, vel fiscus institutus, qui non solet

QVANDO DIES LEGATORVM VEL FIDEICOMMISSORVM CEDAT.

VT LEGATORVM VEL FIDEICOMMISSORVM SERVANDORVM CAVSA CAVEATVR.

ſatiſdare, ſatiſdatio de præſtandis legatis exigatur. Vlpianus. Legatorum nomine ſatiſdari oportere, Prætor putauit, vt quibus teſtator dari fieriue voluit, his diebus detur vel fiat, dolumque malum abſuturum ſtipulentur. Semper autem ſatiſdare cogitur, cuiuſcunque ſit dignitatis, vel quarumcunque facultatum hæres, nec ſine ratione, hoc prætori viſum eſt: ſicuti enim hæres incumbit poſſeſſioni bonorum: ita legatarios quoque carere non debere bonis defuncti, ſed aut ſatiſdari eis, aut ſi ſatis non detur, in poſſeſſionem bonorum venire Prætor voluit. Cuius quidem poſſeſſionis effectus is eſt, vt & cuſtodia bonorum miſſo detur, & pro minimo legato, vniuerſa bona occupentur. Vlpianus: Is cui legatorum fideíue commiſſorum nomine non cauetur, miſſus in poſſeſſionem, nunquam pro domino eſſe incipit, nec tam poſſeſſio rerum ei quàm cuſtodia datur. Neq; enim expellendi hæredem ius habet, ſed ſimul cum eo poſſidere iubetur. vt ſaltem, tædio perpetuæ cuſtodiæ, extorqueat hæredi cautionem. Calliſtratus. Quamuis minima res legata ſit, vel per fideicommiſſum relicta: tamen ſi non ſoluatur ab hærede, vel eo nomine caueatur cùm caueri oporteat, in poſſeſſionem omnium bonorum quæ ex ea hæreditate ſunt, legatarium ſiue fideicommiſſarium Prętor legatorum ſeruãdorum cauſa mittit. Plane ſi is à quo ſatis petitur, offerat cognitionem, & dicat, Hodie conſtat de fideicommiſſo: hodie agamus: dicendum eſt ceſſare ſatiſdationem: cùm poſſit antè de fideicommiſſo, quàm de ſatiſdatione conſtare. Nec non illa cognitio imploranda erit ab hærede, ſi fortè dicatur per calumniam ſatis peti, hoc enim commune eſt omnium ſatiſdationum. Diuus enim Pius reſcripſit eum apud quem ſatis petitur, debere explorare, num per calumniam ſatis petatur, de qua re ſummatim debet cognoſcere. Præterea interdum inquit Valens, licet dolo malo fecerit hæres, quo minus res in cauſa hæreditaria maneat, non poterit in poſſeſſionem earum legatarius

VT IN POSSESSIONĒ LEGATORVM VEL FIDEICOMMISSORV̄ CAVSA ESSE LICEAT


gatarius

gatarius mitti: veluti si locum religiosum fecerit, aut quid publice consecrauerit, permissu scilicet Imperatoris, aut si aliquem non in fraudem creditorum, manumiserit. Atque hucusque quidem de ciuilibus iudicijs exposuisse sufficiat. Quæ nunc porrò sequuntur in pandectis, Prætoria sunt, & criminalia iudicia, cum ijs quæ posteriora vocauimus. Nam vniuersum librum pandectarum partim in ΤΑ ΠΡΩΤΑ, partim in iuditia, ciuilia, prætoria, & criminalia, partim in posteriora diuisimus.

FINIS.
libri sexti.

ERRATA.

Pagina 253. versu 12. non citent, lege, non multum citent. 267. vers. 4. in vni alicui, vt vni alicui. 290. vers. 14. cæterumrum, dele posterius rum. 320. vers. 17. extinguantur, non extinguantur. 340. vers. 30. hæreditas, hæreditati. 439. vers. 33. mulier, muliere. 440. vers. 17. est is extra, est is quidem extra. Item in margine desunt hæc: DE CONCVBINIS. 444. vers. 6. cum sanguin, consanguin 447. vers. 7. quinces, quincunces. Eadem pagina, vers. 10. 11. 12. 13. conuerterit, fecerit, negauerit, imposuerit: conuerterint, fecerint, negauerint, imposuerint. 452. vers. 6. à fine: res agitur, aut agitur. 453. circa finem in margine hæc desiderantur: QVOD FALSO TVTORE AVTHORE GESTVM ESSE DICATVR. 459. vers. 2. hisque verbis, hisce verbis. 460. vers. 14. & velit, & quem velit 462. vers. 11. Et quibus quidem, Ex quibus quidem. 470. vers. vltimo: idem substitutus, id est substitutus. 475. vers. 28. hæres esto, ille hęres esto.





LOVANII

Apud Petrum Colonæum bibliop. Iur.
Anno. 1 5 5 5.
Men. Mart.